UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Pars I. Tractans Libros Auscultatorios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95850

Visual Library

PARS I.

TRACTANS LIBROS AUSCULTATORIOS.

LIBER I.

De Principiis Rerum Naturalium.

PROOEMIUM.

QUanta fuerit inter antiquos Philosophos disceptatio & altercatio, de rerum corporearum principio, recensent Authores passim, & elegantissimè describit Sanctus Augustinus lib. 8. de Civitate cap. 2. ubi sic loquitur, de eorum erroribus, & opinionibus: *Thales Milesius Aquam putavit esse rerum principium, & hinc omnia elementa mundi, ipsumque mundum, & quæ in eo gignuntur, existere. Huic succedit Anaximander ejus auditor, mutavitq; de rerum natura opinionem, non enim ex una re, sicut Thales ex humore, sed ex suis propriis principiis quasq; res nasci putavit. Quæ rerum principia singularum credidit esse infinita, & innumerabiles mundos gignere, & quæcunque in eis oriuntur, eosq; mundos modò dissolvi, modò iterum gigni existimavit, quanta quisque suâ ætate manere potuerit. Iste Aximenem discipulum & Successorem reliquit, qui omnes rerum causas infinito aëri dedit. Anaxagoras verò ejus Auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum Animum sensit, & dixit ex infinita materia, quæ constaret similibus inter se particulis, rerum omnium genera, pro modulis & speciebus propriis singula fieri. Diogenes quoq; Anaximenis alter auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam, ex quâ fierent omnia. Anaxagoræ successit Archilaus, etiam ipse de particulis inter se similibus, quibus singula quæq; fierent, ita omnia constare putavit, ut inesse etiam mentem diceret, quæ corpora æterna, id est, illas particulas conjungendo, & dissipando ageret omnia:* & cap. 5. his similia & plura alia refert Antiquorum deliria, quæ post Aristotelem, veluti talia, simplicitèr ab omnibus exploduntur, & assignantur communitèr tria, materia videlicet & forma, cum privatione, de quibus in communi, in proxima agam disputatione, unde est

DISPU-

DISPUTATIO I.

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS IN COMMUNI.

QUÆSTIO I.

Num detur principium Rei Naturalis?

I. Quamvis in omni bona Philosophia sit indubitatum, dari principia naturalium rerum, contra Antiquorum plurium errores, id tamen ex professo etiam hic examinare non videtur mihi fore superfluum, & inane; unde antequàm resolvam quæstionem

II. Principium varie sumitur. Notandum primò: Principium variè, & multiplicitèr sumi posse: Primò enim accipitur, pro initio cujuscunq; rei, unde etiam *D. Augustinus lib. 1. de Gen. ad lib. cap. 4. illud Geneſi.* Primo in Principio, dicit Exordium omnis creaturæ existentis, tale autèm initium triplicitèr iterum considerari potest, secundùm durationem, ordinem, & situm; *Primo modo* dicitur *aurora* initium diei, *Alpha* initium literarum; secundùm Ordinem, palmus dicitur principium & initium ulnæ, & punctum lineæ, tertio denique modo dicitur fundamentum initium domûs &c.

Secundo modo sumitur principium, pro omni eo, unde aliquid fit, sive illud sit intrinsecum, sive extrinsecum, in quo sensu *dicit S. Augustinus lib. 8. Civit. cap. 6. In Deo esse omnium rerum principium: & cap. 5. Gen. sup. Æterna sapientia principium creaturæ intellectualis, & cap. 6. Filius Dei principium universæ creaturæ*, id est, per quem facta sunt omnia, & in hac acceptione principium coincidit cum causa efficiente, quæ dicitur principium extrinsecum, magna tamen differentia, & diversitas est, inter causam & principium; nam causa debet semper communicare effectui essentiam, saltem numero distinctam; deinde effectus debet à causa dependere; postmodum causa, debet saltem naturâ prior esse quàm effectus, quibus tamen deficientibus adhuc potest aliquid habere rationem principii, ut patet de Patre æterno, respectu Filii, cujus est principium, non tamen causa; quare si quando Sancti Patres, sive Græci, sive Latini, dicunt: Patrem esse causam Filii, aut aliquid simile in Divinis, intelligendi & explicandi sunt, quòd loquantur de causa in largiori acceptione, prout etiam coincidit cum principio, quia omnis causa est principium, non tamen omne principium est causa.

Tertio modo principium propriè sumitur pro eo, à quo aliquid per se & Physicè oritur, seu ex quo aliquod compositum Physicum resultat, & in hac acceptione de illis controvertitur, num dentur.

III. Principium variè sumitur. Notandum secundò: Principium etiam in rigore acceptum, duplicitèr considerari posse, *materialiter* scilicet, & *formaliter*; formaliter sumptum est relatio principii, vel principiantis ad principiatum, cujus fundamentum est principium materialiter, seu denominativè sumptum, terminus verò est ipsum principiatum, ratio verò fundandi origo unius ab alio, & hæc relatio non potest univoca esse omnibus principiis, nisi concederetur univocatio, respectu realis & rationis, quia relatio principiationis in materia & forma est realis, utpote inter extrema realia, non verò in privatione, imò licèt principii ratio denominativè sumatur, adhuc non potest esse univoca, quia ens & non ens, nequeunt eandem habere naturam, sed forma & materia sunt vera entia realia & positiva, non verò privatio: ergò ratio illorum non potest esse eis univoca. His prænotatis

IV. *Dantur rerum principia.* Dico ad quæstionem: *Dantur aliquæ rerum naturalium principia.* Est communis omnium Theologorum & Philosophorum, seu Catholicorum, seu hæreticorum. Probatur experientiâ, quæ docet, dari aliquas mutationes, sed istæ non possunt fieri, nisi ab aliquibus principiis; ergò dantur illa principia, à quibus fiant; major patet, quia duplex genus mutationum reperitur, primum est, cùm aliqua res secundùm essentiam & existentiam manens eadem, mutatur accidentaliter; ut quando aqua transit à frigore ad calorem, secundùm genus est, quando res præexistens intrinsecè & essentialiter mutatur, transitq́, de suo esse substantiali, in aliud, verbi gratiâ, quando ex igne fit ignis, ex quibus duabus mutationibus ad minus duplex colligitur principium, scilicet illud, quod transit, ab una forma ad aliam, & est materia, vel subjectum, & illud, quod de novo transit, & est forma acquisita, per mutationem, vel generationem, deinde caret materia aliquando illâ formâ; ergò datur adhuc aliquod aliud, & consequentèr dicendum: dari rerum naturalium principia. Sed in contra

V. *Argumentum in contrarium.* Arguitur. Si darentur naturalium principia, deberent in omnibus rebus naturalibus reperiri, sed hæc non reperiuntur in omnibus rebus naturalibus, ergò: probatur mi. Quia non reperiuntur in cœlis, ergò: probatur ant. quia Cœlum fuit creatum, ut patet ex illo Gen. 1. In Principio creavit Deus cœlum & terram; ergò cœli non habent principia; quia illa deberent esse materia & forma, quæ in cœlis reperiuntur; probatur consequentia, quia creatio est productio rei ex nihilo. R. negando mi. eum ant. prob. cujus probationis ant. distinguo: Cœlum fuit creatum creatione propriè dictâ, nego ant. creatione latè dictâ, & impropriè acceptâ, concedo ant. & nego consequentiam, pro cujus distinctionis clariori intelligentia, sciendum: creationem duplicem esse, unam strictè sumptam, & alteram largè acceptam, primâ dicuntur creari Angelus, anima rationalis, & cætera entia spiritualia: & in hac acceptione dicitur productio, ex nihilo sui, & subjecti; secundo modo accipitur, pro productione Divinâ cujuscunq́, creaturæ, à quâ etiam creatura suam habet etymologiam. Sed

Instatur.

Instatur. Nullum datur ens priùs creatum, quàm cœlum; ergò cœlum non constat ex principiis: patet ant. ex loco citato, quia primæ creaturæ fuerunt cœlum & terra. R. dist. ant. Nullum datur ens creatum, prius cœlo completum, concedo; incompletum, nego ant. & consequentiam, quia licèt materia præfuisset ante cœlos, nihilominus in entitate sua non est quid Physicè completum, licèt sit Metaphysicè.

Urgetur. Sequeretur quòd illud ens, seu materia fuerit creata ante cœlum, sed hoc videtur directè pugnare contra Scripturam allegatam, ergò. R. dist. sequelam, quòd fuerit prius creata ante cœlum, prioritate naturæ, concedo, prioritate temporis, nego seq. cum mi. & consequentia: quia tantùm Scriptura docet, nihil in tempore prius fuisse creatum, quàm cœlum & terra, quamvis per hoc non negat, quin aliquid etiam fuerit prius creatum prioritate naturæ.

QUÆSTIO II.

Quid sit principium Corporis Naturalis?

I. *Aristoteles definit principium.*

Aristoteles 5. *Metaph. cap.* 1. *definit principium, quòd sit primum id, unde aliquid est, fit, aut cognoscitur.* Quæ definitio, quamvis explicari possit, tanquam bona; verùm tamen nimis universalis est, quia comprehendit nimis multa principia, quæ ad Physicam non pertinent: nam per particulam *est* comprehendit genus principiorum secundùm compositionem, per particulam *fit*, genus secundùm generationem, & per tertiam *cognoscitur* scilicet, genus principiorum scientificorum, in qualibet scientia, ita ut sic etiam præmissæ, & Deus, respectu creaturarum, comprehendatur, & omnia alia, sive sint extrinseca, sive intrinseca. Quam nec ipse Aristoteles approbat, utpote cum hic *cap.* 8. *t.* 42. *aliam tradat, nempe, quòd* prima principia sint ea, *quæ neq; ex sese invicem, neq; ex aliis, sed ex ipsis sunt omnia.* Quam definitionem defendit cum communi, Baro tanquàm bonam, eam tamen dicit non esse Aristotelis, verùm communis Scotistarum & Recentiorum omnium, tuetur & esse Aristotelis, & esse bonam, contra quem torrentem non videtur mihi conandum; quare

II. *Definitio illa bona est.*

Dico. *Prædictam definitionem Aristotelis bonam esse.* Hæc Conclusio communis est, & duplicem habet partem, videlicet & quòd Aristotelis sit, & quòd bona sit.

Prima pars est probanda solummodò ex unanimi consensu, quem nec ipse Baro negare potest, qui citat Apol. 1. in 1. Phys. act. 1. Aristotelem, secundùm textum, his formalibus terminis: *Oportet enim principia, neq; ex alterutris esse* (id est ex se invicem) *neq; ex aliis, sed ex his omnia*, quem textum concedit Baro, esse Aristotelis; ergò concedit, definitionem datam esse ejus; cùm in terminis quodammodò definitio coincidat.

Probatur secunda pars, eam explicando dicitur: *Quæ neq; ex seje invicem*; quia secundùm Aristotelem, principia prima sunt contraria, sed illa quæ sunt primò contraria, non possunt ex se invicem fieri; ergò neq; principia sunt ex sese invicem: dicitur *neq; ex aliis*: quia si prima principia essent ex aliis, tunc non essent principia prima, sed secunda, & principiata: Dicitur deniq; : *Sed ex ipsis sunt omnia*; quia principiata debent esse ex aliis, non ex se; ergò ex principiis & consequenter ex principiis omnia fiunt, id est, vel tanquam ex parte componente, vel tanquam ex termino à quo; undè tota definitio hunc habet sensum: Quòd principia non fiant ex aliis eo genere, quo est principium, verbi gratia, ut materia non fiat ex forma, tanquam ex causa materiali, neq; forma ex materia, tanquam ex causa formali, in quo genere est principium, deinde quòd non fiant ex aliis, id est quòd materia non fiat ex materia & forma non fiat ex forma, sed omnia fiant ex ipsis, scilicet, quòd omnia composita constent ex principiis, secundùm distributionem accommodam, ita ut tota collectio compositorum, fiat ex tota collectione principiorum, & hoc numero compositum ex his numero principiis; quia ex quolibet principio non potest fieri quodlibet compositum. Sed in contrà primam partem definitionis

Arguitur: Materia & forma, secundùm nos, sunt principia, sed illa fiunt ex se invicem; ergò probatur mi. quia materia fit ex partibus integralibus, à quibus dependens in genere causæ materialis; ergo fit ex aliis. R. dist. mi. fiunt ex se invicem eodem modo, & eodem genere principiandi, quo alia fiunt ex ipsis: nego mi. alio modo, & alio genere principiandi, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; licèt materia componatur, & fiat ex partibus integralibus, non fit tamen ex ipsis per modum subjecti, quo modo est principium omnium mutationum, nec dependet ab eis in genere causæ materialis principii; quia materia est pars essentialis, & non integralis compositorum.

II. *Argumentum contra primam partem.*

Instatur. Materia fit ex alio, etiam eodem genere principiandi, secundùm essentialem compositionem; ergò nulla solutio: probatur ant. quia materia fit, & essentialitèr componitur ex genere & differentia, sed hæc faciunt essentialem compositionem; ergò materia fit ex aliis, etiam secundùm essentialem compositionem, & idem dicendum de forma. R. negando ant. cujus probationis min. distinguo, sed hæc faciunt essentialem compositionem Metaphysicam, concedo: Physicam, nego minorem, & consequentiam. Itaq; hìc non est sermo de quacunq; essentiali compositione, sed de essentiali compositione Physica.

Urgetur. In animatis corpus, prout est altera pars compositi, est pars materialis viventis; sed illa pars materialis, fit ex alia materia in genere causæ materialis; ergò principia fiunt ex se invicem in eodem genere causæ, & secundùm compositionem Physicam, & non tantùm Metaphysicam. R. facilè ad hanc urgionem, quæ tamen videtur in se difficilis, distinguendo consequens; ergò principia fiunt ex se invicem prima, nego consequentiam, secunda & principiata, concedo consequentiam. Itaq; verum quidem est, quòd definitio principii

cipii non competat corpori, prout est altera pars viventis, hoc tamen nihil nocet: quia non est principium primum, sed secundum, immediatum scilicet subjectum Animæ, tanquam formæ substantialis. Sed

Replicatur. Ergò falsò dicitur, quòd, in omni generatione, hæc tria principia concurrant. R. negando illatum, quia semper illa tria principia concurrunt, mediatè, vel immediatè, non est autèm necesse, quòd semper concurrant immediatè.

IV. Secundum, **Arguitur 2.** Pro eodem, Forma fit ex privatione; ergò principia fiunt ex se mutuò. R. dist. ant. fit ex privatione, tanquam ex termino à quo, concedo ant. tanquam ex parte essentiali, nego ant. unde non negatur, quòd fiant ex aliis quocunq; modo, sed quòd non fiant in eodem genere & tanquam ex parte essentiali & Physicè constituente.

Instatur 2. *Tò ex*, aut denotat habitudinem partis componentis essentialitèr & Physicè, aut termini à quo: si partis componentis; ergò privatio non est principium; si habitudinem termini à quo; ergò forma non erit principium, quia fit ex privatione, tanquam ex termino à quo R. quòd illa particula *ex* in definitione principiorum dupliciter posit intelligi; primò, ut in duobus primis locis negativis significet habitudinem partis componentis, & non termini à quo: in tertio verò loco affirmativo significet habitudinem utriusq;, sed sub disjunctione; vel secundò, quòd in duobus primis locis significet habitudinem ejusdem generis, in tertio verò loco habitudinem diversi generis, id est, partis componentis, vel termini à quo, ita ut sensus sit: quòd principia neque ex sese, neq; ex aliis in eodem genere, sed omnia ex ipsis fiant, vel tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam termino à quo, unde licèt forma non fit terminus à quo privationis, est tamen adhuc principium, quia est altera pars compositi.

Urgetur. Si Forma fit ex materia, non ut à termino à quo, sed ut parte componente, sequetur adhuc, quòd non erit principium, ergò: probatur sequela, quia propriè fit ex alio, aut dicendum quòd unum principium fiat ex alio. R. dist. sequelam, si forma fit ex materia, tanquam componente formam, veluti ejus pars essentialis, concedo sequelam, si fit ex materia, id est, si educitur de potentia materiæ, tanquam ex subjecto materiali, nego sequelam, unde non dicitur propriè & in rigore loquendo, formam fieri ex materia, sed educi de potentia materiæ. Sed

V. Tertium, **Arguitur 3.** In data definitione, aut definiuntur principia universalia rerum, aut particularia, verbi gratiâ Petri, vel Pauli, sed neutrum dici potest; ergò mala definitio, ma. est certa: probatur minor, & primò quòd non particularia, quia omne quod definiri debet & potest, debet esse ens unum completum per se genericum, vel specificum, quia quemadmodum singularium non est scientia, ita nec definitio: Nec etiam universalia, quia omnis definitio universalis debet posse competere suis inferioribus, ut de se patet; sed definitio illa non potest competere singularibus, nec quidem secundario, ergò: probatur mi. quia ex principiis particularibus non sunt omnia: R. quod hîc definiantur primò & per se, principia universalia; particularia verò secundariò, unde nego mi. probationis, de universalibus, ad cujus probationem dico, quòd particulæ illæ: *Omnia ex ipsis sunt*, accipi debeant distributivè, tàm ex parte principiorum, quàm ex parte principiatorum, ita, ut sensus sit: quòd omnia, id est, singula ex ipsis, id est singulis, fiant. Possunt hîc plures adhuc moveri difficultates, tùm propter particulam *Ex*, quæ in sacra Scriptura frequenter significat non modò partem componentem alicujus rei, sed etiam causam efficientem: ut patet ex illo Joan. 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit*, & alibi sæpe; verumtamen in his & similibus locutionibus Scripturæ termini non accipiuntur, in omni rigore, unde licèt in communi significent etiam causam efficientem, propriè tamen significant solùm principia intrinseca, quòd autèm sacra Scriptura non accipiat terminos semper in rigore, patet ex pluribus locis: adduco ramen unum Matth. 18. ubi dicit: *Si duo, vel tres congregati fuerint, in nomine meo, in medio eorum sum*: in quo loco] *vel* non significat in rigore, quin verificetur: licèt utrumque disjunctum existat, quod tamen alioquin requiritur.

QUÆSTIO III.

Quot sint principia corporis Naturalis?

Exprioribus liquet, quanta olim fuerit diversitas in assignandis principiis, eorumq; numero, quæ tamen pro nunc tota sopita est; quia communis sententia tria prima recipit principia, & non plura, nec pauciora, pro quo explicando & resolvendo. I.

Notandum primò. Res naturales, seu corpus naturale, dupliciter sumi posse, primò *in fieri*, secundò *in facto esse*: quando ergò sermo est de principiis *in fieri*, tunc idem est, ac esse adhuc intra rerum generationem & productionem, & quando sermo est, de principiis in facto esse, tunc idem intelligitur, quòd jam sit producta, constituta & extra suas causas posita, & secundùm hanc duplicem acceptionem principiorum dupliciter est quoq; necesse resolvere quæstionem. II. *Res naturales aliæ in fieri, aliæ in facto esse.*

Notandum secundò. Quòd hîc non sit sermo de corpore, & re naturali, prout opponitur libero, in quosensu dicitur communiter, quòd aliæ sint causæ naturales (alio modo vocantur necessariæ) aliæ liberæ: nec prout opponitur violento, nec prout opponitur supernaturali, quâ talibus præcisè, sed pro eo, quod constat intrinsecè ex naturis, materia scilicet & forma, id est, pro composito aliquo Physico, quamvis tale compositum etiam opponatur supernaturali, saltem quantum ad essentiam; His prænotatis III. *Non sumitur naturale, prout opponitur libero.*

Dico 1. *Principia generationis, seu rei naturalis in fieri sunt tria, materia scilicet, forma, & privatio,* IV. *Rerum in fieri principia sunt tria.*

vatio, nec plura, nec pauciora. Ita cum Philosopho *hic cap. 7. Scotus q. 19.* & communis. Probatur: Illa sunt principia generationis, seu rei naturalis in fieri, sine quibus explicari vel definiri non potest generatio, sed sine illis tribus intelligi non potest, nec fieri generatio, ergò: minor, in quâ est difficultas, probatur; quia Generatio in re, nihil est aliud, quàm transitus, à non esse formæ substantialis vel compositi, ad esse ejusdem, in, & dependenter à materia, sed in hac descriptione ista tria reperiuntur, & requiruntur, ut de se patet, ergò: probatur, quia in primis requiritur id, quod transit, & est materia, vel subjectum; secundò id, à quo transit & est privatio, & ad quid transit, & est forma, ergò. Confirmatur, tùm quia his solis competit definitio principiorum suprà assignata, & non est assignabile, cui non competeret ant. cui præter ipsa competeret: tùm, quia etiam non modò substantiali mutationi convenit, sed etiam accidentali: nam in ea subjectum, quod se habet per modum materiæ, transit ad formam à privatione ejusdem, veluti à termino à quo, ergò. Sed in contra

V. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

Opponitur Authoritas Aristotelis hic cap. 6. dicentis: *Privationem esse principium ex accidente*; ergò ex mente Aristotelis, privatio non est principium per se rei naturalis in fieri. R. negando consequentiam, quia Aristoteles tantùm vult, quòd privatio non sit principium essentialiter ingrediens constitutionem & compositionem alicujus rei naturalis in facto esse, quia res manet eadem in essentiâ, sive in ejus productione positivè præcesserit privatio, sive non; unde benè dici potest, quòd sit per accidens, quamvis non sit tale, in quantum per mutationem aliquid accipit esse.

Instatur. Privatio, nec potest esse principium in fieri; ergò nulla solutio: probatur ant. ex illo vulgato: *Principium debet esse quando principiat*, sed privatio nec est, nec esse potest, quando ponitur principiatum, quia alioquin esset simul cum eo, cujus erat privatio, ergò. R. negando ant. cujus axiomatis probationem dist. Principium debet esse, quando principiat, si principiet per modum partis componentis, & essentialiter constituentis compositum Physicum, concedo ma. si solùm principiet per modum termini à quo, fit recessus, quando producitur compositum, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam. Itaq; conceptus principii, per modum termini à quo, seu à quo recedit, non est, ut sit quando principiatum est, sed potiùs ut non sit, quòd tamen fuerit, quare illud dictum tantum verum est de principio intrinsecè aliquid constituente, & de extrinseco aliquid Physicè producente, quod nihil efficere potest, nisi existat.

Urgetur. Principium & principiatum sunt correlativa; ergò si privatio est principium rei naturalis, etiam in fieri debet esse, quando res naturalis ponitur; probatur consequentia, quia correlativa sunt simul naturâ, & cognitione; ergò si privatio est principium rei naturalis in fieri, debet esse quando est principiatum; si verò non est, sequetur quòd non erit principium, quod non modò urget contra Instantiam, sed etiam contra conclusionem directè. R. dato ant. negando consequentiam hujus probationis ant. distinguo: correlativa sunt simul naturâ & cognitione positiva & propriè realia permanentia, concedo ant. correlativa negativa & successentia, nego ant. & consequentiam utramq;. Itaq; licèt communiter dicatur, quòd correlativa sint simul, hoc tamen intelligendum est de propriis & realibus, ac positivis, non verò de privativis, & quia nec universaliter illud verum est de positivis, ideò addidi signanter & permanentibus, quia prius & posterius sunt aliquo modo correlativa, & tamen, quia talia, nequeunt esse simul.

VI. *Argumentum ex vero.*

Arguitur. Non omnem generationem præcessit privatio; ergò non est universaliter verum, quòd privatio sit principium rei naturalis in fieri; probatur ant. privatio formæ cœli non præcessit in materia eorundem cœlorum, quia in eodem instanti totum cœlum fuit creatum; ergò & partes ejus; ergò privatio ejus formæ non præcessit ipsam formam. R. negando ant. cujus probat. ant. dist. privatio formæ cœli non præcessit ipsam formam pro aliquo instanti temporis, concedo ant. pro aliquo instanti naturæ, nego ant. & consequentiam. Itaq; sufficit quòd pro aliquo instanti naturæ præcesserit, licèt non præcesserit tempore.

VII. *Instantia facta.*

Instatur. Sequeretur, quòd privatio formæ cœli, & etiam ipsa forma fuerint simul in eodem instanti reali temporis, sed hoc inconvenientissimum est dicere, quia nulla duo privativè opposita simul esse possunt, ergò. R. cum Scoto, negando sequelam, quia privatio formæ cœli nunquam fuit positivè, & à parte rei, in materia cœli, sed tantùm privativè: id est, esset ibi privatio, nisi causa extrinseca dedisset illi formam in illo instanti, in quo haberet privationem formæ positivæ, & sic forma, & ejus privatio, nunquam fuerunt positivè simul in materia, pro aliquo instanti reali temporis, unde posset etiam absolutè aliter responderi ad argumentum, quòd licèt in productione cœlorum non præcesserit privatio, eam tamen præcedere omnem aliam, quâ nunc & de facto contingit ordinariè, per causas naturales, non verò de illa prima productione cœlorum, aut de aliis, quibus Deus simul cum forma produceret compositum aliquod, quod fieri nulla ratione implicat. Nec videtur Aristoteles aliud velle, prout etiam infra dicam de privatione agendo.

Dico 2. *Principia intrinseca rei naturalis in facto esse, sunt tantùm duo, materia scilicet & forma.* Hæc est Scoti *hic q. 19. conclus. 3. & com.* Probatur: Illa tantùm sunt principia intrinseca rei naturalis in facto esse, quæ tantùm sunt de intrinseca ratione ejus in tali esse, sed hujusmodi sunt tantùm materia & forma, ergò; ma. patet; quia res non dependet ab alio tanquam intrinseco, quàm à rationibus essentialibus: probatur mi. quia materia & forma sunt tantùm partes essentiales rei naturalis in facto esse, ergò: probatur ant. quia privatio non potest esse, utpote cùm privatio sit quid negativum, nihil absolutum autem & substantiale potest constitui per aliquod negativum, sicut nec absolutum, per aliquod relativum, ergò. Confirmatur,

matur, tùm quia nihil est assignabile, à quo res naturalis penderet essentialitèr in facto esse, præter materiam, formam, & privationem, sed non dependet à privatione: quia post actualem generationem privatio non manet amplius, aliàs duo privativè opposita essent simul tempore, in eodem subjecto, quod implicat: tùm quia si esset aliquid assignabile, maximè unio, sed hæc non est, ergò: probatur mi. quia unio est tantùm conditio extrinseca sine quâ non, ut infrà dicam, nulla autèm conditio ingreditur constitutionem essentialem alicujus, ergò.

VIII. Quæres 1. An prima principia sint sibi contraria? Ante resolutionem advertendum, quòd contraria sint ea, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto sese expellunt, cujus definitionis & descriptionis intelligentiam vide in Logica. Hoc prænotato R. 1. Si materia & forma, ad se invicem comparentur, nullo modo esse contraria contrarietate tali, cui competeret prædicta descriptio; *Quælibet prima principia sint sibi contraria.* Ratio est, primò, quia materia nullum habet subjectum, ex quo expelleretur; secundò, quia Aristoteles cap. de Substantia dicit, substantias nihil habere propriè contrarium; tertiò, quia materia & forma concurrunt, ad constitutionem alicujus compositi per se, quæ autèm sunt sibi contraria, non possunt sic concurrere, ad alicujus compositi constitutionem. R. 2. Si materia & privatio ad se invicem comparentur, nec illa esse sibi contraria, ratio est: quia materia & privatio, sese invicem compatiuntur, ut de se patet, quæ autèm se compatiuntur, non sunt contraria, ergò. R. 3. Si Forma & privatio ad se invicem comparentur, illa quidem esse sibi opposita, non tamen propriè contraria, ratio est: quia propriè contrarietas debet versari inter formas reales positivas & accidentales, quæ non modò se invicem expellant, sed etiam natæ sint sibi vicissim esse, sed privatio non est ulla talis forma positiva; ergò; sunt sibi ergò privativè opposita, quia privativa oppositio intercedit inter ea, quorum unum se habet per modum habitûs, & alterum, per modum carentiæ, qualitèr se habent forma & privatio.

IX. *Explicatur dictum Aristotelis.* Quæres 2. Quomodo ergò intelligendus sit Aristoteles quando dixit: *prima principia esse contraria?* R. quòd intelligi possit primò, quòd aliqua sint sibi contraria, id est oppositâ privativè, scilicet materia & forma; secundò potest etiam intelligi universalitèr de omnibus, quòd sint sibi relativè opposita; tertiò quòd sint sibi contraria, propter diversum modum principiandi, materia videlicet per modum subjecti, quod se habet nunc aliter, quàm antè; forma verò per modum informantis, seu per modum termini ad quem, & privatio per modum termini à quo; demùm possunt etiam dici contraria, in quantum habent diversas dissimilesq; entitates & naturas.

DISPUTATIO II.
DE MATERIA PRIMA.

PRimum omnium principiorum est materia, quæ ab antiquis, variis fuit compellata nominibus; Ægyptii enim eam dixerunt primæ vitæ facem, eâ ratione, quòd esset omnium substantiarum, à Creatore Deo productarum, despicatissima & vilissima, ut proinde eam hieroglyphico Lunæ adumbrarent, non quidem ratione exiguitatis, sed quòd alieno fulgeat splendore, & quòd in receptione formarum sit mutabilissima. Plato dixit eam non ens; sic enim ait in Thymæo: quid est, quod semper est, generationem autèm non habet, & quid est, quod gignitur quidem, nunquam autèm est? *Item magnum & parvum; magnum, quòd cuncta possit recipere; parvum, quòd ex se nihil possideat. Alii sinum, gremium, receptaculum, quòd formas recipiat & foveat: Alii essentiæ primæ inanem umbram; Manichæi, absurdissimi hæretici, eam appellárunt rerum corporearum formatricem, teste D. Augustino, qui proinde contra eos lib. de natura boni cap. 18 sic invehitur*: Non ea tamen Hyle ὕλη (*sic enim à Græcis dicitur*) quam Manichæus dementissimâ vanitate, nesciens quid loquatur, appellat formatricem corporum; unde rectè illi dictum est, quòd alterum Deum inducat; nemo enim formare & creare corpora, nisi Deus potest. *Divus Augustinus verò eam appellat propè nihil: sic enim loquitur de ea 12. Confess. cap. 30.* Duo Domine fecisti, unum propè te & alterum propè nihil: *quem Doctor noster sic interpretatur*: Dico, quòd loquatur de ordine entium, in genere substantiæ, & ibi est angelus ens supremum, & materia ens infimum. *Aristoteles demùm eam elementum, matrem, & subjectum vocat, de quâ etiam veluti primo subjecto & principio exordior disputationes de principiis in particulari. Sit igitur*

QUÆSTIO I.
An detur Materia Prima & quid sit?

1. Quia materia multiplicitèr accipi potest, ut proinde sciatur, de quâ hìc sit sermo, ideo prænotandum: Materiam primam, sua divisione, dividi in materiam *ex qua, in quâ, & circa quam*: Materia *ex quâ* dicitur illud, ex quo aliquid fit, veluti ex subjecto: sic statua fit ex auro, lapide, domus ex calce, lignis, & lateribus &c. Materia *in quâ* est illud, cui aliquid inest; sic Scriptura est chartæ, ligno &c. Materia *circa quam* illud est, circa quod agens aliquod occupatur & operatur. Materia *ex quâ*, iterum

subdividitur in materiam alterationis, & compositionis; materia alterationis est illa, ex quâ altera vel mutata fit aliquid; sic aqua materia alterationis dici potest, quia ex frigore alteratur ad calorem, & in similibus aliis; materia compositionis ea est, ex quâ aliquid fit licèt illa non alteretur; sic domus fit ex ligno, lapide &c. Hæc iterum est duplex; una dicitur prima, altera secunda; Prima est, quæ primò ingreditur, veluti pars materialis compositionem rei naturalis, spectata nudè & secundùm se absq; ulla forma substantiali, vel accidentali; materia secunda est eadem materia, sed considerata cum aliqua forma substantiali, vel accidentali, sic corpus, quod est altera pars viventis, dicitur materia secunda, quia licèt concurrat ad constitutionem alicujus compositi Physici, non consideratur in se tamen nudè, sed cum forma corporeitatis. Titulus itaq; quæstionis procedit de materia compositionis *Ex quâ*, & ea prima, seu secundùm se considerata.

II. *Datur materia prima.*

Dico I. *Datur materia prima.* Hæc non solùm est Aristotelis, sed etiam omnium Philosophorum & Theologorum, contra nonnullos Gallos, ab Universitate Parisiensi condemnatos, ut refert & citat eos Pontius.

Probatur primò Authoritate D. Augustini lib. 1. contra Adversf. legis & Prophet. cap. 8. ubi ait; *Neq; enim materies omninò nihil est, de quâ, in libro Sapientiæ, legitur, quia fecisti mundum, de materia informi, non ergò, quia informis dicta est, omninò nihil est, nec Deo fuit coæva, tanquam à nullo facta, nec aliu eam fecit, ut haberet Deus, de quâ faceret mundum; absit enim, ut dicatur: Omnipotens non potuisse facere, nisi unde faceret, inveniret:* & lib. 1. Gen. Contra Manichæ. cap. 6. ait: *Deus rectissimè creditur, omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi formata de istâ materia facta sunt, hæc ipsa tamen materia de omninò nihilo facta est*, ubi expresè docet: Materiam dari, eamq; non aliunde, sed suum esse habere à Deo, ita quòd non præextiterit ullò modo, tanquam necessaria, ad productionem totius universi, in quem sensum oppositè etiam agit D. Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 6. ubi etiam dicit: Deum non habere necesse, nec indigere materiâ aliquâ præexistente, ut omnia producat; verba ejus sunt: *Frustra Philosophi materiam quærunt* (id est præviam, ad hoc, ut Deus aliquid producat) *non eguit materiâ Deus; non enim officinam quæsivit, non artificem, ipse per se, in se omnia fecit, unde? de nihilo.* Si omnia; ergò etiam materiam.

III.

Dices D. Bernardus potiùs videtur ibi negare omnem materiam, quàm probare, quòd detur. R. negando ant. quia tantùm negat, quærendam esse materiam præexistentem, ut Deus aliquid producat; nam suprà clarè distinguit materiam, ab aliis rebus, & ab ipso Deo, contra Manichæos, dum ait: *Ex quo omnia, non de quo omnia: quia non est materia: Deus, causa efficiens, non materialis.* Ex quo loco clarè patet, D. Bernardum verum & communem influxum materialem admisisse, & propugnâsse, per modum subjecti.

IV.

Probatur Conclusio secundò ratione: Quando producitur ignis ex ligno, manet idem subjectum, quod fuit ante sub forma ligni, posteà sub forma ignis; sed illud subjectum manens, dicitur materia; ergò talis datur, probatur ma. quia aliàs nulla daretur generatio, vel corruptio substantialis, sed omnis productio esset creatio, & omnis destructio esset annihilatio; sed hoc est absurdum, ergò: probatur sequela: quia productio, nullo subjecto præsuppositio, est creatio, sicut & destructio, nullo subjecto remanente, est annihilatio: probatur ma. principalis. Secundò: Quia non est ratio, quare ignis, ad producendum alium ignem, destrueret formam ligni, nisi quia non potest ignem, secundùm se totum, producere, sed prærequirit etiam aliquod subjectum, in quo producat formam substantialem ignis, nempe materiam ligni; ergò materia ligni est subjectum commune; ergò ulterius vel illa materia dependet ab alia materia priori, vel non; si sic, tunc quæro, de illa: an alia iterum, & sic in infinitum; si verò non dependet, tunc habetur intentum, quia illa est prima materia, & casu, quo esset posibilis processus in infinitum, in causis essentialibus, tamen non in materia, cùm sit primum & infimum subjectum compositi finiti.

V.

Dices: Ratio, quare ignis destruit formam ligni, non est, quòd sit commune aliquod subjectum utriusq;, sed quia ignis est incompatibilis cum ligno, sed Contrà: vel ideò forma ignis est incompatibilis cum forma ligni in eodem subjecto, & si hoc asseratur, habetur intentum: quia tunc admitti debet aliquod subjectum, in quo sint incompatibiles illæ duæ formæ, vel sunt tantùm incompatibiles, in eodem loco, & tunc non est necesse, ut se invicem destruant, quia benè possunt pellere ab eodem loco, absq; eo, quòd sequatur unius destructio, quemadmodum se pellunt duo homines, ab eodem loco, sine destructione.

VI.

Probatur Conclusio tertiò: Si non daretur commune aliquod subjectum, nullæ formæ essent sibi invicem contrariæ, sed hoc asserere est contra communem Philosophiam; ergò probatur ma. quia nullæ formæ sunt sibi invicem contrariæ, & incompatibiles, nisi respectu alicujus communis subjecti, cujus petunt vicissim inesse; ergò, si non datur tale, nullæ erunt contrariæ.

VII.

Dices: Adhuc dari posse formas contrarias, licèt non sit aliquod commune subjectum, quia sunt sibi incompatibiles, respectu ejusdem loci, sed Contrà. Hinc sequeretur, quòd si lignum poneretur in spatiis imaginariis, posset habere simul formam ligni & ignis, posset simul esse calidum & frigidum, item posset homo simul vivere & mori, sed hæc sunt inconvenientia; ergò probatur sequela: quia nulla est inter illas formas incompatibilitas, nisi respectu ejusdem loci, sed tunc non esset aliquid Locus: ergò. Confirmatur, quia in triduo mortis Christi, ejus corpus mansit in sepulchro, cui Divinitas unita fuit, ut est de fide; ergò fuit tunc aliquod commune subjectum ultimum accidentium, & formæ corporeitatis, sed non aliud, quàm materia prima?

Instatur.

Instatur. Licèt ibi fuerit aliquod commune subjectum, illud tamen non fuit distinctum, à quatuor elementis, sed fuit aliquid ex iis conflatum. Sed Contrà: Quando pulvis tormentarius, per diversas vias conficitur, habétne aliquid commune subjectum distinctum, à quatuor elementis, vel est tantùm aliquid conflatum ex iis? si primum, sum contentus, si secundum, quæro, quarè minima scintilla ignis, cum accendat, & in auras evibret? & hoc non facit quarta pars ejus, quæ ibi est in illo formaliter inclusa. Sed principalitèr contra Conclusionem

VIII. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

Opponitur. Authoritas Aristotelis 1. Met. t. 8. ubi ait: *Materiam neq; esse quid* (id est substantiam) *neq; quantum, neq; quale, neq; aliquid eorum, quibus determinatur*, ad decem prædicamenta scilicet, sed inter res corporeas nihil est, quod non determinetur ad decem prædicamenta, tanquam substantia, vel aliquod accidens; ergò si materia nec est substantia, nec accidens aliquod, nihil est; ergò non datur, tanquam aliquod commune subjectum. R. 1. Aristotelem ibi loqui, non ex propria mente, sed ex mente aliorum Philosophorum Antiquorum. R. 2. Explicando Aristotelem, & disting. ma. Non est quid, neq; quantum, neq; quale, &c. id est, nihil est completum ex iis, quæ in prædicamento collocantur, concedo ma. non est quid incompletum, nego ma. & dist. similitèr inter res creatas: nihil est, nisi quod ponitur in prædicamento directè, & ut quid completum, nego mi. Indirectè, reductivè, & ut quid incompletum concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; præter illa, quæ directè in prædicamento ponuntur, sunt adhuc alia plura, scilicet omnes partes Physicæ, omnes differentiæ, proprietates &c.

Instatur. Quidquid est in rerum natura, sive illud completum, sive sit incompletum, debet posse intellectu, vel sensu percipi; sed materia non potest sensu percipi, nec intellectu; ergò non est in rerum natura: probatur minor, quia nihil potest percipi intellectu, vel sensu, nisi quod est in loco circumscriptivè, vel definitivè, sed materia non est in loco circumscriptivè, nec definitivè, ergò probatur mi. non circumscriptivè, quia sic in loco non sunt, nisi corpora, sed materia non est corpus: ergò; nec definitivè, quia non est spiritus, ergò. R. concessâ ma. negando mi. ad cujus probationis mi. dico: quòd materia prima, quando est in composito, quòd sit in loco, eodem modo, quo ipsum compositum, & si per Divinam potentiam ponatur, extra compositum, est in loco, eo modo, quo substantia completa, privatâ quantitate, est in loco, unde potest percipi etiam sensu, quando subest accidentibus, sicut forma saltem secundario & multò magis ab intellectu, cùm sit ens reale, positivum, absolutum, ut infrà dicetur, adeoq; continebitur sub objecto adæquato intellectûs nostri, vel saltem Angelici.

Urgetur. Intellectus noster, pro hoc statu, non potest colligere, dari materiam primam, nisi ex mutationibus accidentalibus, vel substantialibus, sed ex neutro colligitur; ergò non ex primo, quia etiam Angeli mutantur accidentalitèr, ad intellectionem, & volitionem neq; etiam ex secundo, quia Aristoteles 1 *de general. 23. dicit: Generationem esse mutationem totius in totum*: ergò non remanet aliquod commune subjectum, quod esset materia. R. negando mi. quia colligitur ex mutationibus materialibus; unde licet Angeli mutentur ad intellectiones, & volitiones, non sunt tamen mutationes materiales, sed spirituales: ad alteram probationem. R. 1. quòd si aliquid convinceret, quòd æq; convinceret Adversarios; nam si nihil manet; ergò etiam non manet illud conflatum, ex quatuor elementis; unde R. 2. Aristotelem intelligendum esse, de toto categorematicè sumpto, prout dicit compositum ex materia & forma resultans, non verò de toto syncategorematicè sumpto, pro toto, & singulis ejus partibus, quia sic non transit materia.

Replicatur. Si materia transiret, de uno composito, ad constituendum aliud compositum veluti pars essentialis, sequeretur, quòd duo individua essent ejusdem speciei, & non essent, item quòd essent idem numero, & non essent, sed hoc est inconveniens: ergò probatur sequela, quia ignis componeretur tàm benè ex materia eadem, ex quâ erat compositum lignũ, deinde materia ligni, esset materia ignis, & sic esset ignis & lignum idem numero, & non esset, quia essent diversæ speciei. R. negando sequelam, ad primam probationem dico; quòd nullum compositum specificetur ex ratione genericâ, sed ex ratione specifica: unde quia materia prima est genus Physicum, ideò non debet specificare individua, in quibus est, sicut nec specificat animalitas illa, in quibus est. Ad secundam probationem, nego suppositum, videlicet quòd per materiam singularia individuentur, quia ut dixi in Logica, materia non est principium individuationis.

IX. *Argumentum ex ratione.*

Arguitur: Si daretur materia prima, quotiescunq; aliquid nutriretur, mutaretur essentialitèr, sed hoc videtur inconveniens, ergò: probatur sequela, quia in nutritione acquireret novam materiam, sed nova materia est nova pars essentialis, ergò R. negando sequelam ma. quia nullum totum mutatur essentialitèr, propter mutationem ejus materiæ, nisi mutatio sit totalis, hoc est: nisi adveniat tota materia de novo; illa materia autèm quæ in nutritione de novo advenit, est potiùs dicenda partialis pars, quàm essentialis. Sed

Instatur. Si tradita doctrina de materia, prima tenet, non poterit salvari resurrectio mortuorum; ergò talis doctrina non est admittenda: ant. probatur, quia si quis nutriretur carnibus humanis, converteret illas in suam propriam substantiam, & consequentèr illa alia anima non veniret ad judicium in propria carne, contra sacram Scripturam. R. quod in tali casu illa materia separabitur, ab eo cujus fuit nutrimentum, & postea informabitur ab anima à quâ antea fuit informata, anima autèm nutriti informabit partes illas, quæ in decursu vitæ defluxerunt; nam istæ sunt, quæ pertinent ad veritatem resurrectionis, & si tales partes jam essent annihilatæ, Deus eas subministrabit, per retroductionem, vel alias æquivalentes.

X. *Aristoteles plures materiæ dedit definitiones.*

Quantum Ad alteram partem tituli, Aristoteles plures definitiones, seu descriptiones materiæ dedit, nam imprimis secundùm aliquos, eam descripsit 7. Met. t. 8. per illa verba, dum ait: *Quod materia est, quæ per se ipsam, neq; est quid, neq; quantum, neq; quidpiam eorum, quibus ens determinatur,* Ita, ut explicari sic posit, quòd materia non sit substantia completa ex se ullo modo determinata ad aliquam certam speciem, sed quòd sit indifferens, nec sit quantitas, aut ulla forma substantialis, vel accidentalis, quæ explicatio licèt bona sit, & sufficientèr naturam materiæ declaret attamen magis describit, quid non sit, quàm quid sit. Secundò definit Aristoteles materiam supra. t. 69. sic: *Materia est quædam substantia, quæ ita se habet ad formas naturales sicut æs, & lignum, ad formas artificiales.* Verùm tamen, nec hæc sufficientèr essentiam ejus exprimit. Nam licèt se eodem modo habeat, ad formas naturales, sicut æs, aut lignum ad formas artificiales: attamen non declarat qualitèr, num sit pars potentialis compositi per se, si enim se haberet, ut æs, & lignum completè, nihil per se ex eâ resultare posset. Tertiò deniq; definit eam lib. Phys. cap. 9. t. 82. hoc modò: *Materia prima est primum subjectum cujuscq; rei, ex quo fit aliquid, cùm insit, non secundùm accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit ultimum,* quam definitionem communitèr recipiunt Authores, paucis immutatis; unde dicunt, quòd materia sit illud, ex quo quidpiam fit, non per accidens, sed per se, tanquam ex subjecto primo, quam proinde

XI. *Posterior bona est.*

Dico 2. *Bonam esse,* & Probatur explicando omnes ejus particulas: dicitur: *Ex quo quidpiam fit,* ad removendas causas extrinsecas, ex quibus nihil essentialitèr fit, & constituitur. Dicitur *non per accidens,* per quam excludi posset privatio, quæ non per se ingreditur constitutionem, sed ne fortè difficultas moveatur, quasi etiam esset tantùm principium per accidens, & non per se alicujus generationis, adeoque non plus deberet numerari inter principia, quàm forma præcedens, aut compositum desinens, ideò dico, quòd hæc, & sequens particula *per se* conjunctim claritatis majoris gratiâ positæ sint, ad excludenda subjecta omnia, sive corporea, sive incorporea, quæ ex ipsis & accidentibus coalescunt, & dicuntur composita, per accidens qualia sunt homo albus, angelus sapiens. Dicitur *tanquam ex subjecto* per quod excluduntur formæ substantiales, ex quibus res componuntur, sed non veluti ex subjecto. Ponitur deniq; *Primò* ut excludatur materia secunda, seu substantia completa, aut aliquod compositum ex aliquo priori factum. Unde patet, Materiam esse substantiam incompletam, substantiam quidem, quia cùm sit primum subjectum, non potest habere aliud subjectum, & consequentèr non poterit esse accidens; incompleta verò, quia cùm ex ea fiat substantia completa, seu totum substantiale, sequitur, debere eam compleri, per alteram partem.

QUÆSTIO II.

An Materia sit generabilis, & corruptibilis?

Suppono Contra Camerarium, & alios, quos pro se citat, Materiam esse quid distinctum ab Elementis, sive collectivè sumptis, sive disjunctivè, seu tàm benè ab unoquoq; eorum, quàm ab omnibus simùl, & hoc videtur hac ratione sufficientèr deduci & proferri posse, quia in qualibet materia datur aliqua forma, sed hujusmodi forma non est alicujus elementi, minùs omnium; ergò materia non est unum, aut plura elementa: probatur mi. quia forma illa non faceret unum per se, quia ex ente completo & alio, sive completo, sive incompleto, non fit unum per se, sed unum per accidens; illa autem materia, sive esset unum elementum, sive plura, esset unum completum; ergò non posset concurrere, ad constituendum unum per se. Probatur idipsum secundò, quia elementa sunt composita ex materia & forma, materia non est sic composita; ergò elementa non sunt materia; probatur ant. tùm, quia elementa sunt resolubilia, habent enim qualitates contrarias, ratione quarum tales resolutiones fieri solent; quæ enim sunt irresolubilia, tales qualitates non habent; ut patet de cœlis & spiritibus: tùm, quia ignis, verbi gratiâ, de novo generatur; ergò fit ex aliquo præsuppositò: aliàs crearetur, sed illud est materia prima, & similitèr ignis desinit esse, non desinit autem secundùm se totum, aliàs crearetur; ergò aliquid manet, quod erit materia, & sic discurre paritèr de aliis elementis, quæ omnia sunt generabilia & corruptibilia, si non immediatè, saltem mediatè. Hoc præsuppositò

I. *Materia quid distincta ab Elementis.*

Quantum ad quæstionis titulum attinet, indubitatum est, materiam primam esse generabilem & corruptibilem, sumendo generationem pro quacunq; rei productione & desitione, quomodocunq; fiat: cùm enim sit ens finitum, potest à Deo produci & destrui, prout defacto producitur & destruitur, in speciebus Eucharisticis; hoc quidem, per verba Consecrationis; alterum verò, dùm ex speciebus generantur vermes; Verùmtamen hîc tantùm sermo est, de generatione & corruptione, in sensu rigoroso, seu pro inceptione rei ex præsupposito subjecto, in quo sensu dupliciter considerari potest, subjectivè, & objectivè, seu terminativè: subjectivè dicitur aliquid generabile, vel corruptibile, quatenus scilicet est subjectum & radix generationis & corruptionis; terminativè verò, quod est terminus generationis & corruptionis, seu, quod per generationem accipit esse de novo, vel quod per corruptionem, destruitur. Hoc præmisso

II. *Materia generabilis & corruptibilis.*

Dico 1. *Materia est ingenerabilis & incorruptibilis objectivè, seu terminativè.* Ita Doctor 1. Phys. q. 2. & 7. Met. q. 8. & 2. d. 12. q. 2. n. 8. quatenus videlicet dicit, quòd sit terminus creationis.

Probatur primò: Authoritate S. Augustini. lib. 12. Confess. cap. 6. ubi ait: *Materia*

Materia est mutabilitas corporum, quâ hæc desinunt esse, quod fuerant, & incipiunt esse, quod non erant, & paulò infrà: *Materia est mutabilitas rerum mutabilium, capax formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles.* Ex quibus locis satis deducitur, sanctum Patrem adstruere, ipsam esse ingenerabilem & incorruptibilem, quia ipsa est subjectum omnium aliarum mutationum; ergò ipsa mutari non debet.

IV. Probatur secundò authoritate, & verbis Aristotelis supra l. 82. ubi sic habet: *Necesse est namq; neq; oriri, neq; interire; nam si oriatur aliquid primum, subjici oportet, ex quo insit, oriatur, quæ quidem est ipsius natura, quamobrem erit, antequam fiat; dico enim materiam primum subjectum uniuscujusq;, ex quo aliquid fit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum, quare erit interempta, antequam intereat.* Ex quibus verbis Doctor sic argumentatur supra: si materia esset generabilis, sequeretur quòd esset antequam fieret, & si corrumperetur, sequeretur, quòd esset aliquid, postquam corrupta est, sed hoc est inconvenientissimum, & absurdum. ergò, probatur sequela; quia omne agens naturale, in quacunq; generatione, secundùm Aristotelem, præsupponit aliquod subjectum, quod dicitur materia; ergò si materia generaretur, præsupponeret seipsam, & sic esset, antequam generaretur; Eodem modo, quandocunq; aliquid corrumpitur, debet remanere illud, in quod res corrupta resolvitur, sed res corrupta resolvitur in materiam; ergò si materia corrumperetur, maneret, postquam esset corrupta, quæ omnia sanæ doctrinæ sunt valdè dissona.

V. Probatur Conclusio adhuc aliter, ex ratione deducta quoq; ex Scoto: si materia esset generabilis, sequeretur quòd daretur transmutatio & in quâ tamen nihil transmutetur, sed hoc est impossibile, ergò probatur sequela; quia in illa transmutatione, quâ acquiritur materia, vel aliquid transmutatur, vel nihil: si nihil; ergò datur mutatio, in quâ nihil transmutatur; si aliquid illud vel est materia prima, vel aliud non primum; quia ipsa materia est, quæ acquiritur, per istam trasmutationem, & consequentèr non esset subjectum ejus; nec secundum, quia illud aliud esset subjectum, & sic materia prima non esset primum subjectum.

VI. Probatur tertiò: Eatenus agens corrumpit aliquid saltem defacto, quatenus introducit aliquam formam in materiam, quæ est destructiva prioris; sed non potest introduci aliqua forma destructiva ipsius materiæ; ergò ma. patet mi. probatur: si illa forma esset destructiva ex natura materiæ, esset etiam destructiva suiipsius, sed impossibile est, aliquam formam esse destructivam sui ipsius, quia omnis res naturaliter conatur seipsam conservare, in quantum potest, ergò min. patet, probatur ma. Illa forma ex natura sua petit conservari in materia, ita ut ex natura sua non possit conservari extra eam; ergò si ex natura sua est destructiva materiæ, erit etiam destructiva sui ipsius. Confirmatur: quia in omni generatione & mutatione manet aliquid in genito, quod erat in corrupto, sed non aliud, quàm materia; ergò materia est ingenerabilis & incorruptibilis. Deinde si deberet præsupponere aliam, illa alia tertiam, & tertia quartam, & sic in infinitum. Sed in contra.

VII. *Argumentum in contrarium primum.*

Arguitur. Si materia esset ingenerabilis & incorruptibilis, esset perfectior composito, sed hoc est falsum; ergò materia est generabilis & corruptibilis, probatur ma. Omne incorruptibile est perfectius omni corruptibili, ergò. R. negando ma. ad prob. dist. ant. Omne ens completum incorruptibile est perfectius corruptibili, concedo ant. quale ens est Deus, Angeli &c. Omne ens incompletum, quale est materia prima, nego ant. & consequentiam, nam materia prima est ens incompletum manétq; incorruptibile, propter imperfectum agendi modum agentium naturalium, quæ semper prærequirunt subjectum, in quod agant, & in quo suos producant effectus, nec possunt rem producere, ex nihilo, nec etiam redigere in nihilum, adeoq; compositum est perfectius, quàm materia.

Instatur. Agens naturale continet in sua virtute totum compositum, & consequentèr etiam materiam: sed quod continetur in virtute agentis naturalis, potest generari; ergò materia prima potest generari. R. dist. ma. totum compositum categorematicè & per se sumptum, concedo ma. totum compositum syncategorematicè, id est secundùm singulas partes sumptum, nego mi. Itaq; agens naturale non continet in sua virtute materiam, quantum ad productionem & generationem ejus.

Urgetur. Quod potest producere perfectius, potest etiam imperfectius: sed totum est perfectius materiâ: ergò, quod potest producere totum, potest etiam materiam. R. negando mi. quia licèt homo possit producere hominem, non potest tamen producere equum, vel asinum & asinus licèt possit asinum, non tamen lignum, licèt homo sit perfectior asino, & asinus ligno.

VIII. *Secundum.*

Arguitur 2. Omne habens materiam, corrumpitur propter materiam, quia materia est causa corruptionis; ergò materia ipsa est magis corruptibilis: probatur consequentia ex illo communi axiomate propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale. R. negando consequentiam, ad axioma dico, illud tantùm verum esse, quando illud, de quo fit comparatio, suscipit magis & minus, & ipsum convenit utriq; comparatorum. Vide dicta in Logica.

Instatur. Sicut se habet subjectum alterationis, ad alterationem; ita subjectum generationis, ad generationem; sed subjectum alterationis semper denotatur alterari; ergò & subjectum generationis generari & corrumpi. R. concessâ ma. dist. mi. sed subjectum alterationis semper denotatur alterari subjectivè, vel terminativè: trãseat ma. terminativè semper nego mi. Itaq; neq; materia, neq; compositum, denominatur terminus alterationis, sed sola qualitas, quia hæc sola accipit suum esse simpliciter, per alterationem; materia ergò subjectivè dicitur alterari, vel corrumpi, ut suprà.

Dico

IX. *Est generabilis subjectivè.* Dico 2. *Materia prima est generabilis & corruptibilis subjectivè.* Hæc etiam est Scoti supra & communis, habetq; hunc sensum, quòd materia sit subjectum, in se recipiens terminum à quo, & ad quem generationis. Probatur: Illud quod subjicitur termino à quo, & ad quem, generationis & corruptionis, potest denominari generabile & corruptibile; sed materia subjicitur termino à quo, & ad quem generationis; ergò est generabilis & corruptibilis: probatur mi. quia privatio & forma sunt termini à quo, & ad quem, sed his subjicitur, ut de se patet, ergò. Confirmatur: Quia materia transit à privatione ad formam, & sic dicitur generari: quia in se recipit illud, quod generatur; & econtrà transit à forma ad privationem, & sic potest dici corrumpi: ergò.

X. Dices: Nihil dicitur generabile & corruptibile, nisi in quo formaliter est generatio & corruptio, tanquam in subjecto, sed hæ non sunt in materia, tanquam in subjecto: ergò mi. probatur, quia generatio activa fundatur in agente, passiva verò in termino producto, per generationem activam. R. dist. mi. Generatio non est immediatè in materia, tanquam in subjecto immediato; prout generatio dicit mutationem, nego mi. non est in materia immediatè prout dicit productionem, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; notandum ex Scoto, quòd generatio dupliciter spectari possit, seu dicere duo: semel mutationem, & altera modo productionem, si itaq; consideretur generatio, prout mutatio est, tunc immediatè inest in materia, si verò spectetur, ut est productio, tunc nonnisi mediatè, ratione termini formalis istius productionis, scilicet ratione formæ, quæ est in materia, veluti in suo subjecto immediato, mutatio enim est in illo, quod nunc aliter se habet, quàm ante.

XI. *Est simpliciter ingenerabilis.* Dico 3. *Si Propriè quis loqui velit, materia est simpliciter ingenerabilis.* Hanc non puto posse multùm in controversiam vocari, probo eam tamen sic: Illud non dicitur propriè esse generabile & corruptibile, quod tale tantùm est per accidentalem denominationem, sed materia est talis per accidentalem denominationem, ergò. Probatur mi. quia illud omne potest dici accidentalis denominatio, quod non ingreditur constitutionem & naturam ejus, sed generatio & corruptio non ingrediuntur constitutionem materiæ, ergò.

QUÆSTIO III.

An materia sit pura potentia, ita, ut nullum includat actum?

I. *Explicatur sensus quæstionis.* Olim Circa hanc materiam, grave inter Authores fuit litigium, maximè inter Scotistas & Thomistas, & quamvis modernis temporibus solis discrepent vocibus, ita, ut re non negent ipsi, quod asserimus nos, non erit tamen absre, si hanc materiam quoq; proponam hìc. Pro cujus rei intelligentia

Notandum primò: Sensum quæstionis non esse, an materia prima, ut est ens verè possibile, sit pura potentia subjectiva, quia tunc certum est, quòd sit pura potentia & si sic quis loqui vellet, tunc potius dicere deberet, quòd sit in potentia, quàm quòd sit potentia, est ergò magna diversitas inter illud, quod est potentia & illud quod est in potentia, sed controversia est, an materia, prout existit, à parte rei, sit pura potentia, ita ut nullum omninò actum includat, sive formalem, sive entitativum? unde

Notandum secundò: Tàm potentiam, quàm actum multiplicitèr accipi posse, primò enim & in laxiori acceptione Potentia dividitur *in activam & passivam*: Activa illa est, quæ aliquid potest producere agendo, talem habet ignis ad calefaciendum, ad producendum alium ignem &c. Potentia passiva est, quæ potest in se recipere aliquam formam, ut potentia, quam habet paries, ad recipiendam albedinem, materia prima, ad recipiendam formam substantialem. Potentia passiva adhuc duplex est: una Physica, altera Metaphysica; *Physica* est potentia, ad aliquid recipiendum, quod est realitèr distinctum à se ipso; *Metaphysica* ea est, quam habet aliqua formalitas, ut possit determinari per aliam formalitatem, ut animalitas determinatur per rationalitatem, brutalitas per gannibilitatem, rudibilitatem &c. & sunt omnia genera & omnia superiora, quia omne genus & superius potest contrahi per inferius, seu est in potentia ad differentiam inferioris, & hoc est, quod Aristoteles genus frequentèr vocat materiam. II. *Potentia multipliciter accipitur.* V. VI. *Materia nata fieri pura potentia objectiva.*

Notandum tertiò: Magis propriè ad propositum nostrum Potentiam adhuc aliam esse objectivam, aliam subjectivam: Potentia *objectiva* ea dicitur, quam habet aliqua res, ad existendum, quando non actualitèr existit positum, extra suas causas, sic Anti-Christus habet potentiam objectivam ut possit esse, & hæc potentia ideò dicitur objectiva, quia consequitur rem, ut est objectum alicujus potentiæ productivæ, potentis illam ineffe simpliciter producere, ut proinde ad eam duo requirantur, primò, ut res actu non existat producta, secundò, ut non involvat implicantiam & repugnantiam, ad producendum. Potentia *subjectiva* est ens aliquod, actu existens, extra suas causas, quod licèt actu existat, est tamen adhuc capax ulterioris perfectionis, seu formæ advenientis, sive substantialis, sive accidentalis, & si respiciat formam substantialem, dicitur habere potentiam essentialem; si accidentalem, tunc dicitur esse in potentia accidentali, seu actuali, unde eadem res potest esse potentia subjectiva & in potentia objectiva; subjectiva, in quantum est aliquod tale ens potens & capax, per formam supervenientem, essentialitèr vel accidentalitèr perfectionari, & in potentia objectiva, quatenus tale est, antequam productum fuit, non involvebat implicantiam ad productionem, & secundùm hoc frequentèr Doctor subtilis dicit, subjectivum & objectivum ejusdem rei solâ ratione distingui. III. *Potentia objectiva alia subjectiva.* IV. *Actus tot modis accipitur quot potentia.* VII.

Notandum, Actum quoq; tot modis accipi posse, quot modis accipitur potentia; nam

nam omnis potentia dicit ordinem ad actum; unde actus correspondens potentiæ objectivæ, quæ est ipsa rei alicujus actualis existentia; actus correspondens potentiæ subjectivæ, est illud ens, quod in certa & determinata specie potentiam subjectivam ultimatè complere potest, qui proinde alio nomine vocatur formalis, seu informans & actuans subjectum, scilicet, vel materiam; primus autèm dicitur actus entitativus, seu actus existentiæ rei, scilicet extra suas causas positæ; Actus formalis est duplex etiam, Physicus scilicet, & Metaphysicus: *Physicus* est actus materiam Physicam actuans, *Metaphysicus* verò, qui actuat materiam Metaphysicam, & sunt differentiæ essentiales rerum.

V. His præmissis Circa hanc materiam, ut dixi, duplex est sententia: Prima est D. Thomæ 1. p. q. 7. art. 2. ad tertium, & alibi sæpè, qui dicit, materiam esse puram ita potentiam, ut nullum prorsus ex se ipso habeat actum, sive formalem, sive entitativum, quem sequuntur Thomistæ. Secunda verò est Scoti & suorum 2. d. 12. q. 1. n. 7. qui docent materiam habere actum entitativum, quos, præter Thomistas, ferè omnes sequuntur: cum quibus ad quæstionem

VI. Dico: *Materia prima non est pura potentia objectiva, sed habet verum actum entitativum, est tamen pura potentia subjectiva, ita quòd non includat in se aliquem actum formalem.* Prima est Scoti suprà, sicut etiam secunda maximè in reportat: q. 1. n. 13.

Probatur prima pars Conclusionis ex authoritate & verbis Doctoris n. 11. ubi hæc habet: *Qui ergò dicunt, quòd materia sit ens in potentia* (id est objectiva) *& quòd manet esse in potentia, sicut illud ens in potentia quod nondum est, sed tantum est in virtute suæ causæ, non possunt salvare mutationem aliquam, quia tunc nihil esset præsuppositum agenti, quia quod sic est in potentia, non plus est, quam albedo, quæ post unum, aut alterum annum erit, imò est nihil; unde si materia est tale ens in se, seu in potentia, non esset aliqua mutatio, quia nihil esset, nunc aliter se habens, quam prius, & per consequens materia non esset subjectum alicujus mutationis, sed terminus, quare qui asserunt materiam esse puram potentiam objectivam, negant omninò materiam.* Ex his, & aliis rationibus, hic & alibi

Probatur 1. pars Conclusionis: Materia prima est actuale subjectum formarum substantialium; ergò non est pura potentia objectiva, sed includit aliquem actum entitativum; probatur consequentia, quia, quod non est entitas realis, actu existens, non potest esse verè subjectum realiter susceptivum formarum substantialium; ergò cùm materia prima sit tale ens, etiam secundum Adversarios, non est pura potentia objectiva.

VII. Probatur secundò: Materia prima est causa actualis, saltem partialis compositi actualis realis Physicè posita, extra suas causas; ergò materia prima ipsa est entitas actualis posita, extra suas causas; & consequentèr non erit pura potentia objectiva, sed habebit actum etiam entitativum.

VIII. Secunda pars Conclusionis probatur etiam authoritate & verbis Scoti suprà num. 13. ubi sic loquitur: *Dicitur etiam materia esse ens in potentia, quia ens receptivum actûs substantialis primò, & accidentalis mediante formâ substantiali, & ideò, ut aliquo modo dicatur ens in actu, prout ens distinguitur in actu, contra esse in potentia suæ causæ; quia est aliquid extra causam suam, tamen distinguitur, contra actum distinguentem & completum speciei, & ideò describitur ens in potentia, quia est maximè receptivum actûs, non quòd omninò non sit ens, nisi in potentia, sicut anima Antichristi*: Ex quibus verbis

Probatur eadem secunda pars Conclus. Materia prima est Physicè simplex; ergò non includit duas res, quarum una sit receptiva, & altera receptibilis; probatur ant. Quia primum subjectum ex materia & forma aliàs præsupponeret aliud subjectum, sed materia prima est primum subjectum: ergò. Deinde materia prima non est receptibilis in aliud subjectum, sed materia prima, si esset actus formalis, esset ex natura sua receptibilis in aliud subjectum: ergò. Sed contra Resolutionem

IX. Opponitur Congeries Authoritatum, & primo D. Augustini, qui materiam vocat *nihil & propè nihil*, in libris Confess. suprà: Platonis, qui dixit: materiam esse medium, inter ens & non ens, ac deniq; ipsius Aristotelis 1. de generat. cap. 5. ubi dicit: *Materiam esse, cujus essentia in ipso consistit posse.* Verùmtamen R. has & omnes similes Authoritates nihil contra assertionem concludere; Nam inprimis Gloriosissimus S. Doctor August. tantùm vult, quòd materia nihil habeat de forma Physica, non verò quòd non habeat formam Metaphysicam, ita, quòd nihil sit forma, non verò quòd nihil sit entitatis; quia si perpenduntur benè ejusdem Sancti Doctoris verba suprà, tunc clarè deprehendetur, quòd licèt materiam vocet nihil, dicit tamen hoc nihil non esse omninò nihil, id est, entitatis licèt sit nihil formæ. Ad Platonem dico, eum per ens intelligere vel formam, quæ est perfectius ens, vel compositum, quod est ens completum, & per non ens imperfectius formâ, quod est incompletum, cujusmodi est materia prima. Ad Aristotelem deniq; respondeo, quòd dicat materiæ essentiam consistere in potentia Physica, non verò in potentia objectiva. Sed *Opponitur D. Augustinus & solvitur.*

Instatur. Aristoteles 6. & 9. Met. divisit ens in actum & potentiam, sed si materia prima non esset ens in pura potentia, mala esset divisio; ergò materia est talis, non modò est ens in potentia Physica, sed etiam entitativa: probatur minor, quia tunc non daretur ullum ens in pura potentia objectiva. R. dist. ma. divisit ens in actum & potentiam objectivam, nego ma. in ens objectivum & subjectivum, seu in potentiam objectivam, & potentiam subjectivam, concedo ma. & nego mi. ad cujus probationem dico: quòd nullum detur ens subjectivum in pura potentia objectiva; per hoc tamen non erit adhuc mala divisio, quia est per differentias, quæ non sunt oppositæ, nisi respectu ejusdem, & sic possunt eidem competere, re-

spectu diversorum, nec hoc dicere aliquid novum est, quia etiam ipse Aristoteles divisit quantitatem, in æqualem & inæqualem, cùm tamen non sit necesse, ut aliqua quantitas sit ita æqualis, ut nullo modo sit inæqualis, cùm nulla talis sit, & eodem modo habet se res in proposito.

Urgetur. Omnis actus, vel est informans, vel subsistens, sed materia prima nec est actus informans, nec subsistens; ergò materia prima non est actus; probatur mi. non informans, quod certum est, nec subsistens, quod probo; quia actus subsistens non indiget alio subsistente & sustentante, sicut informans, adeoq; perfectior est. R. dist. ma. omnis actus Physicus, vel Metaphysicus, est informans, vel subsistens, transeat ma. omnis actus entitativus est informans, vel subsistens, nego ma. quia talis actus nihil est aliud, quàm entitas ipsius rei existentis. R. 2. negando mi. pro secunda parte, ad cujus probationem dico, actum entitativum suo modo informare, & perficere ipsam potentiam objectivam, id est secundùm esse objectivum ipsam materiam.

X. *Argumentum ex ratione.*

Arguitur: Ex duobus entibus in actu, non fit unum per se, sed materia & forma sunt duo entia in actu, secundùm nos; ergò non faciunt ens per se, quale debet esse compositum naturale R. dist. ma. Ex duobus entibus completis in actu, non fit unum per se, concedo ma. In completis prout est in proposito, maximè si unum sit in pura potentia Physica, & alterum sit actus Physicus, ut est materia & forma: nego ma. Eodem modo respondet fusè Doctor in secundo supra & in report. n. 17. & 19. ubi ostendit, quantum potest, quare aliqua duo & quænam faciunt ens unum per se. Item quænam sint, quæ non faciunt, & quare non faciunt.

Instatur. Ens completum, & incompletum non differunt, nisi accidentalitèr, & consequentèr sunt ejusdem speciei; ergò, si repugnat enti completo, in actu facere ens per se, repugnabit etiam enti actu incompleto. R. 1. Si Instantia valeret, probaret etiam, quòd forma, quæ est ens incompletum, non faceret ens unum per se, ob eandem rationem. R. 2. dist. ant. Ens completum & incompletum, sub eodem genere non differunt, nisi accidentalitèr, ut albedo ut duo, & albedo ut octo: transeat; si sint sub diverso genere, nimirum actûs & potentiæ, ut est in proposito, nego ant. & consequentiam.

XI. *Secundum.*

Arguitur Secundò: Materia prima haberet actum entitativum Metaphysicum, distingueretur per ipsum, ab omnibus aliis rebus, hoc non potest dici: ergò, probatur mi. Omnis distinctio positiva est à forma, ergò, si materia distingueretur ab omnibus aliis rebus, deberet habere formam, & sic non esset pura potentia Physica. R. negando mi. cujus probationis ant. dist. est à forma Physica, vel Metaphysica, concedo ant. à forma Physica semper, nego ant. & similitèr dist. consequens deberet habere formam Metaphysicam, vel Physicam, concedo consequentiam, Physicam semper, nego consequentiam, quia etiam Angeli distinguuntur specie positivè, & tamen non includunt formam Physicam. Sed

Instatur. Ad hoc, ut aliquid habeat formam, vel differentiam Metaphysicam, debet habere radicem, seu principium, unde desumatur, sed in materia prima non potest assignari aliquod tale principium, aut radix; ergò non poterit habere formam Metaphysicam. R. negando mi. Entitas enim realis & Physica materia est tale principium, quæ est diversæ naturæ, ab alia entitate reali & Physica, & hoc est non modò in materia, sed etiam in aliis omnibus naturis.

Urgetur. Si Materia prima haberet aliquem actum Metaphysicum, constitueret cum ipso aliquam speciem, sed non constituit, ergò: probatur mi. quia alioquin esset collocabilis in prædicamento; sed non est; ergò; probatur mi. quia non ad omnes species, utpote cùm non participet naturam omnium, nec etiam ad aliquam unam, quia non est ratio, cur potius ad hanc, quàm ad illam. R. dist. ma. constitueret aliquam speciem completam Physicè, nego; incompletam Physicè, & Metaphysicè completam, concedo ma. & distinctâ similitèr minori, nego consequentiam. Ad probationem mi. R. negando, quia potest saltem indirectè & reductivè reduci ad illam speciem substantiæ materialis Physicæ completæ, quam componit, sicut pars potest reduci ad totum.

QUÆSTIO IV.

An Materia prima existat propriâ existentiâ, vel existentiâ formæ?

Hæc quæstio, quoad resolutionem, totalitèr dependet à priori; nam si tenetur, quòd nullum habeat actum entitativum, consequentèr teneri debet, quòd non existat existentiâ propriâ: unde Thomistæ negantes ei actum entitativum, paritèr negativè respondent ad titulum; verùmtamen quia præcedentem resolvi affirmativè; ideò cum Scotistis & Neotericis communitèr ad quæstionem I.

Dico: *Materia prima non existit existentiâ formæ, sed suâ.* Ita Scotus in 2. d. 12. q. 1. & 2. II. *Materia existit existentiâ propriâ.*

Probatur primò: Ratione desumpta ex Aristotele *7. Met. t. 13. ubi dicit: Actum esse, quod distinguit unam rem, ab alia,* sed materia prima distinguitur realitèr à forma substantiali, quia sine illa existere potest, ut dicam infrà; ergò habet aliquem proprium actum, per quem existat; ergò non existet per formam, seu per ejus existentiam, sed per propriam.

Probatur secundò: Nihil prius potest existere per existentiam posterioris, sed materia prima est prior, quàm forma aliqua substantialis materialis & Physica; ergò materia prima non potest existere per existentiam formæ, sed existet per existentiam propriam; consequentia videtur esse optima: nam si prius materia existit, quàm existat forma, ergò prius habebit existentiam, quàm existat forma, quia omnis res per suam existentiam existit, ma. etiam patet: quia existentia posterioris non potest

potest esse, antequam sit illud, quod est posterius; restat ergò sola probanda minor: Materia est subjectum primum & immediatum omnis formæ substantialis, & omnis formæ materialis; causa verè in eam influens, sed omnis causa est prior saltèm naturâ, quàm sit in quod influit suam causalitatem; ergò materia saltem naturâ erit prior, quàm sit forma & consequenter non poterit existere, per existentiam formæ, cùm existentia formæ non sit ante ipsam formam. Confirmatur: Concursus materialis est influxus, & aliquo modo operatio, sed priùs est, rem esse & existere, quàm operari; ergò in illo priori, quo materia concurrit, ad productionem, seu eductionem formæ, existit materia & non existit forma; ergò pro illo priori materia non existit per existentiam formæ, quia pro illo priori forma nondum existit, alioquin prius esset, quàm haberet existentiam suam.

III. Dices: Quòd licèt in illo casu, quo materia concurrit, ad productionem vel eductionem formæ, non existat forma producenda, verbi gratiâ: Ignis in materia ligni: existit tamen prior formâ, id est formâ ligni, per quam tunc existit, atq; adeò non existit sine forma, sed Contra implicat: materiam ligni existere per formam ligni, quando ignis producitur, quia pro eodem instanti, quo producitur forma ignis, destruitur forma ligni, quia ista expellitur per formam ignis jam productam; ergò in illo instanti non est existentia formæ ligni; ergò pro illo instanti non poterit per illam existere.

IV. Probatur Conclusio secundò: Ex Ente & non ente simplicitèr, non fit aliquod ens simplicitèr, tanquam ex parte essentiali, sed ex materia prima fit compositum Physicum, quod est ens simplicitèr; ergò materia est ens simplicitèr; ergò ulterius per propriam existentiam existens; probatur hæc consequentia, quia quod est in potentia objectiva tantùm, est tantùm secundùm quid tale, sed quod non est existens, est tale tantùm in potentia objectiva.

V. Dices: Hinc tantùm sequi, quòd materia existat per existentiam formæ. Sed ècontra: ipsa existentia formæ dependet ab existentia materiæ, seu à materia existente, tanquam à causa materiali, quia forma dependet in esse & conservari à materia naturalitèr; sed quod dependet à causa existente, dependet ab existentia causæ, saltem tanquam à conditione; ergò existentia formæ dependet à se, vel à forma, tanquam causâ, quod non est intelligibile, vel datur materiæ existentia, à quâ dependeat utraq;, tanquam à causa vel ad minùs tanquam à conditione.

VI. Probatur Conclusio tertiò: Omnis actio realis causæ efficientis habet pro termino aliquid ut existens; ergò ubi sunt duæ actiones realitèr distinctæ & habentes terminos realitèr distinctos, quilibet ex ipsis terminis debet habere existentiam sibi correspòndentem, sed actio productiva materiæ, & actio eductiva formæ sunt actiones reales distinctæ rationis, quia una est creatio, & altera productio generatioq;, habent quoq; terminos realitèr distinctos, una materiam, altera formam; ergò tàm materia, quàm forma debent habere proprias existentias.

VII. Probatur Conclusio quartò: Si existentia materiæ esset eadem cum existentiâ formæ, sequeretur quòd quotiescunq; generaretur, vel corrumperetur forma, vel compositum substantiale, quòd toties generaretur & corrumperetur materia; sed hoc est contra ipsos Adversarios & dicta superius, ubi demonstravi, materiam esse simplicitèr ingenerabilem & incorruptibilem; ergò; probatur sequela ma. Quia quando res perdit existentiam, non existit, aliàs posset res existere, quæ nullum haberet existentiam, sed destructâ formâ, quam materia prima habet, destruitur existentia, quâ materia prima existit; quia est eadem existentia utriusq;; ergò, destructâ illâ formâ, destruitur materia, ab agente creato; ergò destructâ alterâ formâ, paritèr destruitur, & sic de cæteris: probatur etiam mi. quia ipsi Adversarii dicunt, esse idem subjectum in genito & corrupto, & etiam dicunt materiam non generari vel corrumpi, cùm sit terminus creationis: ergò habet materia existentiam, distinctam ab existentia formæ, vel debebunt prædicata contradictoria eidem rei competere, concedere, existentiam nimirum & non existentiam. Sed

VIII. Dices: Non secuturum inde materiam esse generabilem vel corruptibilem, quia ad hoc, ut aliquid corrumpatur, aut destruatur, requiritur, quòd transeat ab esse, ad non esse, & ut generetur à non esse, ad esse, neutrum tamen contingit; quando materia perdit unam formam & acquirit alteram, quia in eodem instanti quo amittit priorem, acquirit aliam, per quam nunc existit, & sic nunquam existit, sine aliqua forma; sed Contra: Materia perdidit existentiam quâ ante existebat; ergò fuit destructa; probatur consequentia, quia destrui nihil est aliud, quàm perdere existentiam; ergò, probatur ant. materia ante existebat, per existentiam formæ, secundùm vos ita quòd existentia formæ faciebat ipsam formaliter existere, sed existentia formæ est destructa; ergò & existentia materiæ, aliàs eadem existentia esset destructa, & non esset destructa. Sed aliter

IX. Dices 2. Ut Res dicatur corrumpi vel produci, non sufficit, ut secnndùm existentiam corrumpatur vel producatur, sed debere, secundùm existentiam & essentiam produci & corrumpi; materia verò non producitur, nec corrumpitur, secundùm essentiam & sic non sequitur quòd producatur vel corrumpatur. Contra ex hac responsione sequeretur, quòd nec forma substantialis materialis, nec accidentia generari possint & corrumpi, sed hoc est contra ipsos: ergò, probatur sequela, quia formarum & accidentium essentiæ sunt, æquè ingenerabiles & incorruptibiles, aut dicere debebunt, quòd quando corrumpitur forma, etiam corrumpatur secundùm esse essentiæ, & esse objectivum, quod est absurdum.

X. Probatur Conclusio quintò: Ad hoc, ut forma dicatur verè generari, se-

cundùm ipsos etiam Adversarios, necessariò requiritur, ut materia, in aliquo instanti reali temporis, habeat privationem ejusdem formæ; ergò materia præexistit, in illo instanti reali, ante formam etiam primam, sed non existebat tunc, per existentiam formæ, quæ adhuc non est: ergò; probatur consequentia prima, quia in nullo subjecto datur privatio formæ, nisi aptum natum sit, recipere formam, sed materia prima non est apta nata recipere proximè formam realem, nisi actu existat; aliàs materia posibilis esset apta nata proximè recipere formam realem existentem, quod nemo unquam somniavit; ergò materia pro nullo instanti habet privationem formæ, pro quo non existit; ergò ulterius si habet privationem formæ, pro aliquo instanti, ad ipsam formam, ut illi concedunt & debent, non existit tunc, per existentiam formæ, quod est intentum.

XI. *Opponitur & solvitur D. August.*

Opponitur 1. Authoritas D. Augustini lib. 83. qq. q. 54. Ubi materiam nihil esse dicit, ait enim: *Deterius corpore nihil est, quia materia caret omni specie, rectè nihil dicitur*; Item lib. 12. Confess. cap. 7. dicitur: *Fecisti cœlum & terram duo quædam, unum propè te &c. alterum propè nihil*, ut supra adduxi etiam; ergò materia non habet propriam aliquam entitatem, nec consequenter existet propria existentia, sed solùm per existentiam formæ. Verùmtamen respondeo ad primum locum, quòd Sanctus Doctor non vocet materiam propriè & absolutè nihil, sed solummodò comparatione, ad alias substantias completas, vel in ordine ad formas, ita quòd nihil sit formarum. Ad secundum locum dico, quòd non neget esse aliquid, nam licèt dicat, quòd sit *propè nihil*, attamen alibi addit, *hoc nihil* non esse tamen *omninò nihil*: nam lib. 1. Contra Adversl. Legis cap. 8. ait: *Neq; ista materies omninò nihil est* &c. unde in præfato loco tantùm vult, quòd duo sint entium genera, quorum unum maximè accedit ad Deum, id est, Angeli: & alterum in perfectione infimum, & est materia prima, ita exponit S. Aug. Doctor subtilis. Sed

XII. *Opponitur & solvitur Arist.*

Opponitur 2. Authoritas Aristotelis 5. Met. cap. 15. ubi dixit: *Animam esse causam existentiæ materiæ* & 4. Met. t. 15. dicit: Quòd *materia sit potentia, quia potest progredi ad formam, cùm verò actu sit, tunc est in forma.* R. ad primam authoritatem, quòd anima non possit dici causa efficiens materiæ, quòd nec Aristotelem velle, Adversarii dicent, sed dicitur eatenus causa, quatenus est causa formalitèr denominandi, non verò, quòd sit causa existendi. Ad secundum locum dico, quòd si Aristoteles similia habet, nihilominus tamen nihil facere contra Conclusionem: nam sumit potentiam, ut opponitur actui formalitèr Physico, non autèm ut opponitur actui entitativo, seu existentiæ, & sic quãdo materia actu fit, id est informatur, tunc in forma est, id est, sub forma est. Sed

Instatur. Si materia existit per actum, sive sit Physicus, sive Metaphysicus & entitativus; ergò verum est, quòd non existat per existentiam propriam, probatur sequela: quia existit per existentiam actûs Metaphysici; ergò, non existit, per existentiam propriam. R. negando utramq; consequentiam, quia ipsamet materia est actus ipsemet Metaphysicus; seu realis entitas; unde non habet alienam existentiam, per quam existat. Nec exinde tamen sequitur, quòd tunc ex materia & forma fieret unum per accidens, quia non sunt actus completi Physicè.

XIII. *Argumentum ex ratione.*

Arguitur. Omnis actus purus ita est actus, ut nihil habeat potentialitatis admixtum; ergò etiam pura potentia ita est potentia, ut nihil habeat admixtum de actu, ant. patet, de Deo, qui proinde à Theologis vocatur purus actus, quia nihil includit potentialitatis; probatur consequentia, tùm à paritate, tùm quia oppositorum eadem est ratio & disciplina, tùm quia purus actus & pura potentia summè distant à se mutuò. R. disting. consequens (concesso antecedente) ergò pura potentia ita est potentia, ut nullum includat actum oppositum illi potentiæ, à quâ potentia denominatur pura, concedo consequentiam, ita ut nullum includat actum oppositum potentiæ, à quâ non denominatur pura potentia, nego consequentiam. Itaq; materia prima denominatur in pura potentia subjectiva, & sic nullum includit actum oppositum huic potentiæ, nempè actum formalem vel informantem, non tamen dicitur esse in pura potentia objectiva, cùm habeat actum entitativum, oppositum puræ potentiæ objectivæ; Aliud autèm est de Deo, qui ratione suæ infinitæ perfectionis includit omnem omninò perfectionem posibilem, poni in uno, & per consequens, omnem omninò excludit potentialitatem; materia prima verò, licèt sit pura potentia subjectiva, tamen non excludit omnem omninò actum.

Instatur. Datur actus purus, qui utramq; potentialitatem excludit; ergò etiam potentia pura, quæ utramq; actum, seu actualitatem excludat. R. negando consequentiam; Et ratio disparitatis est, quia infinitæ perfectioni competit excludere omnem omninò potentialitatem, quæ semper imperfectionem involvit, quod proinde soli Deo competit; nullum tamè est assignabile ens creatum, quod sit tàm perfectum, ut omnem imperfectionem excludat. Deinde non nego, quin posit dari aliqua potentia ita pura, quæ excludat omnem omninò actum videlicet entitativum & formalem, sed tantùm non esse posibilem, quæ actu existeret, & utrumq; excluderet; materia namq; posibilis utrumq; actum excludit.

Urgetur. Materia est Physicè simplex; ergò vel tota est potentia, vel tota est actus: Quia simplex entitas non potest constare potentia & actu Physicis, sed non est tota actus; ergò erit tota potentia, & consequenter nullum includit actum. R. materiam primam esse totam potentiam, & totum actum, sub diverso tamen respectu, videlicet tota est potentia subjectiva, & tota est actus entitativus, non tamen per aliquam compositionem, sed per identitatem, quod non repugnat. Plures objectiones, & instantias, vide apud Authores passim. Per hæc puto tam huic, quàm præteritæ quæstioni satis esse factum.

Replicatur. Omnis existentia est à forma, ut ait Avicennas 2. Met. sed materia nullam habet

habet in se formam; ergò nullam existentiam. R. dist. ma. Omnis existentia completa, vel entis Physicè completi, est à forma ultimatè, concedo ma. incompleta, seu entis Physicè incompleti, nego ma. quia datur existentia, quæ nullo modo est à forma Physica, ut est existentia Dei, Angeli &c.

QUÆSTIO V.

An materia possit existere absq; omni forma?

I. Sensus quæstionis præsentis est: an materia possit, per aliquam potentiam & virtutem alicujus agentis, sive naturalis, sive supernaturalis, exspoliari, ab omni forma, ita ut tunc sic exspoliata, necessariò deberet desinere, vel utrum adhuc permanere possit, & maximè controvertitur de formis absolutis, sive posteà illæ sint substantiales, sive accidentales? Principaliùs tamen agitur, de forma substantiali; quòd autèm naturæ viribus materia non possit existere sine forma, res videtur indubitata, & mox probabo; quòd è contrà supernaturalitèr, separata à forma, existere queat, controvertunt Thomistæ & Scotistæ, cum suis Præceptoribus; nam D. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & quodl. 5. dicit: materiam, de absoluta potentia Dei, non posse existere sine forma, & hoc consequentèr ad superiora: nam si non habet propriam existentiam, sed existit per existentiam formæ, non potest existere, nisi per existentiam formæ. Scotus verò 2. d. 12. q. 2. econtra asserit, id omnino non implicare, quem præter hos sequuntur Recentiores & Nominales communiter. Itaquè

II. Dico 1. *Materia naturalitèr non potest existere, sine omni forma substantiali, neq; unquam fuit.* Prima pars est communis, secunda est contra Marsilium & alios nonnullos, qui putant materiam bis fuisse sine forma, primò in creatione ex illo Gen. 1. comprobantes: *Terra autem erat inanis & vacua.* Secundò in triduo mortis Christi; verumtamen perperàm; unde partem illam secundam probo primò; Si materia unquam fuisset sine forma substantiali maximè in creatione mundi, & in triduo mortis Christi; sed tunc non fuit, sine omni forma; ergò nunquam: major est Adversariorum: probatur mi. quoad primum ex D. Augustino lib. 12. Confes. cap. 29. ubi sic habet: *Sic est prior materies, quam id, quod ex ea fit, non ideò prior, quia ipsa efficit, cùm ipsa fiat, nec prior intervallo temporis.* Et lib. 1. contra Adversarios legis & Proph. cap. 9. ubi sic ait: *Nec putandus est Deus informem priùs fecisse materiam & intervallo temporis formâsse, quod informe priùs fecerat, sed sicut in loquente fiunt verba sonantia, ubi non priùs vox informis, post accipit formam, sed formata profertur, ita intelligendus est Deus, de materie quidem informi fecisse mundum, sed simul eam concreâsse mundo.* Similia habet D. Basilius hom. 2. hexam. ubi vocat *Eos Scripturæ depravatores, qui per terram inanem & vacuam, intelligunt materiam informem.* Unde si Divus Augustinus, & alii quidam sancti Patres, videntur sentire contrarium, opponi possunt primò præallegatæ authoritates; deinde explicandi sunt, quòd materia naturâ, non verò tempore præcesserit formam. Probatur mi. quoad alteram: quia in triduo mortis Christi, materia prima, sub forma corporeitatis; unde nos minimè urget; & quamvis Marsilius posset cogitare, argumentum futurum oneri negantibus tales formas, attamen facilè respondent, quòd si fuerit, tunc quòd miraculosè, non naturalitèr & viribus naturæ. Itaq;

III. Probatur Conclusio, quoad primam partem cum Pontio: si materia posset esse, sine aliqua forma naturalitèr, maximè per actionem alicujus causæ secundæ naturalis, sed hoc non potest contingere, ergò. probatur mi. quia agens naturale non intendit per se destructionem alicujus rei, sed eatenùs destruit, quatenùs intendit producere aliquem alium effectum, quem absque destructione non posset producere, ergò nequit destruere compositum substantiale, aut separare formam substantialem à materiâ, nisi producat aliam formam substantialem & consequentèr nequit naturalitèr separari.

IV. Dices cum Arriaga: Potest destrui aliqua forma accidentalis, absque ulla forma incompatibili, ut patet in destructione lucis; ergò similitèr potest destrui forma substantialis, absque alia forma incompatibili, R. Lucem non destrui per actionem positivam, sed per subtractionem concursûs positivi, & illa ipsa subtractio non fit, nisi per desitionem causæ conservativæ, sed formæ substantiales omnes habent causas, naturalitèr conservativas, semper applicatas, nec propterea conservatio earum naturalitèr subtrahi potest, nisi tollantur dispositiones conservativæ earum, quæ tolli tamen non possunt, nisi per introductionem formarum oppositarum. Sed in contra principalitèr

V. *Argumentum in contrarium.* Arguitur. Materia prima habet propriam existentiam, & subsistentiam independentèr à forma; sed illud, quod habet propriam existentiam, & subsistentiam sine dependentia, tanquam à causa, vel tanquam à conditione concomitante, potest existere, sine illo alio; ergò materia potest naturalitèr existere, sine forma. R. dist. ma. Materia habet propriam existentiam, & subsistentiam, prout subsistentia dicit, & sonat idem, quod per se esse, & non esse in alio, tanquam in subjecto inhæsionis, concedo ma. Materia habet propriam existentiam, & subsistentiam, prout subsistentia dicit ens per se existens, habens ultimatam actualitatem, nego ma. & dist. similitèr min. nego consequentiam; Itaque materia non potest existere sine omni forma, tùm quia non habet subsistentiam perfectam, ut habet secundum membrum distinctionis, tùm ex eo, quòd talis sit naturæ ordo, à Deo sic præfixus, & connaturalis exigentia; quare non est dependentia à forma, veluti à causa, veluti à conditione concomitante.

Instatur: Ideò anima rationalis potest naturalitèr existere sine corpore, quia non dicit dependentiam ad corpus, veluti ad causam, aut veluti ad conditionem necessariò concomitantem; ergò si materia non dicit talem dependentiam, etiam naturalitèr potest existere sine forma. R. Negando consequentiam: quia

existentia & subsistentia animæ est longè perfectior; Deinde ipsa etiam continetur in ordine spiritualium substantiarum, ita ut non sit ita indiga corpore, sicut est materia formâ.

Urgetur. Materia artificiatorum continetur intra ordinem substantiarum corporalium, sed materia illa potest esse sine forma artificiali; ergò & materia naturalis. R. Negando consequentiam, nam primò peccat syllogismus in diversificando suppositio deinde disparitas est, quia materia artificiatorum non tantam perfectionem, à formis artificialibus acquirit, quantam acquirit materia prima à formis naturalibus; unde illa facilè existere potest, sine illis formis. Sed

VI. *Materia divinitùs potest esse sine forma,*

Dico 2. *Materia prima potest supernaturaliter separari ab omni forma, & sic separata conservari.* Hæc est Scoti 1. d. 49. q. 2. Scotistarum & Recent. communiter suprà. Probatur primò: Deus potest conservare accidens, sine subjecto, ut patet in Mysterio Eucharistiæ, ergò etiam potest conservare materiam sine forma substantiali: probatur consequentia, quia antecedens est de fide, Plus est conservare accidens sine subjecto, quàm materiam sine forma, sed primum potest Deus; ergò etiam secundum; probatur ma. Quia accidens minus aptum natum est per se stare, quàm substantia, cùm essentialiter indigeat sustentante; substantia verò non sic indigeat, utpote quæ in perfectate consistit, nec in alio esse potest, veluti in subjecto. Confirmatur: Quia forma potest conservari sine materia, ergò materia etiam sine forma, quia videtur, quòd facilius sit conservare subjectum sustentans sine sustentato, quàm sustentatum sine sustentante.

VII. **Dices:** Pura potentia, qualis est materia, magis dependet ab actu seu forma, quàm actus imperfectus à perfecto, id est accidens. Sed contrà. Non videtur intelligibile, quòd prius naturâ magis dependeat à posteriori, quàm posterius à priori, sed materia est quid prius quàm forma, & accidens posterius quàm substantia, vel subjectum; ergò materia non magis dependet à forma, quàm accidens à subjecto.

Probatur Conclusio secundò:

Quidquid Deus producit se solo, sine concursu causæ secundæ, potest illud conservare sine concursu ejusdem; sed Deus produxit materiam sine concursu formæ, aut ullius causæ creatæ; ergò potest etiam eam conservare sine concursu ullius causæ creatæ; minor est certa, quia Deus produxit materiam creando; nulla autem creatura attingere potest terminum creationis: ergò nec in productione materiæ ulla creatura concurrit: probatur ma. tùm quia omne absolutum, quod potest Deus facere, mediante causa secunda, potest illud facere, sine concursu causæ secundæ, nisi sit de intrinseca ratione, & essentia causati; sed Deus conservat defacto materiam sub forma, & forma non est de essentia ejus, ergò potest eam se solo conservare: tum quia non requiritur major virtus, ad conservandum aliquem effectum, quàm ad ejus primam productionem: nam conservatio & prima ejus productio non distinguuntur, nisi secundùm connotata; ergò, si Deus potuit se solo producere materiam, poterit etiam se solo eam conservare.

Dices 1. Deus non potest supplere causalitatem causæ formalis, sed forma est causa formalis materiæ; ergò Deus non potest supplere ejus causalitatem. VIII. R. negando mi. quia nullum principium habet causam formalem Physicam, aliàs non esset Physicè simplex, sed materia est primum principium: ergò non potest habere causam formalem; Deinde Resp. 2. distinguendo ma. Deus non potest supplere causalitatem causæ formalis, in proprio genere, id est formando, concedo ma. non potest supplere, in genere causæ efficientis, nego ma. & consequentiam. Itaquè licèt Deus non possit facere, quidquid facit forma, concurrendo ad constituendum aliquod totum, veluti compars potest: tamen tanquam causa efficiens conservare tàm benè, ac si esset sub forma in toto.

Dices 2. Materia dependet à forma, veluti res modificata à modo, sed modus nunquam potest esse sine re modificata, nec res modificata sine modo, ergò nec materia sine forma: IX. R. negando ma. quia modus nequit esse sine re modificata, ut patet de subsistentia, quæ non potest esse sine re subsistente, nec figura sine figurato, &c. forma verò potest esse sine materia, ergò non est modus materiæ, adeòquè falsò assumitur, materiam dependere à forma, veluti à modo.

Probatur Conclusio tertiò: X.

Omne absolutum realiter distinctum, & prius naturâ alio absoluto, si non sit causa intrinseca, potest esse sine alio absoluto, absquè contradictione; sed materia prima est tale quid, respectu formæ, ergò potest esse sine illa. Dixi realiter distinctum, propter subjectum & passionem: dixi absolutum, propter relationes, quæ non possunt esse sine illo priori: dixi prius naturâ, propter totum, respectu partium, quia totum est posterius partibus, saltem naturâ: dixi, nisi sit causa intrinseca, propter partes unitas, quæ sunt quid prius naturâ toto: sunt enim partes essentialiter & intrinsecè constituentes totum: dixi sine alio absoluto, ne fiat instantia in fundamento & termino, respectu relationis intrinsecè advenientis. Major sic explicata, probatur, quia nulla in hoc potest ostendi repugnantia vel implicantia; ergò non est denegandum divinæ potentiæ; minor patet ex dictis, nam quia materia est de essentia rei absolutæ, debet esse absoluta, quòd verò distinguatur à forma, patet ex superioribus quæstionibus, sicut etiam quòd sit prior, quia est causa & fundamentum formæ: ergò. Confirmatur hæc doctrina: Quia non est assignabilis ulla forma in particulari, à quâ materia non posset separari, & post separationem existere, ut patet de materia, quæ est jam sub forma ligni, & erit postea sub forma ignis, & deinde sub forma cineris, & sic de cæteris; ergò nulla est connexio materiæ cum forma, quâ sublatâ Deus non posset conservare materiam.

Dices: Licèt materia possit esse sine hac vel illa forma, tamen non potest esse sine XI.

omni

omni forma absolutè loquendo. Sed contra: Quidquid contingenter se habet, ad quodlibet generis alicujus absoluti, contingenter se habet ad totum illud genus; sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam in particulari, ergò etiam se habet contingenter ad totum genus formæ. Sed contra conclusionem

Opponitur Authoritas Aristotelis hîc, qui docet, implicare contradictionem materiam esse sine forma; Idem docet Scotus hîc q. 12. R. Quòd tàm Aristitoteles, quàm Scotus, aliud non velint, quàm quòd naturaliter materia non possit esse sine forma, quod nihil est contra Conclusionem, sed potiùs pro ipsa, utpote, cùm prima neget naturaliter materiam sine forma existere posse, ex quo tamen haud quaquam sequitur, ergò neque supernaturaliter. Quod si tibi hoc displicet, dicito: Aristotelem hîc errâsse, & Scotum non ex propria mente, sed ex mente Aristotelis fuisse locutum.

Arguitur. Actus pertinens, in ordine ad essentiam, est prior omni actu, pertinente ad ordinem existentiæ, sed forma est actus, pertinens ad ordinem essentiæ, & materia est actus, pertinens ad ordinem existentiæ, ergò ad hoc, ut materia existat, necessariò debet præsupponi forma in ipsa, & per consequens non potest existere sine forma. R. dist. ma. Actus pertinens ad essentiam illius, de cujus est essentia, prior est actu pertinente ad existentiam ejusdem, concedo ma. actus pertinens ad essentiam alterius, quod est posterius altero, pertinet ad essentiam prioris, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam utramquè. Itaquè forma est actus pertinens ad essentiam compositi, quod est posterius materiâ, & per consequens forma est prior, quàm existentia totius, inde tamen non sequitur, quòd sit prior materia, quia non pertinet ad essentiam materiæ.

Instatur: Existentia est perfectissimus actus; ergò si materia existeret sine forma, haberet perfectissimum actum, & non esset in tanta potentialitate, quod est contra naturam ipsius. R. dist. consequens, non esset maximè potentialis, seu in tanta potentialitate, in isto genere potentialitatis, excludendo omnem actum tàm entitativum, quàm formalem, concedo consequentiam: Non esset maximè potentialis, in alio genere, excludendo actum omnem formalem, nego consequentiam.

Urgetur. Si in tali casu adhuc haberet actum, sequeretur, quòd esset in actu, & non esset in actu, sed hoc implicat; ergò probatur sequela, esset in actu, quia existeret: non esset, quia non haberet formam, à qua actu haberet existere. R. dist. sequelam: Esset in actu Metaphysico, seu entitativo, & non esset in actu Physico, concedo sequelam; esset in actu Physico, & non esset in actu Metaphysico, nego sequelam: adeoquè nulla est contradictio, ut materia habeat actum Metaphysicum, & entitativum, & non habeat actum Physicum.

Authores passim plures alias congerunt objectiones, & replicas; verumtamen omnes benè resolvi possunt, si attendatur diversitas actus Metaphysici, seu entitativi, & Physici, & ratio specifica naturalium, secundum esse completum & incompletum; sicut etiam aliud esse, quod aliquid sit unum unitate unionis, quàm unitate identitatis.

QUÆSTIO VI.

Quo Modo Materia conservaretur à Deo separata?

Postquam determinatum est, materiam posse divinitùs exspoliari omni formâ, nunc restat investigare modum, per quem & qualem separata existeret. Circa materiam omnes ii, qui denegant materiæ propriam subsistentiam, non tantùm novum influxum requirunt, sed etiam novum perfeitatis modum, quo conservaretur separata; qui verò concedunt propriam subsistentiam, non requirunt quidem novum perfeitatis modum; aliqui tamen dicunt, quòd requirat novum & partialem influxum ad ejus conservationem necessarium. Ita Suaretz, Ruvius, Connimb. Doctor verò cum suis econtra 2. d. 12. q. 2. Hurtadus, Aversa, Fuentes, & alii negant talem novum concursum necessariò requiri, cum quibus etiam resolutivè ad quæstionem I. *Mens Authorum.*

Dico: *Materia separata à forma, eodem conservaretur concursu à Deo, quo conservabatur conjuncta cum forma.* Hæc est doctoris cum suis, suprà. II. *Materia eodem modo conservaretur separata quo conjuncta.*

Probatur Illud quod excludit omnimodam dependentiam ab alio, quoad existentiam & essentiam, eodem concursu conservatur sine illo, quo conservabatur conjunctum cum illo: sed materia excludit omnimodam dependentiam à forma, tàm quoad essentiam quàm existentiam; ergò materia eodem concursu conservatur à Deo, quo conservabatur conjuncta cum forma; ma. patet, quia ideò deberet admitti alius concursus, ad conservationem materiæ, quia dicit aliquam dependentiam à forma: minor probatur: quia materia habet propriam existentiam, & per consequens in esse & conservari, non dependet à forma. Confirmatur, quia ideò anima rationalis separata à corpore, dicitur existere sine alio novo concursu; quia de se habet consimilem existentiam & subsistentiam; ergò idem dicendum de materia.

Probatur secundò: Quia si materia dependeret à forma, non crearetur, sed hoc est contra omnes: ergò probatur ma. quia sicuti est contra creationem alicujus formæ ex gratia, quòd producatur dependenter à materia è subjecto, ita etiam est contra creationem materiæ, quòd creetur cum dependentia ad formam. Sed in contra

Arguitur. Ideò colligitur forma dependere à materia, quia nequit naturaliter esse absquè illa: ergò si materia nequit esse naturaliter sine illa, dependet ab illa consequenter, III. *Argumentum in contrarium.*

non

non eodem concursu conservatur separata, quo conservabatur conjuncta. R. negando ant. præcisè, quia non ideò non potest forma existere sine materia, quia dependet ab ea, sed quia non creatur, sed producitur per agens creatum, quod nequit ipsam producere, nisi cum dependentia à subjecto.

Instatur. Ex eo, quòd materia nequeat naturalitèr existere sine forma, debet ex aliqua indigentia oriri, quam materia habet, respectu formæ, sed omnis indigentia, quoad existentiam debet suppleri, ut res indigens existat; ergò erit necessarius novus concursus. R. dist. ma. Id debet oriri ex aliqua indigentia materiæ, quatenus naturalitèr petit compleri & perfici per formam perfectione saltem adventitiâ, licèt non essentiali intrinsecâ, concedo ma. quatenus cum tali indigentia indigeret novo concursu, ne sine forma periret, nego ma. unde, præter separationis miraculum, non est necessarius alius concursus ad conservationem materiæ, quàm ille, quo prius ante miraculum conservabatur; nam sicut tunc fuit sufficiens, ita & modò.

Urgetur. Materia existeret violentèr tunc; ergò habebit alium concursum, quomodo existit, quàm conjuncta. R. dist. ant. existit violentèr positivè, sicut aqua sub calore, nego ant. negativè, quatenus reperitur sine modo connaturali existendi sub forma, concedo ant. & nego consequentiam.

QUÆSTIO VII.

De Potentia Materiæ in ordine ad recipiendas formas.

I. *Sensus quæstionis.*

Quia hactenus semper insinuavi, materiam primam esse potentiam subjectivam ad formas, ubi plura præsuppositа fuerunt, quàm scita; ideò operæ pretium exigit, rem ipsam paulò fusiùs, citra brevitatis tamen jacturam, pertractare & inprimis, quod principalitèr controvertitur, resolvam: an materia ipsamet sit in potentia ad formam? an verò, per aliquam potentiam superadditam? cujus controversiæ ratio est, quia omnis potentia, formalitèr loquendo, est alicujus subjecti. Secundò: An potentia materiæ sit una vel multiplex? Tertiò, qualis nam sit? & quartò, an potentia receptiva, & sustentativa distinguantur à se invicem? Pro quarum difficultatum resolutione

II. *Potentia materiæ duplicitèr consideratur.*

Notandum primò: Potentiam materiæ duplicitèr considerari posse, primò fundamentalitèr & radicalitèr, secundò formalitèr: primo modo sumpta nihil est aliud, quàm ipsum principium potentiale, secundùm entitatem ipsam materiæ; unde emanat, postmodum potentia formalitèr sumpta, quæ nihil aliud est, quàm naturalis aptitudo, ad suscipiendas formas, quæ est respectus aliquis transcendentalis.

III. *Potentia alia est universalis alia particularis.*

Notandum secundò: Potentiam iterum esse duplicem; universalem & particularem, seu remotam & proximam: Remota & universalis est, per quam materia, nullis affecta dispositionibus, nec determinata circumstantiis æqualitèr omnes respicit formas, ita ut eas æqualitèr recipere possit: utpote cùm sit adhuc indifferens, per nihil extrinsecum determinata: Potentia proxima & particularis est, quando jam materia, per dispositiones & qualitates accidentales alicujus agentis, magis determinatur ad hanc vel illam formam, ut verbi gratiâ, dum materia ligni, per calorem & siccitatem est determinata, ut possit recipere formam ignis.

Notandum tertiò: Potentiam denique aliam esse susceptivam formarum, aliam sustentativam, susceptiva formarum nihil est aliud, nisi aptitudo materiæ, ut recipiat aliquam formam, per quam informetur substantialitèr: & per hanc aptitudinem respicit tàm animam rationalem, quàm omnes alias materiales: Potentia sustentativa verò, non modò recipit in se formas substantiales, sed etiam easdem in se sustentat, & per hanc respicit tantummodò formas materiales, quæ educuntur vel educi possunt, de potentia materiæ.

His itaq; prænotatis: Quæstio quoad primam partem, sicut etiam aliàs potissimùm versatur de potentia formalitèr sumptâ, Circa quam resolvendam, triplex est sententia famosa: Prima dicit, quòd potentia formalis sit de essentia, seu potius essentia materiæ: Ita Suarez, Conimbr. Complut. Aversa & Recentiores ac Thomistæ communitèr. Secunda putat, potentiam non ingredi formalitèr rationem essentialem materiæ, sed potius esse aliquod accidens de genere qualitatis vel relationis. Ita Averroes, Thomist. Toletus, Zabarel. &c. Tertia denique; asserit, Potentiam formalitèr sumptam, non esse essentiam materiæ, nec etiam accidens prædicamentale, sed esse proprietatem, realitèr eidem identificatam. Ita Scotus 2. d. 12. q. 1. & 4. d. 11. q. 3. & omnium pœnè Scotistarum. Quas etiam tenendo

Dico I. *Materia non recipit formas substantiales in se, mediante aliquâ potentiâ superadditâ realitèr distinctâ.* Hæc est Contra secundam sententiam &

Probatur Conclusio primò: Si materia reciperet formas substantiales, mediante aliqua potentia superaddita, realitèr distincta, materia deberet esse in potentia, ad hanc ipsam potentiam, quia subjectatur in materia; ergò esset ex se immediatè in potentia ad illam vel mediante alia, realitèr distincta, si primum; ergò ab omnimoda paritate erit ex se nata subjectare formam substantialem: adeoq; nullum requiritur accidens realitèr distinctum medians: si dicatur secundum; ergò erit in potentia ad illam ipsam recipiendam, per aliam tertiam, realitèr distinctam, & sic infinitum, quod sanè absurdum est, ergò. Confirmatur: Potentia ad accidentia recipienda, debet esse accidentalis, sed in materia, ante illud accidens, non est aliud accidens, nisi velles admittere iterum processum in infinitum; ergò, nec est potentia realitèr distincta, ad recipienda accidentia, & consequenter non recipit mediante potentiâ, realitèr distinctâ superadditâ.

Confir-

Confirmatur secundò: Si materia illam potentiam immediatè reciperet, quæ esset accidens distinctum; ergò multò magis poterit in se immediatè recipere formam substantialem, quia ad hanc majorem habet proportionem, utpote quæ magis ad eam est ordinata, quàm ejus actus. Deniq; sequeretur, quòd materia posset esse sine illa, quod tamen est absurdum: utpote cùm definiatur per ordinem ad potentiam per Aristotelem, sequela etiam patet, quia potest esse sine omni forma accidentali & substantiali, ut patet ex suprà dictis.

Probatur Conclusio secundò: Si materia non immediatè sibi uniret formam, non faceret cum ea unum per se immediatè, sed potiùs cum illa potentia, in quâ forma immediatè reciperetur, sed hoc est falsum & absurdum; ergò probatur sequela, tùm quia forma substantialis non potest facere unum per se, cum accidente completo, quale est potentia, secundùm Adversarios, putantes eam esse de qualitatis genere; contentam sub potentia naturali; tùm quia illa potentia, quæ est accidens, ingrederetur constitutionem alicujus totius substantialis, nempe ex illo & forma resultantis, quæ sanè dissentiunt: ergò. Confirmatur Conclusio, ex definitione materiæ, quæ dicitur primum subjectum omnium formarum substantialium; ergò vel est primum subjectum, ut *quo* vel ut *quod*: si primum; ergò concludit prima probatio, quia non datur aliquod prius recipiens, ut quo: si secundum dicatur, concludit probatio secunda, cùm non sit aliquod subjectum prius recipiens, ut quod, alioquin materia non esset primum subjectum. Sed

VII. Opponitur & Secundò Aristotelis, quòd potentia sint prima.

Opponitur Contra Conclusionem Authoritas Aristotelis, qui secundo de Anima l. 2. & 8. Met. t. 15. & alibi vocat materiam potentiam & per se potentiam, quam in secunda specie qualitatis collocat alibi; sed potentia naturalis in secunda specie qualitatis collocata est accidens realiter distinctum; ergò & potentia materiæ. R. cum Doctore 2. d. 16. q. 1. Philosophum sæpè appellare materiam potentiam, ad denotandam ejus aptitudinem, ad formas substantiales, non tamen vult, quòd sit talis, per aliam potentiam superadditam, minùs quòd sit de genere qualitatis & potentia naturalis, quia non est propriè activa; unde ad illam speciem potius reducuntur facilitates ad agendum & recipiendum, non verò actiones. R. 2. quòd licèt Philosophus dixerit, potentias de secunda specie qualitatis, esse accidentia distincta, intelligendus tamen est de potentiis realiter distinctis, non verò indistinctis.

Instatur: Illud verum est accidens, quod potest separari ab illo cujus est, sed potentia materiæ est separabilis à materia; ergò potentia materiæ verum est accidens: ma. patet: probatur mi. quia quando advenit forma, ad quam materia erat in potentia, destruitur illa potentia materiæ ad talem formam, sed possunt advenire per Dei potentiam, aut per impossibile omnes formæ, potentia materiæ totaliter destrueretur, consequenter erit accidens, valdè separabile. R. negando mi. cum probationis majore, quia per advenientem formam, potiùs materiæ potentia perficitur & quietatur, quàm destruatur, ut patet in pluribus aliis potentiis: nam quando aliquis ridet, non perdit potentiam ridendi, nec quando aliquis intelligit aliquod objectum, perdit potentiam intelligendi: alioquin rueret communis illa regula Logicarum, qui frequenter arguunt ab actu ad potentiam, tanquam ad bonam consequentiam: non valeret enim, Petrus ridet; ergò potest ridere, Paulus intelligit & discurrit; ergò potest intelligere & discurrere, quod tamen nemo dicit: Itaq; quod adveniente formâ in materia tollitur, non est potentia materiæ, sed privatio actus vel negatio, quæ præerat cum materia, & quæ semper conjungitur cum potentia positiva materiæ, in absentia formæ.

Urgetur: Actus opponitur potentiæ, sed forma est actus, ergò opponitur potentiæ; ergò positâ formâ, seu actu destruitur potentia. R. dist. ma. Prout potentia dicit privationem vel carentiam actus, concedo ma. prout dicit capacitatem ad actum, nego ma. & consequentiam. Notandum est, potentiam frequenter accipi, prout habet adnexam talem carentiam, quia quod est actu tale, non solet dici posse esse tale, ut quòd sit Episcopus quis, non dicitur, quòd possit esse, & si sic consideretur potentia, tunc quidem habet cum actu oppositionem, non verò si sumatur pro entitate ipsa rei.

VIII. Secundò.

Opponitur secundò Authoritas Aristotelis 9. Met. 7. ubi dicit, quòd actus & potentia sint ejusdem generis, ex quâ authoritate probare contendunt, quòd potentia materiæ, ad formas accidentales saltem, debeat esse accidens; unde subsumitur sic: sed actus est accidens; ergò etiam potentia est accidens. Verumtamen R. Cum Doctore, Aristotelem ibi loqui de actu entitativo & potentia objectiva, id est: quòd res existens, extra suas causas producta, sit ejusdem rationis & naturæ, secundùm prædicata quidditativa cum re, quæ est in potentia objectiva ut talis fuit, non verò loquitur de potentia subjectiva eaq; formali. Sed

Instatur: Inter actum & potentiam subjectivam etiam formalem debet esse proportio, sed actus est accidens; ergò & potentia subjectiva formalis erit accidens. R. dist. ma. debet esse proportio receptivi & receptibilis, seu perfectivi & perfectibilis, concedo ma. debet esse proportio entitativa, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam. Quia licèt inter ea non sit proportio entitativa, est tamen perfectiva.

Urgetur: Si non requiritur proportio entitativa, ad recipiendam formam accidentalem; ergò nec requiritur proportio, ad recipiendam formam substantialem, sed hoc non admittit conclusio; ergò nec illud, unde sequitur; probatur sequela: non est major ratio de uno ac altero, probatur etiam min. quia aliàs deberet concedi, quòd forma substantialis etiam possit recipi mediante potentiâ accidentali. Resp. negando sequelam ma. cum sua probatione, ratio disparitatis est: Quia forma substantialis, nec potest recipi in accidente, nec in illo sustentari, aut illud perficere; secùs tamen est de forma

accidentali, quæ potest tàm accidens recipere, quàm sustentare, & etiam aliquo modo ab illo perfici; quare benè potest admitti potentia substantialis, ad recipiendas formas accidentales, licèt non debeat admitti accidentalis ad recipiendas formas substantiales.

VIII. *Potentia formalis non est de essentia materiæ.*

Dico 2. *Potentia formalis non est de essentia materiæ, sed proprietas ejus, quarto modo.* Hæc est Authorum suprà, pro tertia sententia cit.

Probatur primò: Potentia formalis est respectus transcendentalis, seu aptitudo in materia, ad recipiendam formam; ergò non potest esse de essentia materiæ, quæ est res absoluta, & cùm sit tamen ab ea inseparabilis, erit saltem ejus passio.

Probatur secundò: Potentia formalis præsupponit aliquid, ad quod sequitur, non secùs ac risibilitas, sed quod præsupponit, non est aliud, quàm entitas materiæ; ergò non est de essentia materiæ; probatur consequentia, quia nihil posterius est de essentia alicujus prioris præsuppositi: ergò. Confirmatur: Quælibet res debet habere aliquam proprietatem, sibi peculiarem & sibi soli competentem, sed non potest assignari alia congruentior proprietas materiæ, quàm ista aptitudo transcendentalis. Sed Contrà

X. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Materia prima essentialitèr est ens incompletum; ergò essentialitèr petit compleri, sed non petit compleri, nisi per modum potentiæ passivæ; ergò est essentialitèr potentia passiva. R. concedendo ant. & ejus primam consequentiam, cujus subsumptum distinguo; sed non petit compleri, ita ut ejus incompletudo importet potentialitatem materiæ, formalitèr sumptam: nego subsumptum. Ita ut ista incompletudo denotet & significet principium exigitivum istius potentialitatis formalis, concedo subsumptum, & nego consequentiam. Itaq; licèt materia dicat potentialitatem formalem, ad totum constituendum tamen illa non est, nisi propria passio materiæ, non verò essentia: sicut etiam aliàs essentias solemus explicare, per principia exigitiva passionum & proprietatum; sic communior sententia essentiam quantitatis non constituit, per impenetrabilitatem, sed per principium exigitivum impenetrabilitatis; unde similitèr materia petit compleri, non per modum potentiæ passivæ formalitèr, sed per modum principii exigitivi talis potentiæ. Eodem modo respondetur, ad alia argumenta, quæ fiunt inde, quod pars vel partialis entitas, respectu totius &c. Sed

Instatur: Si ratio principii exigitivi & radicalis potentiæ passivæ formalis est de essentia materiæ, potius deberet materia denominari, quòd exigeret ordinem, ad formam, quàm quòd habeat ordinem ad formam; similitèr quòd potiùs exigat esse subjectum, quàm quòd sit &c. sed hæc sunt contra omnem loquendi modum Philosophorum; ergò materia non poterit constitui, per tale principium exigitivum. R. cum Mastrio: quòd concipiendo materiam, ut ens incompletum, cui debeatur potentia & aptitudo proxima recipiendi formam, sufficientèr concipiatur in sua essentia, non concipiendo interim talem potentiam & aptitudinem proximam ad formas, & benè explicaretur essentia materiæ dicendo, quòd sit quædam natura substantialis absoluta, incompleta, quæ exigit potentiam, ad formas ut constituatur subjectum proximè, potens recipere formas; quando autèm dicitur, quòd materia dicat essentialem ordinem ad formas, vel quòd sit subjectum, ac pars compositi substantialis, tunc intelligendum est, de potentia radicali & remota, non verò de formali & proxima; quòd si tamen sit sermo de ista, tunc dicendum est, quòd sit essentialitèr talis in secundo modo, si verò intelligere quis vellet, in primo modo, tunc intelligas sub sensu reduplicativo. Itaq;

XI. *Potentia radicalis est essentia.*

Dico 3. *Potentia Radicalis, seu capacitas substantialis materiæ primæ, ad recipiendas formas, est de essentia materiæ vel potiùs essentia ejus.* Est communior Scot.

Et Probatur: Essentia materiæ primæ non potest melius explicari, quàm per hoc, quòd sit de se, capax omnium formarum, cùm sit de se uniuscujusq; subjectum, sed subjectum capax idem est, quod subjectum potens recipere formas; ergò potentia radicalis materiæ primæ, respectu formarum est essentia ejus: probatur consequentia, quia sublatâ hâc potentiâ radicali immediatè, formalitèr tolletur materia; ergò est de essentia ejus, id est, materiæ. Confirmatur: Illud est de substantia, seu essentia materiæ, quod constituit cum forma substantiali totum compositum Physicum, sed hoc nihil aliud est, quàm ista potentia radicalis, seu capacitas substantialis ipsius materiæ, ad recipiendas formas, ergò. Et per hæc dicta satis fuisse factum puto quæstioni, quantum ad primam difficultatem. Pro secunda

XII. *Potentia materiæ proximæ est multiplex.*

Dico 4. *Potentia materiæ proximæ, seu particularis, multiplex est, juxta pluralitatem formarum, universalis verò & remota una est, ad formas omnes.* Hæc videtur esse communior apud Canonicum Parisienses, &c. &

Probatur prima pars primò: Ex authoritate *Scoti 4. d. 43. q. 3. K. ubi docet: quòd tot sint in materia potentiæ, quot sunt formæ receptibiles in ea, ne dum specie, sed numero; imò ad unam eandemq; formam singularem, tot esse potentias, quoties eadem forma de novo introduci potest in materiam.* Ubi Scotus non loquitur, de potentia remota, quia de ea loquendo dicit, esse unam, quam etiam vocat ordinem aptitudinalem receptivi, ad receptum, ergò.

Probatur Conclusio secundò ratione: Materia in tantum dicitur habere potentiam particularem & proximam, in quantum per accidentia, diversas acquirit dispositiones, ad introducendam formam, sed pro varietate formarum, diversæ requiruntur dispositiones; ergò etiam diversæ potentiæ, & consequentèr tot erunt diversæ potentiæ, quot diversæ dispositiones ad formam.

Probatur secunda pars: *Ex 9. Met. t. 17. & 19. ubi dicitur: quòd in subjecto, contrariorum susceptivo, una est potentia, contrariorum receptiva disjunctim,* sed materia dicitur potentia contra-

contradictionis ex eo, quòd plures & contrarias formas susçipere possit; ergò erit una potentia, quâ omnes recipit.

Probatur eadem pars secundò, Ratione: Si in materia essent plures potentiæ universales & remotæ, sequeretur, quòd simul possit susçipere formam ignis & aquæ, sed hoc dicere est inconveniens: ergò; probatur sequela: Materia secundùm diversas partes, potest susçipere diversas & alias formas; ergò etiam, si materia habet diversas potentias, etiam diversas & contrarias susçipere naturaliter formas; quia, sicut nulla est contradictio, quòd secundùm diversas partes recipiat contrarias formas, ita nec est contradictio, quòd secundum diversas potentias, contrarias susçipiat formas.

XIII. **Dices:** Sequeretur, quòd materia esset infinitæ perfectionis, si una potentia posset recipere tot diversas & multas formas; sed hoc est inconveniens adstruere: ergò, probatur sequela, quia ideò Deus dicitur infinitæ virtutis & perfectionis, quia infinitos effectus producere potest, in genere causæ efficientis: ergò etiam materia erit infinitæ perfectionis, si una potentia infinitas formas, saltem syncategorematicè, in genere causæ materialis recipere valet. R. negando sequelam, quia recipere successivè plures formas, in potentia passiva, nullam arguit particularem & infinitam perfectionem; benè tamen arguit in potentia activa, quomodo autèm in Deo arguat infinitam perfectionem, posse plures & denuò plures effectus producere, declarabo infrà. Interim Contra eandem partem

XIV. Opponitur & Genus dist. **Opponitur** Authoritas *Aristotelis 3. Phys. 10. ubi dicit: quòd non sit una eademq; potentia, ad contraria* scilicet, ad sanitatem & ægritudinem: ergò nec est una eademq; potentia in materia, ad formas incompositibiles. R. illam authoritatem non esse intelligendam, de potentia passiva & activa, sed prout potentia & actus sunt differentiæ entis, quâ ratione etiam dixit suprà: potentiam & actum esse ejusdem generis & speciei, ut patet de posse sanari & posse ægrotare, de quibus exemplificat.

Instatur: Potentia illa remota passiva & receptiva dicit pro formali relationem transcendentalem, sed relatio, secundùm nos, multiplicatur ad multiplicationem terminorum, ut patet ex Logica: ergò etiam potentiæ multiplicari debent ad multiplicationem terminorum, qui sunt non modò numero, sed etiam specie diversi. R. dist. mi. Relationes multiplicantur, ad multiplicationem terminorum adæquatorum, concedo mi. terminorum inadæquatorum, nego mi. & consequentiam. Itaq; licèt ad multiplicationem filiorum, multiplicentur paternitates, in Titio, verbi gratiâ, hoc tamen non arguit, sic etiam debere multiplicari potentias in materia, quia filii omnes sunt termini adæquati & totales, materia tamen non respicit singulas formas, veluti terminos adæquatos, sed omnes collectivè sumptas, veluti unum terminum adæquatum & totalem; singulas verò, veluti terminos inadæquatos, adeoq; ad omnes collectivè sumptas, dicit etiam unam potentiam universalem & remotam.

Urgetur: Si una esset materia, quæ haberet potentiam, ad determinatam unam certam formam & alia ad aliam formam, tunc deberent multiplicari etiam potentiæ: ergò; etiam modo: quia etiam habet potentiam, ad aliam & aliam formam. R. negando consequentiam, quia in illo casu quælibet forma esset terminus adæquatus, non sic autèm est in proposito; quia nunc materia respicit ita formas, ut nullam respiciat, pro termino adæquato, sed omnes collectivè sumptas, quemadmodum sensus communis non respicit objectum unius potentiæ externæ, veluti terminum adæquatum: sed omnium collectivè, quamvis singuli respiciant suum objectum, veluti terminum adæquatum.

Dico 5. *Potentia sustentativa in materia, est formaliter distincta, à potentia receptiva formarum.* Hæc deducitur ex *Scoto in 3. d. 1. q. 1. art. 1. ubi ex parte accidentis distinguit ex natura rei habitudinem ejus, ad subjectum in ratione informantis & recepti, ab habitudine ejusdem in ratione sustentati,* ubi expressè insinuavit, debere etiam habitudines ex parte subjecti distingui. XV. *Potentia sustentativa est distincta à receptiva.*

Probatur Conclusio. Modus sustentationis ex natura rei, est formaliter distinctus à modo receptionis; ergò & potentia receptiva, sustentativa, patet consequentia quia distinctio potentiarum arguitur ex distinctione actuum adæquatorum, sed sustentationis actus & receptionis singuli respiciunt adæquatè potentiam sustentativam & receptivam; ergò ipsæ sunt distinctæ. Addidi in majori, adæquatorum, quia si sint actus inadæquati, licèt essent specie diversi, non arguunt semper potentiarum distinctionem. Probatur ant. principalis argumenti, tùm quia hi modi inveniuntur separati, quia materia animam rationalem recipit, non tamen sustentat, tùm quia Deus nequit supplere hîc receptionem formæ in materia, benè tamen sustentationem, ut patet de accidentibus Eucharisticis. XVI.

Dices: Sustentatio & receptio non sunt actus adæquati, sed tantùm inæquati, respectu potentiæ receptivæ; ergò non debent eam distinguere: probatur ant. quia potentia receptiva respicit utrumq; genus formarum, sive cum dependentia, sive sine dependentia: quia omnibus competit ratio informativa; ergò etiam eadem potentia receptiva. R. negando ant. cum sua probatione, quamvis enim potentia receptiva & sustentativa respiciat formam; eam tamen respiciunt sub diversa ratione formali, informativa nimirum & sustentabili; ac proinde singulæ, in suo genere, sunt potentiæ completæ & adæquatæ, & singulæ specificantur, à diversis rationibus formalibus. Plura non congero vel pro defensione, vel pro oppugnatione præsentis conclusionis, quia alteram partem censeo æq; probabilem, & Baro in principiis Scoti, tenet tanquam probabiliorem, ex eo, quòd non sint multiplicandæ potentiæ sine necessitate. XVII.

QUÆSTIO VIII.

De Appetitu Materiæ ad formas.

I. Omnes Philosophi, qui materiæ intelligentiam assecuti fuêre, concesserunt materiæ suum appetitum: ita ut supervacaneum sit, cum nonnullis Recentioribus, id fusiùs demonstrare, & appetitus acceptiones, tùm veterum, tùm modernorum, cum Barone refutare; Pro majori tamen dicendorum captu & claritate, quod mox citatus nullum animadvertisse putat,

II. *Appetitus tripliciter sumi potest.* Prænotandum primò: Appetitum (secundùm quod importatur per terminum) tripliciter sumi posse; primò pro potentia appetitiva, quæ communiter secernitur in rationalem & animalem, & sunt voluntas, & sensus animalis. Secundò sumitur pro actu procedente à tali potentia, in quantum tendit in aliquod bonum sibi conveniens. Tertiò pro naturali inclinatione alicujus rei, ad propriam, ex natura sua, sibi competentem perfectionem; quare sicut appetitus, in quantum dicit potentiam & non actum, seu in quantum dicit naturalem vim & virtutem, prima sui divisione dividitur in naturalem, seu in natum & elicitum, sic simpliciter dividitur actus; Appetitus elicitus est, qui à tali potentia appetitiva procedit, seu illa sit materialis, seu rationalis, præcedente aliquâ cognitione, in quantum fertur in aliquod objectum, sibi propositum. Appetitus innatus, seu naturalis est inclinatio, seu propensio rei cujuscunq; ad sui perfectionem: & est à natura rei cuilibet naturæ indita, sic dicitur, lapis habere naturalem inclinationem, ut descendat deorsum & ignis sursum, inter quos est magnum discrimen & differentia, quia elicitus est actus realiter productus, distinctusq; realiter à producente seu appetente, præsupposita aliqua cognitione rei illius, in quam tendit appetitus; Innatus è contra non sic producitur, nec distinguitur, nec præviam requirit præcognitionem & talis est appetitus materiæ.

III. *Alius est desiderii, alius complacentiæ.* Notandum secundò: Appetitum adhuc alium esse desiderii, alium complacentiæ; complacentiæ est ad rem habitam & possessam, in quâ habens sibi complacet; appetitus verò desiderii est, qui ad rem absentem & quæ defacto non habetur & possidetur, fertur; distinctio inter utrumq; hæc est, quòd desiderii habeat ad nexam prioritatem durationis, ad formam & consequentèr privationem formæ, unde cùm dicitur, quòd appetitus pereat adveniente formâ, intelligendum est secundùm hoc connotatum, non verò quòd à parte rei desinat; appetitus verò complacentiæ ex opposito habet annexam simultatem cum actu & ejus receptione, cæteroquin unus, & idem est appetitus.

IV. *Sicut elicitus variatur, ita innatus.* Notandum tertiò: Quòd quemadmodum actus, seu appetitus eliciti, alii sunt conditionati, alii absoluti, alii efficaces, alii inefficaces, ita etiam variantur & multiplicantur suo modo innati, dico notanter *suo modo*, quia appetitus innatus magis metaphoricè, quàm propriè dicitur appetitus, deductâ similitudine ab appetitu elicito; unde quidquid dicitur de uno, potest etiam dici de altero proportionalitèr, non verò tàm exactè, ut ad amussim utriq; quadret, sed sufficiat, ut simili aliqua ratione.

V. *De quibus hic dubitatur.* His prænotatis, circa titulum quæstionis primò dubitatur, an materia appetat formas, sub ratione generica, vel specifica formarum, vel sub ratione individuali? Secundò, an etiam appetat formas supernaturales, etiam semel habitas ac corruptas? Tertiò demiq;, an magis appetat formam perfectam, quàm imperfectam? Circa quam materiam communior est sententia, materiam appetere omnem formam; Regentes Parisienses tamen, Ruvius Amicus, Aversa, putant, quòd eas appetat, secundùm rationes individuales, & non magis nobiles, quàm ignobiles, sed æquàlitèr omnes; verùmtamen contrariâ puto esse incedendum viâ. Unde

VI. *Materia petit omnem formam tamen sub ratione singulari.* Dico I. *Materia appetit omnes formas, non tamen secundùm rationes singulares, sed secundùm rationes genericas, & specificas essentiales.* Prima pars est communis, secunda deducitur ex Principiis Scoti, estq; Baronis, Arriagæ, Sghemma &c.

Probatur Conclusio ex principiis Scoti 7. Met. q. 15. & 1. d. 3. q. 6. ubi docet: Singularitatem non esse rationem agendi, sed solam naturam & formam specificam; ergò, nec est ratio patiendi, & consequentèr appetendi formam, sive illud sit agere, sive pati, non appetet quâ hæc est, sed quâ forma est.

Probatur secundò, tum quia materia appetit formam quâ bona est, sed forma bona est, non quâ hæc est, sed quâ talis naturæ est; ergò, tùm quia si appeteret formas, quatenus singulares sunt, non appeteret magis nobiliores, quàm ignobiles, sed appetit magis nobiliores, ut infrà dicam; ergò non appetet eas, quâ singulares sunt; probatur sequela, quia illæ quâ singulares, non sunt bonæ, quod antèm non est bonum, non potest esse melius, nulli etenim comparativus competit, ubi nullus præsupponitur positivus.

Probatur Conclusio tertiò: Quia si materia appeteret formas singulares, quâ tales, verbi gratiâ, formam lapidis hanc numero, sequeretur quòd alias abhorreret, sed hoc est contra rationem materiæ, quæ est indifferens ad omnes: ergò; probatur sequela, quia deberet ab iis tàm abhorrere, quàm privationibus, sed materia abhorret privationibus: ergò; etiam ab aliis formis: probatur ma. quia una singularis forma tàm est incompatibilis cum alia, quàm cum privatione sui.

VII. Dices: Hæc argumenta benè probare materiam secundùm se spectatam, appetere formas etiam secundùm rationem specificam, non verò si consideretur, in quantum est singularizata: nam sic etiam appetet eas, ut singulares & non ut specificas. Sed Contra, licèt materia singularis sit defacto, nihilominùs illa non appetit formas, ut singularis est, sed ut materia est: & talem appetitum terminat etiam ad formam, non ut singularis est, sed ut forma est. Sed

Instabis;

Instabis: Materia, cum hac numero forma, constituit unum per se totum; ergò hanc numero appetit; probatur consequentia, quia appetitus fertur in id quod facit, sed facit compositum, cum hac numero forma; ergò appetit hanc numero. R. dist. consequens, appetit hanc numero, ut hæc numero est, nego consequentiam, ut forma est, concedo. Itaque licèt materia appetat formam etiam in numero hanc, nihilominùs non facit, in quantum hæc est, sed quia forma est, & sic quoquè requiritur singularitas, ipsa tamen non concurrit, nisi per modum conditionis, qualitèr etiam dici potest, quòd materia feratur in unionem, cùm unio sit conditio ad habendam formam. Sed principalitèr contra primam partem Conclusionis, quæ desè indubitata videtur.

VIII. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur. Si materia appeteret omnes formas, deberet omnes simul naturalitèr habere, sed hoc non potest, ergò: probatur ma. quia non datur appetitus ad aliquid, quod non potest naturalitèr habere; ergò cùm materia non posit naturalitèr simul habere omnes formas, non potest eas simul appetere. R. dist. ma. posset eas simul habere simultate actûs, nego ma. simultate potentiæ, concedo. Itaquè licèt posset omnes appetere, & etiam appetat, non potest tamen habere eas simul in actu, benè tamen in potentia, ita ut dum habet unam, habeat adhuc appetitum ad alteram, tàm habitam, quàm non habitam, desiderando vel complacendo.

Instatur. Non datur appetitus innatus ad impossibile, sed omnes formæ sunt impossibiles, ergò, probatur mi. quia formæ possibiles sunt infinitæ, ergò. R. 1. quòd licèt formæ essent infinitæ, de quo infrà, adeóquè non possent poni in materia; tamen nulla est forma in tota collectione formarum, quam Deus hìc & nunc non posset ponere in materia, & sic nulla in eis esset, cujus materia non esset successivè receptiva.

Urgetur. Si materia appeteret omnem formã, nunquam satiaretur, sed hoc est falsum, ergò; probatur ma. quia quamcunquè formam haberet, adhuc appeteret aliam. R. dist. seq. Non satiaretur extensivè, concedo, id est, nunquam haberet tot formas, quin posset plures recipere: Non satiaretur intensivè, id est, nunquam naturalitèr quiesceret, sub una forma, nego sequelam; Quando ergò habet aliquam unam formam ultimatam, tunc est satiata, quantum simul potest satiari. Sed

IX. *Materia appetit formas supernaturales, sicut naturales.*

Dico 2. Materia appetit formas supernaturales, sicut etiam simul habitas & corruptas. Hæc quoad primam est Baronis, quam ex principiis Doctoris quoquè probat, nam in 2. d. 24. q. un. *docet, quòd quantum crescat anima in entitate & perfectione, tantum quoq; crescat in capacitate charitatis* & 3. d. 13. q. 4. de eadem loquens capacitate, dicit, quòd ista potentialitas fundatur in natura animæ. Ex quibus sic argumentor: Appetitus materiæ nihil est aliud, nisi capacitas & perfectibilitas per formam, tàm benè, ac animæ capacitas gratiæ; sed hæc est tam naturalis in materia quàm in anima: ergò tàm benè potest recipere formam supernaturalem ac anima. Probatur idipsum secundò, supponendo appetitum & capacitatem materiæ, respectu gratiæ esse supernaturalem; quæro jam, utrùm materia appetat hanc nec non? negari non potest, cùm sit quædam ejus perfectio, aut ergò eam appetit naturalitèr, aut supernaturalitèr? si naturalitèr, habetur intentũ: quia hæc ipsa forma est supernaturalis; deinde sequitur, quòd eodẽ modo gratia appetatur naturalitèr; si dicatur autèm, quòd illam capacitatem supernaturalem supernaturalitèr recipiat, quæram de hac iterum & sic ibitur in infinitum, vel standum erit in aliquo supernaturali, quod naturalitèr recipi possit. Confirmatur tota hæc doctrina ex D. Aug. lib. de prædest. sanct. cap. 5. ubi ait: *Posse habere fidem, sicut & charitatem naturæ, est hominum, habere verò gratiæ, Dei.*

X.

Dices: Appetitus innatus non est, nisi ad formas naturales, sed materia habet appetitum innatum tantùm, ergò non erit ad formas naturales. Sed R. negando ma. quia aliàs etiam capacitas naturalis non esset, nisi ad formas & perfectiones naturales, quod tamen de fide constat, contrarium esse in gratiis & donis supernaturalibus.

XI.

Probatur 2. pars Conclusionis, quia appetitus materiæ non est, nisi perfectibilitas & capacitas formæ, sed materia est æquè capax formæ habitæ & corruptæ, ac formæ non habitæ & possessæ: ergò habet æquè appetitum ad formam corruptam, ac ad alias, ma. est certa. probatur min. tùm quia cum forma corrupta, de novo producta, iterum constitueret unum per se totum, sicut antè, ut patet, de anima rationali, quæ post separationem reunita, idem prorsus componit totum: tùm, quia si forma corrupta non posset iterum recipi naturalitèr, debuisset fuisse aliquod impedimentum, positum ex parte materiæ, sed nullum tale est assignabile, ergò materia habebit eandem inclinationem ad formam semel corruptam, ob ejus summam indifferentiam; non videtur etenim, quare si forma ignis *A* corrupta, à Deo iterum reproducuceretur, cur cum ea non posset componere unum per se, sicut cum forma ignis *B* quæ nunquam fuit corrupta. Confirmatur Conclusio: Forma aliqua post separationem, naturalitèr iterum appetit materiam, ergò etiam materia formam semel separatam; consequentia tenet à paritate rationis; ant. verò patet, in anima rationali, quæ appetit unionem ad corpus. Confirmatur secundò: si color aliquis vel sonus, de novo producatur, qui semel desierat, oculus eum naturalitèr videbit, & auris audiet: licèt supernaturalitèr esse secundum acceperit, ergò etiam materia naturalitèr recipiet formam, licèt semel sit destructa, & supernaturalitèr reproducatur. Sed in contra

XII. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur. Non datur appetitus ad illud, quod naturalitèr est impossibile, sed non est naturalitèr possibile, quòd materia recipiat formam semel corruptam; ergò non datur appetitus. Sed R. negando ma. quia alioquin materia non posset appetere formas naturales, quæ naturalitèr non sunt possibiles, nec nos possemus appetere beatitudinem, quæ tamen falsa sunt. R. 2. distinguendo mi. non sunt naturalitèr possibiles formæ, semel corruptæ, ex parte

causæ effectivæ, eas reproducentis, concedo mi. ex parte subjecti eas recipientis, nego mi. Itaque materiæ perinde est, sive recipiat formam semel corruptam, sive nunquam ante productam.

Instatur: Si formæ illæ non sunt naturaliter possibiles, ex parte causæ eas producentis; ergò nec sunt possibiles, ex parte materiæ recipientis; probatur consequentia; quia eadem est ratio, de una ac altera, eademque difficultas: ergò probatur ant. quia, sicut formæ producuntur ab efficiente, ita ex materia educuntur. R. negando consequentiam cum ait; probationis, quia major virtus requiritur ad agendum, quàm ad patiendum: deinde non videtur etiam, quare non posset causa secunda producere effectum etiam semel productum & corruptum; non videtur enim magis distare id, quod nunquam fuit ab eo, quod jam semel fuit; unde putat Baro, nihil obstare, nisi decretum Divinum; nam ut infrà dicam, Deus etenim determinat causam secundam ad individuationem actûs.

XIII. *Materia non appetit omnes æqualiter.*

Dico 3. *Materia non æqualiter appetit formas, sed nobiliores magis, quàm ignobiles.* Hæc est Doctoris principiis conformis, nam in 4. d. 49. q. 10. probat, appetitum naturalem ad majorem perfectionem esse majorem, & ad beatitudinem, quæ est maxima esse maximum, item d. 50. q. 5. ubi docet: appetitum naturalem in beatis ad beatitudinem non expleri simpliciter per quemcunquè beatitudinis gradum, quia non æqualiter appetit hunc vel illum, sed sicut summè non appetit nisi summum, ita non nisi in summo quietari potest, ergò etiam appetitus materiæ non est æqualis ad formas omnes, sed nobiles magis appetet, quàm ignobiles: cùm ejus appetitus sit innatus & naturalis.

Probatur Conclusio secundò: ex Aristotele, argumento topico quo utitur 1. Met. In causis præcisis sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum: sed materia simpliciter appetit formam, quia est ejus perfectio, ergò magis appetit formam, quæ magis perficit & maximè, quæ est maxima ejus perfectio.

Probatur tertiò ratione: Tum quia quod magis intenditur à natura, magis quoquè appetitur: sed formæ perfectiores magis intenduntur à natura, ergò quoquè magis appetentur: tum quia materia magis appetit formas substantiales quàm accidentales, sed substantiales sunt perfectiores, ergò appetit magis perfectas: tum denique sicut appetitu elicito appetitur magis bonum quàm minus bonum, ita etiam appetitus innatus magis feretur ad magis bonum, quàm ad minus bonum.

XIV. **Dices:** Dispariratem esse, quia appetitus elicitus fertur in magis bonum, ex eo quòd illud præcognoscat & discernat, quod facere nequit appetitus innatus. Sed contra 1. Idem quod præstat cognitio in appetitu elicito, præstat instinctus naturæ in appetitu innato: itaquè quod discretio facit in cognoscentibus, hoc appetitus & instinctus naturæ facit in non cognoscentibus, nam ut dicit Aristoteles, opus naturæ & opus intelligentiæ. Contrà secundò naturalis inclinatio est cum maxima rectitudine, utpote, cùm indita sit ab Authore naturæ, sed naturalis rectitudo postulat, ut magis appetatur quod est magis perfectum, ergò. Sed contra conclusionem directè

Arguitur 1. Materia est indeterminata, & indifferens ad omnes formas, ita ut unam non magis, quàm aliam recipere nata sit, ergò etiam omnes æqualiter appetet. R. dist. ant. est indifferens & indeterminata, quatenus excludit determinatam inclinationem, concedit ant. quatenus excluderet inclinationem majorem ad unam, ut tamen non excludat inclinationem ad alteram, nego ant. & consequentiam; Itaquè materia indeterminata est, & æqualiter omnes appetit, in quantum TO *æqualiter* excludit inclinationem determinatam, non verò inclinationem majorem. XV. *Argumentum in contrarium primum.*

Instatur: Istam majorem inclinationem materia non habet ex se, ergò ex se non habet majorem inclinationem ad unam præ alia; probatur ant. quia hanc tantùm acquirit ab agente extrinseco, quod illam potius determinat ad perfectiorem præ imperfectiori forma. R. negando ant. cujus probationis ant. distinguo, quia hanc tantùm acquirit ab agente extrinseco, in quantum dicit inclinationem determinatam, concedo ant. in quantum dicit inclinationem majorem, nego ant. & consequentiam.

Urgetur. Limus vel terra, aut lutum, non acquirit ab agente extrinseco, figulo scilicet majorem inclinationem, ut fiat vas in honorem vel contumeliam, ergò nec materia: ergò sicut lutum est indifferens ad formam in opus honestum, & opus contumeliosum: ita etiam erit materia. R. concedendo ant. & primam consequentiam, quia nec responsio dicebat, quòd majorem inclinationem acquireret per agens extrinsecum, benè tamen quòd magis determinetur; itaquè tenet paritas de figulo respectu luti, & agente extrinseco respectu materiæ: quòd scilicet utrumq; ad hanc vel illam potius formam per causam naturalem determinetur, non verò, quòd majorem inclinationem acquirat; unde nego secundam consequentiam: disparitas est, quia inclinatio luti est neutra, materiæ verò est naturalis.

Arguitur 2. Si materia magis appeteret formam perfectiorem quàm ignobiliorem, esset in statu violento, dum est sub ignobiliori, sed hoc non est dicendum, ergò: probatur sequela, quia tunc aliquid est in statu violento, quando naturaliter appetit aliquid, quod est incompossibile cum illo, sub quo defacto est, sed &c. ergò. R. negando sequelam ma. cujus probationis ma. dist. tunc aliquid est in statu violento, quando inclinatur ad aliquid oppositum simpliciter, concedo ma. quando inclinatur ad oppositum magis quidem, ita tamen ut sub priori æquè naturaliter quiescat, nego ma. similiter dist. mi. nego consequentiam: Ita licèt materia majorem inclinationem dicat ad formam perfectiorem & nobiliorem, non dicit tamen magis determinatam, quem ad modum licet lapis aut quodcunquè aliud grave simpliciter XVI. *Secundum*

citèr peteret esse in centro, non sequitur tamen, quòd sit in statu violento, quando est super superficiem terræ, quia non est extra latitudinem suæ sphæræ: sic in proposito materia non est in statu violento, licèt sit sub ignobiliori & appetat nobiliorem: quia est adhuc sub sua naturali perfectione. Sed

Instatur: Hinc sequeretur, quòd materia unicam tantùm appeteret formam, sed hoc est contra communem, ergò: probatur, lapis tendendo deorsum, simpliciter tantùm appetit unicum centrum, ergò etiam materia unicam tantùm formam: probatur consequentia, si lapis esset in centro, nullum aliàs ubi expeteret, quia esset in suo loco perfectissimo, ergò etiam materia, nullam aliàs formam, quia esset sub perfectissima, quod est contra mox dicenda. Resp. negando sequelam, quia cum appetitu majori formæ nobilioris, stat quoquè appetitus formæ ignobilis: ad probationem sequelæ dico: quòd licèt lapis magis appetat centrum, non tamen illud appetit, quin possit naturaliter quiescere in superficie, & si esset in centro adhuc potest habere appetitum ad quiescendum naturaliter & non violenter in superficie, prout etiam dicam de materia.

Urgetur. Non potest esse major vel minor inclinatio ad quidpiam in aliquo, nisi illud sit capax intensionis & remissionis, sed materiæ appetitus non est capax intensionis & remissionis, ergò majorem inclinationem habere non poterit ad unam præ alia formam: probatur mi. quia appetitus materiæ est unicus & indivisibilis, ergò. Resp. 1. Argumentum bonum esse, sed æquè esse Adversariis solvendum, quia ipsi quoquè concedunt materiam appetere plures formas substantiales, item & accidentales & magis illas, quàm has. Resp. 2. dist. ma. nisi sit capax intensionis & remissionis formaliter vel virtualiter, aut æquivalentèr, concedo ma. nisi sit capax formalis intensionis semper, nego ma. & dist. similitèr min. nego consequentiam. Itaquè materia unico & indivisibili, aptitudinali respectu, respicit omnes formas, tanquam terminum adæquatum, tamen respectus ille prius ex natura rei refert materiam ad formam perfectiorem, quàm ad imperfectiorem, & eodem respectu respicit illas cum tali subordinatione, & in hoc sensu dicitur materia appetere magis perfectam quàm imperfectam, non quoad aliquam intensionem & remissionem.

XVII. *Dum est sub ignobiliori adhuc appetit formam nobiliorem.*

Dico 4. Materia, dum est sub forma nobiliori, adhuc appetit formam minùs nobilem. Hæc est Doctoris 1. d. 1. q. 1. Probatur: Materiæ appetitus non est aliud, quàm ejus perfectibilitas, sed non obstante formâ perfectissimâ, materia adhuc esset perfectibilis per formam minùs perfectam; probatur minor, quia posse materiam perfici, non est aliud, quàm posse fieri cum forma unum per se, sed hoc potest fieri cum quacunquè forma, ergò. Confirmatur, quia appetitus materiæ ad quamcunquè formam, est ejus proprietas, sed talis semper manet durante re, & subjecto, cujus est proprietas, ergò non obstante quâcunquè formâ, materia habebit adhuc appetitum ad alias formas, esto illæ sint minùs nobiles, minusquè perfectæ. Sed

Opponitur Authoritas Doctoris subtilis 1. d. 1. q. §. ad ultimum dico; ubi asserit, quòd materia sub perfectissima forma totalitèr satietur quoad appetitum, verba ejus sunt hæc: *Dico, quòd non quæcunq; forma satiat materiæ appetitum totalitèr & extensivè, nisi in illa omnes formæ inferiores includerentur*; Ergò si materia habet perfectissimam formam, satiabitur plenè ejus appetitus & consequentèr, dum est sub perfectissima & nobilissima, non appetet minùs nobilem. Sed Rx. Scotum loqui de forma in qua includerentur omnes aliæ formæ, non tantùm eminentur & quoad perfectionem illarum, sed etiam formalitèr & secundùm se; & tunc verum est, quòd non appeteret ullam aliam, quia haberet omnem formam ad quam dicit appetitum, conclusio verò loquitur de perfectissima forma in prima acceptione tantùm. Deinde Rx. 2. Scotum ibi non velle, quòd satiarentur omnes ejus appetitus ita, quòd non posit ullam aliam formam appetere, sed tantùm vult, quòd illa unica forma satiaret omnes appetitus materiæ intensivè, ita quòd nullam formam posset appetere, quæ magis intensivè eam satiaret & perficeret, & quòd materia tunc appeteret adhuc alias formas, nihil absurdi sequeretur magis, quàm quòd beatus videns Deum perfectissimè, peteret adhuc videre alias res creatas. Sed

XVIII. *Opponitur & solvitur Arist.*

Instatur: Voluntas non potest appetere, vel saltem non appetit minùs bonum relicto majori & perfectiori bono, ergò nec materia, quia nihil appetit quod est malum sibi. Rx. 1. negando ant. quia non tantùm potest, sed & frequentèr relicto nobiliori bono appetit minùs nobile, ut patet ex illo Ovidii: *Video meliora proboq; deteriora sequor*: unde negatur etiam consequentia & ratio pro probatione adducta, quia licèt materia appeteret minùs nobilem formam, nihilominùs non appeteret aliquod malum, sed simpliciter aliquod bonum, licèt malum secundùm quid, imò nec imperfectum, sub hac ratione, sed sub ratione boni, & ratione perfectionis.

QUÆSTIO IX.

De Unitate Specifica Materiæ.

Quæstionem hanc examinandam instituo, de omni materia possibili, id est tàm de sublunari, quàm cœlesti, & illa, ex quibus substantiæ spirituales ut Angeli & animæ componerentur, si constarent materia, ut nonnulli Sanctorum Patrum & Doctorum senserunt, unde quæstionem hanc pluribus resolvam conclusionibus, & inprimis I.

Dico 1. *Non videtur implicare alia materia specie distincta à nostra.* Hæc est communior inter Scotistas & Recentiores contra Baronem, & Probatur, quia potest Deus creare alium mundum, & alium seriem rerum ab hac, quæ defacto est planè distinctum, ergò erunt ibi aliæ & aliæ dispositiones ad alias formas susciendas & consequentèr alia materia. Probatur secun- II. *Non implicat alia materia specie distincta.*

secundò: Quia non implicat, quòd aliquod subjectum limitetur ad determinatas aliquas formas suscipiendas, ergò etiam non implicat, quòd materia limitetur ad aliquas determinatas actu, sed illa materia sic limitata esset diversæ speciei & rationis à nostra, patet ant. quia defacto videmus accidentia & quantitatem præcipuè esse limitatam ad suscipiendas qualitates & alia respectiva, ita ut nullam formam suscipere possit substantialem, sicut nec potest quodlibet aliud accidens. Probatur tertiò: Quia si Angeli constarent materia, illa deberet esse diversæ speciei à nostra, ergò: sed de hoc infra expresè agam, nunc contra conclusionem

III. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Si esset aliqua materia possibilis alia à nostra, illa deberet esse imperfectior, sed non posset esse imperfectior, ergò. probatur mi. quia nostra est imperfectissima, ergò nulla posset esse imperfectior. R. dist. ma. si formæ, quarum illa materia esset susceptiva, nec numero, nec perfectione essent æquales, concedo sequelam, si essent æquales vel perfectiores, nego sequelam & minorem: quia nostra materia non est ita imperfecta, ut omnium sit imperfectissima, nam imprimis est perfectior omnibus accidentibus. Deinde non videtur improbabile, quòd sit etiam perfectior multis formis substantialibus materialibus, adeoquè non est absolutè imperfectissima dicenda.

Instatur. Ens perfectissimum non potest multiplicari specie, ergò nec ens imperfectissimum, qualis est materia. Resp. primò, negando consequentiam, ejusquè suppositum, videlicet materiam esse ens imperfectissimum, ut paulò ante dixi. Resp. secundò, negando consequentiam, disparitas est, quia si ens perfectissimum non posset multiplicari specie, sequeretur, quòd nec posset multiplicari numero, quia ens perfectissimum, quale est Deus, super omnia benedictus, nec numero multiplicari potest; unde ens perfectissimum excludit ratione infinitatis omnem multiplicationem, non sicut ens imperfectum. Deinde dico materiam non esse ens imperfectissmum.

Urgetur: Actus purus non potest alium in perfectione superare, ergò nec pura potentia poterit aliâ esse imperfectior vel perfectior. R. negando consequentiam, quia actus purus omnem possibilem perfectionem sibi identificat, ita quòd excludat omnem imperfectionem: pura potentia verò non excludit omnem omninò perfectionem, adeoquè una aliâ perfectior esse potest.

IV. *Sublunarium est una specie infima.*

Dico 2. *Materia sublunarium probabilissimè est una specie athomá.* Ita Doctor & communis omnium.

Probatur Conclusio: Quia essentia materiæ consistit in ratione subjecti seu receptivi formarum, sed materia omnis rerum sublunarium est ejusdem receptivitatis & capacitatis ad formas, ergò est ejusdem rationis & speciei, probatur, quia quælibet materia est capax cujuslibet formæ, cujus est capax altera, ergò quælibet est ejusdem receptivitatis & capacitatis: probatur ant. ex mutationibus, quas videmus experientiâ fieri, circa eandem materiam, quia ex aqua facti sunt pisces, ex piscibus putrefactio vel combustis fiunt cineres, & terra, ex cineribus & terra gignitur gramen, ex gramine eso ab animali sanguis & semen, ex semine animal & sic de cæteris, imò ex terra progeneratur arbor, ex arbore ignis, ex igne aër, ex aëre aqua, ubi planè per circulum ab eodem reditur ad idem. V.

Dices: Si ratio quid probaret, probaret etiam, quòd omnes formæ sint ejusdem speciei, sed hoc est inconveniens dicere, ergò etiam erit inconveniens dicere, materiam esse ejusdem speciei: probatur sequela, quia sicut omnes materiæ sunt ejusdem receptivitatis, ita etiam formæ sunt ejusdem activitatis & informationis, ergò. R. negando sequelam cum sua probatione, ratio est, quia tota essentia materiæ consistit in susceptivitate, non verò tota essentia formæ in informatione, quia hæc non solùm informat, sed etiam est principium diversarum operationum. Sed

Instabis: Omnes potentiæ distinguuntur specie, quando actus sunt specie distincti, sed materiæ actus sunt specie distincti, ergò etiam ipsa. Sed R. negando ma. universaliter, vel si mavis distingue eam: potentiæ distinguuntur specie, quando potentiæ respiciunt actus determinatæ speciei, concedo ma. quando respiciunt actus tantùm indeterminatè, nego ma. & dist. sic min. nego consequentiam, vide dicta supra, sed principaliter contra Conclusionem

Opponitur Authoritas Aristotelis lib. 4. de Cœlo cap. 5. ubi ait: *Ad aliam formam aliam materiam esse necessariam, & in genito ac corrupto manere eandem materiam numero, non verò specie.* Sed R. Aristotelem tantùm velle, quòd in quolibet composito sit alia & alia species accidentaliter, non verò essentialiter, in quantum videlicet materia secunda per accidentalem dispositionem ad hanc illam specie formam est determinata. VI. Opponitur Aristoteli.

Instatur: Aristoteles dicit: materiam primam & non secundam, se habere respectu formarum substantialium, sicut materia artificiatorum respectu formarum artificialium, sed hæc est specie diversa, ut patet de auro, stanno, ligno, &c. ergò etiam materia prima est specie diversa. R. dist. ma. Materia prima se habet sicut materia artificiatorum secundùm entitatem suam, nego ma. quantum ad hoc, quòd sicut artificiatorum materia successivè plures formas possit suscipere, ita etiam materia plures formas naturales, concedo maj. unde concessa mi. nego consequentiam: quia non est comparatio secundùm omnem respectum, alioquin etiam deberet esse generabilis & corruptibilis, quòd tamen nemo dicet: deinde materia quamlibet formam suscipere potest, non tamen materia artificiatorum, nam ex plumbo non fit gladius vel aratrum, nec ex trunco Mercurius.

Urgetur: Hinc sequeretur, quòd Homo & Leo, non distinguerentur specie totaliter,

liter & adæquatè, sed hoc non est dicendum, ergò. R. dist. sequelam, si per totalitèr & adæquatè intelligatur, non distingui secundùm utramque partem specie, concedo ma. si intelligatur, quòd simpliciter totum non distinguatur specie, nego ma. & consequentiam. Itaquè ad distinctionem specificam hominis & leonis sicut etiam quarumcunque specierum sufficit, quòd forma, quæ præcipuè dat esse & distinguit, sit in iis specie diversa, sicut etiam, ut aliqua specie distinguantur Metaphysicè sufficit, quòd differentia sit specie diversa, idem enim genus per plures specificas differentias contrahitur; Imò satis probabile esse dico, quòd non modò variatio formæ sufficiat ad specificam distinctionem, sed etiam puto, quòd aliqua specie distinguerentur, licèt haberent easdem formas, dummodo in ipsis esset alia & alia materia: nam unitas & convenientia ex integra causa, variatio autem & distinctio ex quacunque variatione cujuscunquè partis, nam species se habent veluti numeri, qui ad cujuscunquè unitatis variantur. Ergò.

VII. *Hæc cœlestium species distinguitur.*

Dico 3. *Materia corporum cœlestium, ex suppositione quòd detur, non distinguitur specie à materia corporum sublunarium.* Hæc est Doctoris 2. d. 14. q. 1. & suorum, quam etiam tenuit D. Bonaventura, Avicenna & tenent plurimi Recentiores, ut Molina, Hurtadus, Quiedo &c. Et

Probatur primò: Authoritate D. Augustini lib. 12. Confess. cap. 8. *Tu Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re, penè nullam rem, unde faceres magna, quæ miramur filii hominum, valde enim mirabile hoc cœlum corporeum*; sed per mundum intelligitur cœlum & terra, ut habet ibidem cap 19. & lib. Imperf. Gen. cap. 3. & 4. & cap. 3. expressè hæc habet: *Mundus vocatur digestio & ordinatio, singularum quarumq; rerum formatarum & distinctarum. Ipsa verò materies, cœlum & terra, veluti semen cœli appellata est, quasi confusum atq; permixtum, ab Artifice Deo, accipiendis formis idoneum.*

Probatur Conclusio secundò ratione: Quia non sunt multiplicanda entia sinè necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi materias, ergò non est dicendum, quòd alia sit materia cœlorum, alia sublunarium: probatur mi: si esset aliqua necessitas, esset maximè, ut salvetur incorruptibilitas cœlorum, sed ad hanc salvandam non requiritur multiplicatio materiarum, ergò. ma. est Adversariorum: minor autèm inde patet, quia in sententia nostra cœli sunt simpliciter corruptibiles, ergò non requiritur alia materia ad salvandam incorruptibilitatem, cùm nulla sit; probatur ant. tum ex labore & doctrina Astronomorum, qui deprehendunt cœlos esse passibiles, nam non modò in luna, sed & in sole, & stellis beneficio tubi optici maculas tàm fixas, quàm mobiles; tum quia Mathematici ajunt: Cometas non modò in regione aëris, sed & in ipsis fieri cœlis: tum deniquè quia sacra Scriptura simpliciter testatur cœlos esse corruptibiles, nam 2. Petri 3. clarè dicitur: *Latet eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua & per aquam consistens Verbo Dei, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit, cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt: igni reservati in diem Iudicii & perditionis, Impiorum hominum &c. Adveniet autem dies Domini, ut fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa verò calore solventur, terra autèm & quæ sunt in eâ opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint &c. cœli ardentes solventur*, per quæ verba satis & sufficienter declaratur cœlorum mutabilitas & corruptibilitas, ergò.

Dices: Per Cœlos intelligi aërem, non verò cœlos & sphæras cœlestes, sicut etiam in Evangelio, Aves in aëre volantes, *aves cœli* vocantur. Resp. quòd quamvis per cœlum nonnunquam intelligatur aër, nihilominùs rarò, aut vix invenietur, quòd aër appelletur in plurali *Cœli*. Deinde dicitur, quòd cœli sint liquefactione solvendi, quod de aëre verificari non potest, cùm ipse absquè hoc sit liquidus, nihil enim liquefit nisi solidum, quales sunt cœli, de quibus dicit Beatus Job 37. quòd sint *solidissimi quasi ære fusi*. ergò non aër, sed cœli intelliguntur in textu adducto. Sed VIII.

Dixi autèm in conclusione, Ex *suppositione quòd detur*, quia hæc quæstio non potest locum habere apud eos, qui simpliciter negant, cœlos esse compositos Physicè secundùm partes duas essentiales realiter distinctas, ut tenent Averoistæ & Thomistæ, negantes esse ejusdem speciei, ut materiæ incorruptionem salvent. IX.

Dico 4. *Si Angeli essent compositi ex materia & forma, adhuc essent spirituales, sed eorum materia esset diversæ rationis à materia sublunarium.* Hæc est communior & de mente D. Bernardi, qui videtur sentire Angelos esse Physicè compositos, attribuit ei tamen diversas operationes ab operationibus nostris, ergò etiam habent diversam materiam; Et X. *Si angeli haberent materiam, ea esset distincta à nostra.*

Probatur ulterius: Quia materia, quâ constaret Angelus, deberet esse indivisibilis entitativè, aliàs ipse non esset indivisibilis entitativè, sed divisibile & indivisibile sunt distinctæ speciei, ergò etiam materia Angelorum esset diversæ speciei à nostra, cùm hæc sit divisibilis. Confirmatur, quia materia Angeli deberet esse spiritualis, & materia sublunarium est corporea, ergò esset diversæ rationis.

Dices: Materiam Angeli nec esse corpoream, nec spiritualem, sed reddi spiritualem per formam Angeli. Sed Contra, quia si datur à parte rei materia talis, necessariò debet esse vel corporalis, vel spiritualis: quia ens ut sic adæquatè dividitur in spirituale, & corporale, ita quod nullū detur ens, quòd non sit, vel spirituale, vel corporale, ergò materia ipsa non XI.

potest abstrahere ab utroque. Probatur ant. ex D. Augustino lib. de natura boni cap. 1. ubi ait : *Omnis natura, aut corpus, aut spiritus est*, & lib. 12. Gen. lit. cap. 7. *Quidquid corpus non est, & tamen aliquid est, jam rectè spiritus dicitur.* Ergò

XII. Quæres: An materia sit activa? Resp. materiam esse Metaphysicè & intentionaliter activam. Patet, quia ab illa emanant proprietates & passiones, sed hoc est esse activum Metaphysicè, ergò. Deinde pullulant ab ipsa relationes accidentales, item movet intellectum ad cognitionem sui, quæ est actio intentionalis. Deinde sat probabile est etiam, quòd concurrat ad operationes Physicas, verbi gratiâ, ad motum, quæ operationes toti compositio competunt & non soli formæ. Nec obstat, quòd communiter dicatur materiæ esse proprium pati & formæ agere, quia hoc tantùm intelligendum est, quòd forma sit ratio agendi determinatè, seu hac determinatâ actione: materia verò non est talis ratio agendi determinatè, sed tantùm indeterminatè per quamcunque actionem, per quod adhuc sufficienter distinguitur ejus passio ab actione formæ.

DISPUTATIO III.
DE FORMA SUBSTANTIALI.

SEcundum *& principalissimum rerum naturalium principium est forma, quæ tanquam Dea vel Regina in materia, veluti in solio suo, residet, cujus obsequio & servitio deputata sunt accidentia, quæ eam tuentur, omnibusq; modis propugnant & defendunt, quæ Antiquis, licèt materiæ contemplandæ tori fuerint dediti, abscondita fuit, ita, ut sicut oculos illorum evaserat, sic nec mente fuerit retenta, in ea tamen defendenda cum gloria desudavit Aristoteles, qui eam proinde pluribus compellavit titulis, nam aliquando appellavit eam* speciem, *eò quòd materiæ informi præstet decorem, seu potiùs determinatè specificet compositum; aliquando dixit eam pulchrum, eò quòd inducat rebus pulchritudinem: jam ait esse* optimum, *eò quòd quàm maximè à materia appetatur: iterum vocat eam* finem *&* terminum, *eò quòd agentia naturalia eam plurimum intendant, & generationis sit terminus: aliàs dixit eam esse quiditatis rationem & his similia, quales titulos quoq; Divus Augustinus ei sæpiùs tribut, qui eam aliquando* lucem, *aliquando* speciem, *aliquando diem vocitat, & libro de fide & symbolo cap. 2. ait:* A qua formatum dicitur, quidquid jam accepit formam; formabile autèm, quod potest eam accipere: *& de hac in præsenti agam disputatione. Sit igitur*

QUÆSTIO I.

An detur forma substantialis, & quid sit?

I. *Non est sermo de forma artificiali.* Quæstio non procedit de forma artificiali, quæ per artem acquiritur, nec de accidentali, quæ sub sensum cadit, nec de substantiali Metaphysica, quæ realiter illi, cujus est forma, identificatur, sed de substantiali Physica, quæ realiter distinguitur à re, cujus est forma, ingreditur tamen constitutionem Physicam alicujus rei, per quam una res ab alia distinguitur, vocatur nunc apud Peripateticos ordinariè, actus informans & actuans, de hac ergò quæritur, an detur? & ab omnibus plus supponitur, quàm demonstretur, unde ad primam partem tituli

II. *Dantur formæ substantiales.* Dico 1. *Dantur formæ substantiales in rebus naturalibus, quæ non sunt pura accidentia de genere qualitatum.* Hæc est communissima inter Peripateticos, ante Aristotelem tamen licèt Pythagoras, Timæus & Plato agnoverint, non tamen glorificârunt.

Probatur Conclusio primò suppositâ fide: In mysterio Eucharistiæ, post consecrationis verba, destruitur substantia panis, manentibus accidentibus, sed non destruitur sola materia prima, ergò compositum ex materia prima & alia forma, quæ non est accidens, & consequentèr dantur formæ substantiales in rebus naturalibus, quæ non sunt pura accidentia; probatur minor, quia materia prima est ejusdem speciei in omnibus sublunaribus, ergò illa sola non destruitur, probatur consequentia: quia materia sola esset substantia panis, sequeretur quòd lapis esset panis, quia habet materiam quæ est secundum Adversarios substantia panis, imò sequeretur, quòd post consecrationem maneret substantia panis, quod sic probo: post consecrationem manet corpus Christi, quod habet materiam, sed materia est substantia panis, ergò post consecrationem manet substantia panis, quod est contra fidem. Confirmatur Conclusio & ratio, ex Authoritate Concilii Lateranensis sess. 8. ubi hæc habet: *Damnamus & reprobamus omnes asserentes: animam rationalem mortalem esse, aut unam in omnibus hominibus, & hac*

& hæc in dubium vertentes, cùm illa non solùm verè per se & essentialiter, humani corporis forma existat. Sed eadem est ratio de omnibus aliis compositis substantialibus; ergò. Et licèt Concilium solùm pro ratione immortalitatis & pluralitatis adferat, nihilominùs ejus authoritas plurimùm convincit, cùm hoc magis certum supponat, quàm quòd sit immortalis & non sit una in omnibus.

III. Probatur Conclusio secundò: In omnibus compositis ejusdem speciei, sive viventibus, sive non viventibus, dantur accidentia similia, in quorum productionem & conservationem propendet compositum, sed hæc propensio non est à materia, quia hæc est indifferens, ut habeat hæc vel illa accidentia; ergò ab aliquo alio: sed hoc non est accidens, quia illud vel esset ejusdem speciei, vel diversæ; non diversæ speciei, quia accidentia non sunt nata causare nisi accidentia ejusdem rationis; nec etiam ejusdem speciei, quia supponitur, illa accidentia esse prima. Probatur major principalis argumenti, tum quia ferrum candens sibi relictum reducit se ad pristinum statum & temperamentum, tum quia aqua calefacta reducit se ad pristinum frigus, ergò dantur in omnibus compositis accidentia, quæ conservari intendunt.

IV. Dices: Illam reductionem ferri candentis non fieri à ferro, nec reductionem aquæ ad pristinum frigus à forma aquæ, sed ab aëre circumstante. Sed Contra 1. tum quia frigus tàm in ferro, quàm in aqua & hac vel maximè, majus est, quàm sit in aëre, ergò aër non poterat producere illud frigus, tum quia aqua majus exigit frigus, quàm exigat aër, ergò illud frigus non potest provenire ab aëre.

V. Instabis: Manere adhuc aliquem gradum frigoris in aqua, quia producit iterum aliud frigus, ergò licèt non proveniret ab aëre solo, saltem concurrente aëre poterit illud gradus relictus reliquum producere. Sed Contra: Calor quia est in aqua, est multò intentior, & magis activus, quàm sit ille gradus frigoris: ergò ille gradus non poterit superare calorem & illum expellere, ut introducat iterum frigus; probatur consequentia, quia nullum intensivus, & magis activum potest superari & vinci ab aliquo remisso, & minùs activo in se, ergò ille gradus non poterit expellere calorem, sed potius & connaturalius erit, ut ille calor expellat reliquum frigus.

VI. Replicabis: Penes illum gradum manere adhuc aliquam occultam qualitatem, quæ concurrit vel cum gradu relicto inexistente in aqua, vel solâ ad productionem frigoris novi. Sed Contra 1. Si illa qualitas est occulta, quomodo possunt eam adversarij assignare? Contra secundò: Illa qualitas occulta, quæ est in aqua, deberet ipsi prius competere quàm frigus, cùm sit ipsius productiva, sed illa qualitas non potest prius competere aquæ; ergò; probatur mi. In nullo elemento datur aliqua qualitas prior, quàm sint qualitates primæ, quæ proinde tales dicuntur, sed aqua est elementum, cui frigus competit veluti qualitas prima; ergò non poterit aliqua qualitas prior esse frigore, ergò illud frigus de novo productum non provenit ab aliquo accidente, nec etiam à materia, ut de se patet, & nihil aliud supereſt quàm forma substantialis, ergò dantur formæ substantiales.

VII. Probatur Conclusio tertiò: Datur materia prima substantialis, ergò etiam datur forma substantialis: probatur consequentia: Omne incompletum petit ex natura sua compleri per aliquod aliud ejusdem generis & rationis, sed materia est ens incompletum, ergò debet compleri per aliquod ejusdem rationis, qualis est forma, quæ sola est ejusdem rationis cum materia in genere substantiæ, ergò; probatur ma. tum quia natura nihil incompletum ordinat ad se; tum quia nullum incipit motum, quem non perficiat, mi. patet etiam, consequentia est optima: Confirmatur, quia alioquin nullum daretur compositum substantiale, sed hoc est inconveniens asserere, ergò: probatur sequela, quia materia cum accidente non componit aliquid substantialiter per se unum Physicum, ergò. Nec dicas compositum substantiale dici tale ratione materiæ, non verò ratione alicujus formæ, quia compositum ex sua intrinseca ratione includit partes essentiales, quarum una se habet per modum actûs & potentiæ, ut est certissimum inter omnes, sed actus & potentia, secundùm Aristotelem, debent esse proportionata ad invicem, ut patet ex supra dictis; ergò materia non poterit dici sola totum compositum substantiale. Sed

VIII. Opponitur Authoritas Aristotelis pluribus in locis, signantèr tamen 2. *de Anima. l. 7. & 8.* Metaph. l. 15. ubi ait: *ita fieri ex materia & forma, unum per se, sicut ex cera & figura*, item. 2. de Genere. t. 7. *ait: formas elementorum esse primas qualitates*, sed figura & primæ qualitates sunt accidentia; ergò non dantur formæ substantiales distinctæ, ab accidentibus, quæ faceret unum per se. Resp. primò: In his & similibus locis, Aristotelem potiùs loqui ex mente aliorum, non ex propria: unde licèt etiam in Metaphysica docere videatur, solam materiam esse substantiam, cætera verò substantiæ affectiones, nihil ominùs hoc non nisi ex mente Antiquorum asserit. Resp. secundò: particularitèr & ad primum locum dico, quòd ibi tantùm velit explicare actualitatem formæ, & potentialitatem materiæ per similitudinem deductam ex rebus artificialibus, non verò quòd eadem compositio fieret hîc & ibi, cum in naturalibus fiat unum per se, in artificialibus unum per accidens. Ad secundam Resp. 1. Quòd Aristoteles ibi describat elementa tanquam per formas notiores nobis. Secundò, quòd elementa constituantur per primas qualitates, in quantum sunt sibi contraria, nam elementum dupliciter capi potest: primò absolutè & *Opponitur & solvitur Arist.*

respectivè ; absolutè in quantum significatur per has voces *terra*, *aqua*, *aër* & *ignis* ; respectivè quatenus significatur per hanc vocem elementum ; secundò significat contrarietatem & oppositionem, quando ergò Philosophus dicit, qualitates primas esse formas elementorum, accipit elementum in secunda acceptione, quia elementis inesse contrariorum substantiales id est essentiales sunt, cùm per illas constituantur in esse contrariorum & non per formas substantiales : sicut dicimus, paternitatem esse formam substantialem, id est, essentialem Patris in esse Patris, quia sic est de essentia ejus. Sed

Instatur: Illa alia forma, præter qualitates primas elementorum vel est subsistens, & nullo modo indiget sustentante, vel indiget tali ; non primum, quia de ratione formæ est informare à quo sustentatur, si secundum, tunc non est substantia, sed erit accidens, quia per hoc distinguitur substantia ab accidente, quòd substantiæ repugnet alicui inesse vel inhærere, non verò accidenti, cùm hoc postulet inhæsionem. R. illam formam substantialem in elementis, præter qualitates primas indigere aliquo sustentante, ex hinc tamen non sequi, quòd sit accidens, quia non omne quod ab alio sustentatur est accidens, ut patet de humanitate Christi, quæ sustentatur à verbo ; unde sciendum, quòd illa sola forma sit accidens, quæ rei compositæ & constitutæ ita accidit, ut non faciat cum illa unum per se, sed unum per accidens, si itaquè ex inhæsione arguere liceret, & probare formas substantiales esse accidentia, quia insunt : id est dependent à materia, pari ratione dicere quis posset, quòd materia sit accidens, cùm dependeat naturalitèr inesse & conservari à forma.

IX. Hæc quoad primam partem ad secundam progrediendo, Aristoteles definit formam, quòd sit quidditatis ratio, ita 2. Phys. cap. 3. t. 28. cujus sensus est, quòd sit cujuslibet compositi Physici principalior pars essentialis, per quam ab aliis distinguitur & per quam operatur, & quamvis sic explicata bona sit ; claritatis gratiâ :

X. *Describitur forma substantialis.* **Dico 2.** *Forma substantialis benè describitur, quòd sit actus Physicè simplex constitutivus cum materia compositi alicujus unius per se.* Hæc in re videtur indubitabilis, & probatur, quia quemadmodum materia rectè describitur, quòd sit potentia per se respiciens formam, ita forma rectè describitur, per ordinem ad materiam, quòd sit ejus actus, &c. Ponitur *actus* loco generis, per quod convenit cum ipsa materia, in quantum dicit actum entitativum & cum formis accidentalibus, reliqua locum differentiæ habent : *dicitur Physicè simplex*, quia non componitur ex partibus Physicis, sed ex partibus Metaphysicis ; dicitur cum materia, & non cum *materia prima*, quia forma respicit tàm materiam primam, quàm materiam secundam, quia sicut forma facit unum per se cum materia prima, ita anima rationalis unum per se, cum materia secunda seu corpore ; dicitur *constitutivus unius per se*, ad ostendendam formalem rationem formæ, quæ est esse rationem determinativam materiæ ad aliquod compositum constituendum.

Dices: Una forma substantialis est tàm benè potentia, quàm materia, ergò malè dicitur, quòd forma sit actus ; probatur ant. Una forma substantialis est susceptiva alterius formæ, ut patet de forma corporeitatis. Resp. negando ant. ponendo utrobiquè omnimodam paritatem, nam materia ita est potentia, ut nullo modo possit esse actus informans, forma verò licèt sit actus, est tamen susceptiva per potentiam materiæ alterius formæ. XI.

QUÆSTIO II.

An formæ educantur de potentia materiæ.

Antiquitus magnis contentionibus altercatum fuit, aliqui enim Anaxagoræ disciplinam secuti, formas quæ de novo producuntur, in materia præfuisse antecedenter in eadem, latentes tamen & postmodum per actionem agentium naturalium excitari quodammodo & deduci in lucem. Plato docuit rerum formas non semper fuisse & extitisse in materia, sed in materia ex Idearum fontibus, id est, à substantiis quibusdam per se extra singularia existentibus in materiæ receptaculum influere ; Avincenna in sua Metaphysica tract. 9. cap. 4. finxit intelligentiam quandam inter cæteras postremam, & sublunaris mundi gubernatricem, à qua in materiam ab agente Physico priùs dispositam rerum naturalium formæ inducerentur, quam etiam vocavit Colchodeam ; Verumtamen tàm hic, quàm prior error totam materiæ actionem, omnemquè generationem substantialem tollit, contra quem etiam est, tum damnatio per articulum Parisiensem, tum unanimis consensus Peripateticorum, licèt inter se iterum nonnihilum discrepent, nam aliqui asserunt formas esse actu in materia, antequam res generetur, non tamen apparere, sed per generationem manifestari ; alii autem dicunt, quòd formæ præexistant in materia, secundùm esse inchoatum & imperfectum ; alii verò quòd secundùm aliquam sui partem, alii aliter, Ego tamen I. *Forma educuntur.*

Dico 1. *Omnes formæ substantiales, etiam cœlorum & elementorum educuntur de potentia materiæ, solâ animâ rationali excepta.* Hæc est II. *Omnes formæ educuntur.* Magni Divi Augustini pluribus in locis supra, ubi frequentèr docet de materia informi totum mundum & cœlos esse factos, est tamen alioquin inter Authores etiam communis quoad primam partem, quoad secundam contra D. Thomam & Thomistas, Scoti 2. d. 18. q. un. n. 4. Rabii Vasquetz & Recentiorum passim.

Pro-

Probatur prima pars: Quia omnes formæ substantiales defacto existentes (de iis enim tota intelligitur controversia) in esse & fieri dependent à materia; ergò omnes formæ materiales educuntur è materia; probatur consequentia: quia ideò colligitur à posteriori, quòd anima non educatur de potentia materiæ, quia inesse & conservari non dependet ab ea; ergò eæ formæ quæ dependent ab ea, educuntur de potentia ipsius, cùm sint omnes materiales, corruptibiles & mortales, quales tamen non essent, si non dependerent.

XI.

III. Dices: Non constare nobis, an animæ brutorum sint corruptibiles & mortales, magis quàm animam rationalem; ergò hoc non est asserendum, & sic non omnes formæ educuntur de potentia ejus; probatur ant. quia quando moritur canis, non scimus certò, an anima ejus desinat, vel in alium transeat locum. R. Quòd quamvis non habeatur fundamentum efficax, & rationem naturalem planè convincens, tamen in hoc conjuravit unanimis Philosophorum consensus, cum ratione à posteriori & congruentia, ex quâ colligitur, quòd cùm formæ materiales substantiales sint productivæ accidentium materialium & sensu perceptibilium, in quo differunt ab anima rationali, quæ separata non potest talia accidentia producere, sequeretur formam ignis, quæ est productiva caloris & lucis, quòd quando separaretur, deberet illuminare & calefacere locum, per quem transiret: quod est contra omnem experientiam. Sed

IV. Dices: Non posse ignis formam naturaliter operari extra subjectum, adeoq; sic transiens non illuminabit, nec calefaciet medium. Sed Contra, ergò naturaliter dependet à subjecto, ita quòd sine eo non possit suas exercere operationes, quod est educi de potentia subjecti. Deinde plures censent, quòd sola forma ignis possit calefacere, & ad eam sustentandam tantùm requiri materiam.

V. Probatur Conclusio quoad secundam partem de formis cœlorum, materia prima est intrinseca pars cœlorum, sed materia non est intrinseca pars ullius rei, nisi concurrat ad productionem ejus in genere causæ materialis; ergò sic concurrit, & consequenter non creatur, si non creatur, ergò educitur: probatur ma. Si cœli non constarent materiâ, tanquam intrinsecâ ejus parte componente, essent tàm Physicè simplices, quàm ipsa materia, sed &c. ergò: probatur sequela, illud est Physicè simplex, quod non componitur ex partibus Physicis, sed &c. ergò.

VI. Probatur eadem pars secundò: Quia forma cœli dependet in esse & conservari à materia; ergò est educta de potentia ejus; probatur ant. Esset miraculum, si forma cœli produceretur vel conservaretur sine materia; ergò dependet in esse & conservari à materia; probatur consequentia, quia ideò conservatio accidentium in Eucharistia est miraculosa, quia illa dependent in conservari naturaliter à subjecto, prout non conservantur tunc, & è contra ideò existentia animæ separatæ sine subjecto non est miraculosa, quia non dependet in conservari à corpore; ergò si conservatio formæ cœli est miraculosa, signum est, quòd dependeat à materia cœli veluti à causa.

Dices: Illam conservationem fore miraculosam, non quòd forma cœli dependeat à materia, sed quia Deus decrevit ipsam conservare dependenter à materia seu in materia, quod decretum non potest mutari sine miraculo, quale positum non est de anima rationali. VII.

Sed Contra primò: Ergò ut forma cœli non possit esse sine materia naturaliter, necessarium fuit tale decretum, sed hoc non esset verum, si creatur, ergò: probatur mi. quia terminus creationis substantialis, quam maximè est talis, ut possit naturaliter conservari sine materia, ergò: probatur ant. quia quilibet effectus potest naturaliter conservari sine causa, à quâ nullo modo dependet naturaliter, sed formæ cœli secundum Adversarios non dependent naturaliter à materia; ergò secluso decreto Dei posset naturaliter, & ex natura sua conservari sine materia cœli, quod est absurdum.

Contra secundò: Si Adam non peccâsset, corpus humanum esset naturaliter incorruptibile propter decretum Dei sic ordinantis, & tamen ex hoc malè infertur, quòd forma substantialis non dependeat à materia, veluti à sua causa materiali.

Contra tertiò: Unde constat, illud decretum, quod Adversarii allegant, cùm potius dicere deberent ideò cœlos non esse naturaliter corruptibiles, quia Deus nullam produxit formam contrariam ipsis.

Probatur tertiò pars Concluſ. de Elementis, Formæ elementorum non sunt productæ eâdem actione, quâ materia elementorum, & dependent ab illa in fieri & conservari; ergò educuntur de potentia ejus; consequentia patet: probatur ant. quoad primam partem: Actio, quâ materia elementorum fuit producta, perseverat usq; modo, eadem etenim est actio, conservatio & productio; sed actio, quâ forma elementorum fuit producta, non perseverat usq; adhuc; ergò hæc non est eadem illi: probatur mi. multæ formæ elementorum fuerunt corruptæ per generationem mixtorum, ergò. &c. VIII.

Ultima pars de anima rationali est indubitata: nam tàm ex Scriptura quàm Conciliis liquet, animam rationalem esse immortalē, adeoq; non dependet à materia, nec consequenter educitur & ratio à posteriori est: quia conservatur naturaliter sine corpore, & exercet suas operationes sine eo, ergò. Dixi autem in conclusione *formas substantiales*, & de iis processerunt etiam omnes probationes; an autem & quomodo educantur accidentales, dixi in Logica agendo de accidentibus.

Dices Contra secundam partem de formis cœlorum & elementorum: In Sacra Scri- IX.

ptura habetur, quòd cœli sint creati, ut patet ex illo Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram:* & alibi sæpè similia verba inveniuntur, sed illud quod creatur, non educitur de potentia materiæ; ergò nec formæ cœlorum vel elementorum. Pro Responsione Nota: in Sacra Scriptura creationem multiplicitèr capi, primò enim accipitur pro omni eo, quod à solo Deo effectivè producitur, sive posteà dependeat à materia, sive non, sic dicitur, quòd *masculum & fœminam creavit eos*, id est Adam & Evam, item *creavit cœtegrandia* &c. cùm tamen non sit dubium, quòd eos ex præexistente fecerit materia; secundo modo, ut etiam supra dixi, propriè pro eo, quod independentèr à materiæ concursu producitur ex nihilo sui & subjecti; unde R. dist. ma. In Sacra Scriptura habetur, quòd Deus creaverit cœlum & terram, creatione propriè dictâ, nego ma. creatione impropriè dictâ, concedo ma. & mi. & nego consequentiam. Contra ultimam partem verò sic

X. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Anima rationalis nunquam producitur extra materiam; ergò dependet à materia in fieri, & consequentèr educitur de potentia ejus. R. dist. consequ. ergò dependet à materia tanquam à causa efficiente Physicè & concausante, nego consequentiam: tanquam à conditione sine quâ non produceret ipsam Deus, concedo consequentiam; Itaq; effectus à suis causis variè dependere possunt, nam aliqui dependent ab omnibus quatuor causis, ut compositum Physicum, alii à tribus tantùm, sic forma dependet à finali, materiali & efficiente, alii à duabus tantùm, finali scilicet & efficiente, & hoc modo dependent omnia ea, quæ habent esse per nudam creationem, verbi gratiâ, angeli & anima rationalis, hinc non dependet à materia veluti à causa causante, sed tantùm veluti à conditione, verisimile enim est, quòd non produceret eam, nisi propter compositum, & sic non produceret illam, nisi esset materia.

Instatur: Producens dispositionem ultimam ad aliquam formam, producit ipsam formam, sed homo producit dispositionem ultimam; ergò etiam ipsam animam veluti causa concausans, & consequentèr educitur de potentia materiæ. R. 1. negando ma. quia aliàs calor, qui in igne generante ignem producit calorem in ligno ultimatè disponentem ad formam ignis, produceret ipsam formam ignis, quod tamen haud quàquam contingit, cùm nullum accidens producat substantiam, ut infra dicetur. R. 2. dist. ma. quando forma, & ejus dispositio æqualitèr continentur in virtute agentis, concedo ma. quando non continentur, nego ma. Itaq; in proposito anima rationalis non continetur in virtute agentis creati, sed solius Dei, quia nullum materiale potest continere aliquid spirituale in sua activitate producendo illud.

Urgetur: Phantasma est quid materiale, sed phantasma concurrit ad productionem speciei intelligibilis, quæ est spiritualis; ergò non implicat, quin aliquod materiale possit in sua virtute activa continere aliquod spirituale. R. dist. minorem, concurrit ad productionem effectivè Physicè, nego mi. intentionaliter, idq; minùs principaliter, concedo minorem, & nego consequentiam. Deinde est adhuc alia disparitas inter phantasma & animam rationalem, quia hæc simplicitèr petit creari, non verò phantasma, adeoq; minùs potest contineri in virtute agentis.

Dico 2. *Formæ substantiales quæ educuntur de potentia materiæ, neq; secundùm se totas, neq; secundùm partem sui, neq; secundùm esse inchoatum & imperfectum, præfuerunt in materia ante generationem.* Hæc est Scoti 2. d. 18. q. 1. D. Thomæ Henriquez, Connimb. &c. XI. Non habet nota.

Probatur Conclusio primò, quoad primam partem: Quia si formæ præexisterent in materia secundùm se totas, nihil de novo generaretur, sed hoc est contra experientiam & rationem, ergò: probatur sequela ma. Quia in tantum aliquid de novo generatur, in quantum agens naturale, in materiam novam inducit formam substantialem, sed hìc nullam posset introducere, quia jam esset actu & formalitèr inducta, ergò: probatur mi. quia nihil existens alicubi manens tale, ibi reproduci potest, ergò.

Probatur secundò eadem pars: Quia hinc sequeretur, quòd materia eadem, haberet infinitas formas simul, & plurimas incomposibiles, verbi gratia, formam ignis, ligni, aquæ, &c. quod dici nequit, ergò. XII.

Probatur secunda pars primò: Quia vel illa pars formæ existens antecedentèr ad generationem in materia vel præsupponebat aliam partem vel nullam, si primum, dabitur processus in infinitum, quia iterum petam, an illa præsupponebat aliam partem vel nullam, &c. si dicatur secundum, sequitur, quòd illa pars non fuerit ante generationem, vel quælibet pars præfuit, quia non est major ratio de una ac de alia, imò si aliqua pars præfuit, jam fuit tota forma cùm in qualibet parte salvetur ratio formalis formæ, quæ intensivè non est divisibilis; ergò si secundùm aliquam partem concedatur præfuisse, concedi debebit paritèr, quòd tota præfuerit. XIII.

Probatur secundò eadem pars: Sequeretur, si forma etiam secundùm partem præextitisset in materia, quòd in ea essent tot composita, quot sunt formæ partiales ponibiles in ea, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: probatur sequela ma. quia materia cum qualibet forma facit unum per se, ergò. Confirmatur, quia sequeretur, quòd formæ substantiales intenderentur, sed hoc est absurdum, ergò: probatur sequela, quia tunc dicitur forma intendi, quando habet plures partes in eadem parte subjecti, sed hìc haberet, ergò: probatur mi. quia materia haberet primò unam partem formæ ex supposito, & per generationem alia produceretur in eadem materia, ergò haberet plures partes, similitèr dici posset, quòd in corruptione nulla forma desineret, sed tantùm remitteretur. XIV.

Probatur ultima pars: Quia illud esse inchoatum & imperfectum, non esset nisi esse

esse totale vel partiale, sed nec partiale, nec totale esse habuerunt antecedentes; ergò nec secundùm imperfectum vel inchoatum esse, præfuère in materia. Sed pro secunda parte in contrarium

Opponitur Authoritas tum S. Augustini 3. Trinit. 1. ubi ait: *Omnium, quæ generantur occulta quædam semina in mundi elementis latere*; tum Philosophi 7. Met. qui dicit: *in materia esse aliquam partem rei faciendæ*: item 1. Physicorum docet: *ex quolibet non fieri quodlibet, sed ex determinato subjecto determinata res*, sed hujus non potest assignari alia ratio, nisi quòd indeterminato subjecto sit pars determinatæ formæ. R. D. Augustinum, per semina non intelligere partes formarum, sed facultates & virtutes causarum naturalium agentium & patientium. Ad Philosophum primo loco citatum, dico, ipsum loqui de materia secunda, seu composito, & sensus est, quòd in composito destruendo sit aliqua pars rei faciendæ, & hæc est materia prima. Ad secundum, nego minorem, cur autèm potiùs una quàm alia introducatur forma inde provenit, quia determinatur per agens intrinsecum, quod introducit tales, & tales dispositiones, ad quas hæc vel illa forma potest sequi. Sed ex ratione

Instatur: Si formæ non præfuissent secundùm aliquam partem, tunc non producerentur ex nihilo, sed omne tale creatur; ergò si materiæ secundùm partem non præfuissent, sequeretur, quòd crearentur, ad quod evitandum, potiùs dicendum erit, quòd secundùm aliquam partem præfuerint. R. dist. ma. producerentur ex nihilo sui, concedo ma. ex nihilo subjecti, nego ma. & minorem, quia ad hoc, ut aliquid dicatur creari, debet produci ex nihilo sui & subjecti, quod hic non est. Deinde illa pars formæ, quæ antecedentèr præfuit, verè fuisset creata: si sufficeret, quòd ex nihilo sui produceretur, ut aliquid creetur. Deniq; quæro, an ista pars iterum præsupposuit aliam? si non; ergò nec requiritur ad totam formam.

Urgetur: Nihil educitur ex aliquo, in quo ante non fuit; ergò si ex materia educitur forma, debuit secundùm aliquid fuisse, si non; ergo manet adhuc, quòd creetur. Sed R. dist. ant. In quo ante non fuit actu & formalitèr, nego ant. virtualitèr & potentialitèr, concedo ant. & nego utramq; consequentiam: forma autem fuit in materia virtualitèr & potentialitèr, sicut etiam in virtute efficientis: unde

Dico 3. *Formæ quæ educuntur de potentia materiæ, virtualitèr continentur in ipsa, veluti in causa materiali ipsarum.*

Probatur Conclusio primò: Quia si non continerentur aliquo modo in materia, non producerentur de potentia ipsius, ut patet ex ratione eductionis, sed hoc est falsum, quia tunc omnis forma substantialis crearetur, & nulla generaretur, in hoc enim distinguitur forma creata à generata, quòd hæc educatur de potentia materiæ, non verò illa. Deinde si non educerentur è potentia materiæ, tunc fierent ex nihilo, sed nullum agens naturale potest producere aliquid ex nihilo sine concursu subjecti & causæ materialis; ergò subsumo, sed agentia producunt formas substantiales, quia ignis *A*, verbi gratiâ, producit in ligno ignem *B*, ut patet.

Dices: Ignem solas producere dispositiones ad formam ignis, ipsa autèm forma producitur ab agentibus & substantiis universalibus. Contra 1. Non dantur tales substantiæ universales & ideæ Platonicæ, ut dictum est in Logica. Contra 2. Eodem modo, quo ipsis adscribitur productio formæ ignis, potest etiam ipsis adscribi productio dispositionum, & sic nullum agens producet aliquid contra manifestam experientiam, & consequentèr tolletur etiam omnis activitas causarum naturalium. XVI.

Probatur Conclusio secundò: Quia omnis causa realitèr influens in effectum ipsum, virtualitèr continet, nihil enim aliud est sic continere, quàm posse influere in aliud, seu posse concurrere ad ejus productionem, & non per modum conditionis, dispositionis vel applicationis, sed verè per modum causæ, in quo præcisè distinguitur causalitas materiæ respectu animæ rationalis, & aliarum formarum substantialium, quia respectu animæ rationalis est tantùm conditio, & respectu aliorum vera est causa. Sed XVII.

Dices: Si forma dicatur educi de potentia materiæ, quia dependet à materia in genere causæ materialis; ergò eodem modo dici potest, quòd materia educatur de potentia formæ, quia dependet à forma in genere causæ formalis. R. negando consequentiam: quia materia non dependet à forma in fieri, quia est terminus creationis, quamvis dependeat ab ea in esse aliquo modo, forma autèm in fieri, & in esse dependet à materia. Deinde materia est prior forma; ergò non potest ab ea descendere veluti ab aliqua causa influente esse in illam. XVIII.

QUÆSTIO III.

Quid sit educi formam de potentia materiæ?

Parum omninò esse mihi videtur scire, quòd & quæ formæ educantur ex materia, nisi etiam sciatur, quid sit sic educi? ad quod explicandum, diversi modi ab Authoribus sunt excogitati, nam aliqui dicunt formam educi de potentia materiæ, aliud non esse, quàm educi de potentia agentium naturalium materialium, ita Gerardus de Odonis &c. alii verò volunt educi, nihil aliud esse, quàm produci de potentia proxima & particulari, quæ est qualitas quædam ultimatè disponens materiam ad recipiendam formam; Ita Ragusæus &c. Alii autèm ajunt, eductionem aliud non esse, quàm actionem eandem, quâ simul producitur forma ex materia & compositum, ita Suaretz, quem plurimi sequuntur: Alii iterum, quòd eductio nihil aliud sit, quàm dependentia formæ in fieri & conservari à materia, ita Fuentes &c. Alii deniq; dicunt eductionem, esse productionem formæ cum dependentia à materia prius tempore existente, ita Connimb. quos etiam multi sequuntur: alii tandem, quòd eductio nihil aliud I. *Varius modus explicandi eductionē.*

aliùd sit, quàm productio formæ à materia, cum dependentia ejusdem in fieri ab ea: ita Pontius, alii alitèr. Qui tamen omnes modi explicandi patiuntur difficultatem; unde

II. *Non benè explicatur per illos.*

Dico 1. *Per nullum ex prædictis modis, explicatur benè eductio formæ de potentia materiæ.*

Probatur Conclusio, quoad singulas partes, & primò quidem contra primum dicendi modum; Quia secundùm hunc dicendi modum, eductio semper deberet attendi penes agens naturale, sed hoc dici non potest, ergò: probatur mi. tum quia licèt eductio secundùm Etymon significet actionem causæ efficientis, nihilominùs significat etiam actionem subjecti, quę importatur per *Tò E* vel *Ex*, sicut importatur actio causæ efficientis per ly *ductio*, tum quia Deus educere potest formam de potentia materiæ, & tamen Deus non est agens naturale, ergò. Probatur etiam contra Raguseum, quia vel intelligit per potentiam proximam de genere qualitatis, ultimam dispositionem, quà posità, Cœlum vel Universalis causa inducat in materiam formam, & sic coincidit cum sententia Platonis, qui admittit substantias datrices formarum, vel intelligit, quòd ipsa qualitas concurrat materialitèr ad productionem formæ, quod etiam implicat: quia nulla qualitas effectivè concurrere potest ad productionem substantiæ, imò forma cum illa qualitate deberet facere unum per se, quia verè in ea reciperetur & ab ea sustentaretur: quæ sunt inconvenientia, ergò. Nec valet deinde tertia via, quæ gratis omninò & superfluè multiplicat actiones, quæ planè impertinentes sunt: nam si per impossibile non fieret compositum eâdem actione, sed diversâ: si tamen dependeret à materia comproducente & sustentante, adhuc educeretur de potentia ejus, si verò non dependeret, licèt eâdem actione produceretur, ipsa & composita, adhuc non educeretur. Deinde forma est causa compositi; ergò implicat, quòd eâdem actione ipsa sit & compositum, cùm præsupponatur ad compositum. Iterum forma est terminus formalis, qui generationis per se; ergò per se actione aliquâ acquiretur & non tantùm comproducetur, & quamvis aliquando comproduci dicatur, id tamen intelligendum est de productione illa per quam res accipit esse, sive per se & simplicitèr, sive in alio, non verò pro productione, in quâ res transit ad esse à non esse simplicitèr.

Probatur Conclusio quartò, contra sententiam & opinionem Fuentis, tum quia quantitas Eucharistica educitur de potentia panis in prima ejus productione, quæ utiq; non creatur, & tamen non dependet in conservari, tum quia hinc sequeretur, quòd nulla forma educeretur de potentia materiæ, quod est falsum, ergò: probo sequelam, quia nunquam verum est dicere, quòd forma dependeat in fieri & conservari à materia; ergò nunquam educeretur: probatur ant. quia nunquam sunt simul, ergò: probatur ant. quia productio est in primo instanti, non sic conservatio, ergò; probatur consequentia, quia alioquin sequeretur, quòd nulla esset creatio, quod est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia si creatio est conservatio, nulla adhuc est conservatio tota; ergò nec aliqua creatio.

Probatur Conclusio contra Connimb. tum quia in causa efficiente non requiritur præexistentia temporis; ergò nec in causa materiali, ob omnimodam paritatem: tum quia licèt nunc & defacto, requiratur prævia alteratio, quæ temporis instantiam requirit ad introducendam formam, id tamen absolutè non est necessarium, quia si Deus crearet materiam, verbi gratiâ, aërem in toto hoc hemisphærio, & sol esset in cursu suo in eodem circulo eodem instanti, quo crearet Deus aërem sol cum illuminaret, & tamen tunc lux & lumen à sole produceretur in aëre de potentia ejus. Contra sextam deniq; opinionem, quæ à quarta recedit in eo, quòd non requirit conservationem dependentèr à materia, sed solam productionem, sic probatur conclusio, quia per hunc dicendi modum eductio non distinguitur à creatione; ergò non benè explicatur per eum; patet consequentia, quia malè aliquid definitur per illud, quod alteri convenire potest: probatur ant. quia anima rationalis producitur dependentèr à corpore veluti à materia, sed anima creatur; ergò eductionis explicatio convenit cum creatione, seu non distinguitur à creatione; patet ma. quia anima rationalis nunquam producitur nisi corpore debitè organizato, ergò.

Dices: Anima rationalis potest per se III. produci independentèr à corpore, adeoq; per hoc sufficienter distinguitur ab eductione. R. quòd etiam animæ brutorum possint per se produci independentèr à corpore, & omnes formæ substantiales independentèr à materia, & tamen adhuc educuntur ab ea, unde, licèt anima absolutè possit produci extra corpus, non tamen connaturalitèr.

Instabis: Animam tantùm dependere à IV. corpore veluti à conditione, non tamen tanquam à causa. Sed Contra 1. Ergò hoc addendum fuit in explicandi modo. Secundò, quia causalitas materialis respectu formarum alitèr non explicatur, nisi per dependentiam, ergò si anima habet dependentiam ad corpus, habebit causalitatem respectu animæ.

Dico 2. *Formas esse educibiles de potentia* V. *materiæ nihil aliud est, quam posse fieri connaturalitèr à subjecto sustentativo & educi illæ dicuntur, quæ fiunt a subjecto connaturaliter sustentante & educta esse, quæ factæ sunt a subjecto connaturaliter exigente eas sustentare.* Hæc non sic fuit ante proposita.

Probatur tamen primò, tum ex refutatione aliarum sententiarum: tum quia non potest alius levior & facilior modus explicari, ut patet examinanti reliquos omnes: tum quia per hunc vitantur omnia inconvenientia, quæ ex superioribus modis sequebantur, & in primis declaratur, animam rationalem non esse educibilem de potentia materiæ vel corporis, quia non fit dependentèr à subjecto sustentativo ejus, licèt sit subjectum receptivum illius, nam anima nunquam est sustentabilis à corpore, ex eo quòd habeat perfectam subsistentiam ex se, ut patet de separata: Deinde explicatur etiam

etiam per alteram partem, quomodo, si Deus immediatè & propriè, per actionem creativam produceret formam vel animam leonis, independenter à materia, quod fieri non implicat, & eam postmodùm uniret materiæ subtrahendo suum extraordinarium concursum, quo ipsam produxit: ita ut actu nunc à materia dependeret, adhuc non educetur de potentia ipsius, licèt ab ea nunc dependeat, quia non fit à subjecto sustentante. Deniq; per ultimam partem ostenditur, accidentia Eucharistica esse educta de potentia materiæ, quia licèt actu non sustententur ab ea, nihilominùs materia connaturaliter exigit ea sustentare, & illa connaturaliter petunt sustentari. Habitus deniq; supernaturales non educuntur, quia non fiunt connaturaliter dependenter à tali subjecto sustentante, cùm prius naturâ sint producti, quam in materiam ponantur.

VI. Arguitur: Si educi de potentia materiæ aliud non est, quàm produci à subjecto sustentante, sequeretur, quòd materia educeretur, sed hoc est inauditum; ergò: probatur, quia materia tamen benè sustentatur à forma, quàm forma à materia, ergò. R. negando sequelam, cum sua probatione, quia materia non sustentatur à forma, cùm habeat propriam subsistentiam & existentiam distinctam, ab existentia formæ, deinde licèt etiam extrinsecè aliqualiter, & connaturaliter ab ea dependeat, non tamen veluti à subjecto, omnis autèm eductio habetur à subjecto, deniq; non fit dependenter à forma, cùm prius forma creetur, quæ prioritas facit, ut à forma nullam habeat dependentiam veluti à sustentante.

QUÆSTIO IV.

An in eodem composito naturali dentur plures formæ subordinatæ? seu, quod idem est, an detur forma corporeitatis?

I. Quæstio hæc inter celebriores & controversiores in Scholis realibus una est, & sensus ejus est, utrum in viventibus, præter animam, quæ est ultimata forma viventis, ratione cujus ponitur in determinata aliqua specie, detur adhuc alia forma substantialis, quæ sit incompleta adhuc & subordinata alteri, quæ vivens ultimatè constituit & complet, & in hoc sensu duplex est sententia è diametro sibi contraria, dico in hoc sensu, quia olim fuit tertia aliqua Authore Avicenna, quæ in omnibus omninò corporibus, sive compositis & mixtis, sive simplicibus, animatis & inanimatis ponebat aliquam formam Physicam, specie ab aliis distinctam, cujus munus erat, tribuere composito substantiali esse corporeum, sed hæc nunc omnibus odiosa sunt. Prima sententia, quæ nunc celebris est, negativa est Divi Thomæ 2. de Anima t. 4. Cajetani, Capreoli, Suaretz, Aversa & totius Scholæ Thomistarum, qui omnes uno ore negant, dari in viventibus formam subordinatam animæ, quæ sit corporeitatis. Altera sententia est, Affirmativa & Scoti 4. d. 11. q. 3. n. 29. Richardus Majornius, Ant. Andreas, Cavellus, Faber, Zabarella, Mastrius, Morisanus, Ragusæus, Mercen. Pontius, uno verbo omnes Scotistæ & plures Recentiores, tum ex Jesuitis Dondinus, Conning, Tanner, Murcia, Lalemandetus, ita ut Comptonius fateatur, hanc sententiam maximè inter omnes invaluisse, ut proinde vel ex sinistro affectu & cavillandi libidine, vel ex inconsideratione dicat Arriaga disp. 3. Phys. Sect. 6. sub Sect. 1. *Nullum in Hispania eam defendere, nec ex professo oppugnare, in Italia pauci in his partibus* (id est Germaniæ) *rarissimi, in quibus ergò Scholis*, inquit Hispano supercilio, *invaluit?* Sed vel inconsideratè, vel invidiosè ista dixit, nam in duabus florentissimis Academiis, Salmanticensi & Complutensi, ipsa tuetur & defenditur doctrina Scoti, ut prior decreto vetuerit, nè Doctores sui aliquid extraneum sententiæ Scoti insererent, in Italia si vidisset Ticinum Patavium, & alias Universitates, ubiq; hujus sententiæ propugnatores & defensores deprehendisset, ita ut Bannes dicat 1. de Generat. q. 8. *Quotquot Theologi & Physici, & Metaphysici sunt, contra Divum Thomam conjurasse, videntur*; Mastrius verò clarè deducit Disp. 5. de generatione q. 3. a. 1. Ex quatuor Philosophicis Scholis *Averoistarum, Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium tres fere nostram sententiam sectantur, & petit Arriaga in quibus Scholis invaluit.* Audiatur etiam de hac opinione Thomas Argent. qui ait: *Ita est opinio omnium Doctorum de Anglia, & aliquorum Parisiensium*, & tamen audet dicere, eam non invaluisse, sed hæc paulò fusiùs, quàm intenderam, ad rem ipsam progrediendo resolutivè respondeo ad quæstionem &

II. Dico: *In viventibus dantur formæ subordinatæ, seu in animato præter animam datur forma corporeitatis.* Hæc est verè in Scholis celebris sententia, & apud Scotistas universaliter recepta, & à pluribus aliis tàm sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, ut patet ex paulò ante dictis. *Datur forma corporeitatis.*

Probatur itaque Conclusio primò Authoritate Sanctorum Doctorum nostrorum; Divi Augustini tract. 49. in Joannem; ubi ait: *Resuscitavit* (Dominus) *putentem Lazarum, sed tamen in putente cadavere, erat forma membrorum*; & lib. de vera Religione cap. 11. *Corpus habet aliquam speciem* (id est formam) *sine quâ corpus non est*; & lib. 2. Soliloq. cap. 18. dicit: *Corpus aliqua forma & specie continetur, quam si non haberet, corpus non esset; si verò* (id est animatam) *animus esset* lib. de Immort. 8. ait: *Corpori non potest accidere, ut etiam eâ specie privetur, quâ corpus est.* Item *lib. 3. Trinit. cap. 2. inquit: Et certè in corpore humano, quædam moles carnis & formæ species, & ordo; distinctioq; membrorum; & temperatio valetudinis; hoc corpus inspiratâ anima regit, eademq; rationali*; ergò materia prima non accipit esse corporis, carnis, &c. per animam rationalem, sed hoc esse ab aliquo alio habet; consequenter datur forma corporeitatis constituens materiam primò in

gradu corporis, quod inspirata anima postmodum regit, & vivificat. *Et Divi Bernardi sermone* 81. ubi ait: *Unde liquet nec vivo corpori id vivere esse, quod esse cum esse posit & minimè vivere posit*; ergò ex mente Divi Bernardi corpus non accipit esse corporis per animam, quam in eodem sermone vocat vitam & rationem vivendi, & consequentèr datur forma corporeitatis, quam non acquirit per animam; Et infrà de compositione hominis ex anima & corpore loquens dicit: *Neq; enim unum simplex est quæq; harum, sed ex pluribus constans, & propterea non redigitur in nihilum, sed dissilit in partes, ut ad suum quodq; recurrat principium &c.* ergò in morte viventis cujuscunq; non fit resolutio usq; ad materiam primam, sed manent adhuc partes, quæ ante fuerunt: ubi autèm non fit resolutio usq; ad materiam primam, ibi datur forma corporeitatis; ergò ex mente S. Bernardi admittenda est etiam forma corporeitatis.

III. **Probatur Conclusio secundò:** Authoritate Aristotelis, qui 2. de Anima cap. 1. ait: *Anima & corpus est animal* & 4. Ethicorum cap. 4. docet: *animam magis esse partem animalis, quàm corpus*, sed hoc malè ab Aristotele diceretur, si non daretur forma corporeitatis; ergo datur; probatur minor, quia si non est ulla, tunc in primo loco, tunc bis animam dixisset semel in se, & semel in Τὸ *corpus*; in secundo loco quoq; errâsset Philosophus, quia si corpus involvit animam, tunc non potest anima magis esse pars animalis, nisi sit magis animal se ipsa.

Ex his authoritatibus, tàm Aristotelis, quàm Sanctorum Patrum, desumo argumentum ad probandam Conclusionem ratione 1. In omnibus viventibus debet dari aliqua forma, quæ constituat & componat corpus veluti alteram partem viventis, sed hæc forma non potest esse anima; ergò præter animam debet alia forma admitti, quæ dicetur corporeitatis, quia corpus constituit: probatur mi. Si anima daret esse corpus in viventibus, deberet id etiam facere in homine, sed in homine hoc facere negant, ergò: probatur mi. Nullum spirituale potest alicui dare esse corporeum, sed anima hominis est spiritualis; ergò anima non potest dare esse corporeum; ergò nec in aliis; probatur major, quia nemo dat, quod non habet, sed anima nihil habet corporeum; ergò non potest etiam dare esse corporeum. Confirmatur primò: Anima rationalis non potest dare esse corporis Mathematici; ergò nec esse corporis Physici, ab omnimoda paritate: probatur ant. corpus Mathematicum debet necessarium esse quantum, sed anima non potest dare esse quantum, ergò. Confirmatur secundò: Nullus actus Physicus potest habere aliquid potentiæ Physicæ, sicut nec ulla potentia, aliquid actûs Physici, sed anima est actus Physicus; ergò non potest aliquid habere potentiæ Physicæ, sed subjectum & corpus est potentia Physica; ergò anima nihil corporis habere potest.

Dices: Animam quidem nihil habere formalitèr corporis, benè tamen virtualitèr. Sed Contra: Nulla forma potest continere virtualitèr sibi oppositum, & facere illud formalitèr, sed corpus est formalitèr oppositum spiritui; ergò anima non poterit continere illud; probatur ma. quia nihil potest subjecto tribuere dispositiones ad formas oppositas, verbi gratiâ, forma aquæ recepta in materia, non potest ei tribuere dispositionem ad ignem vel lapidem, ergò. Contra secundò: Si anima facit cum materia corpus, sive in se formalitèr corporea, sive non, sequeretur, quòd in corpore humano quælibet pars deberet esse quodlibet, sed hoc est inconveniens; ergò probatur sequela, quòd caput deberent esse pedes, oculi, manus, aures, venter &c. ergò: probatur ant. ibi est aliquid, ubi ejus est materia & forma, sed materia & forma capitis est in pede, & forma ac materia oculi in manibus; ergò sequeretur, quòd pes sit caput, oculi manus, ergò: probatur ant. in capite secundùm Adversarios, non est aliud, quàm materia prima & anima, sed materia prima & anima capitis est in pede, tanquam partes constituentes; ergò caput erit pes &c. IV.

Dices: Organa in corpore humano non differre substantialitèr, sed tantùm accidentalitèr ob diversitatem accidentium, sed Contra primò: Accidentia non constituunt per se aliquod totum Physicum, aliàs ubicunq; essent accidentia, infallibilitèr deberent esse composita Physica. Contra secundò: Illas, quæ non differunt nisi accidentalitèr, non possunt producere effectus substantiales diversos ab illis, à quibus non nisi accidentalitèr differunt, sed organa in corpore humano aliqua habent principium producendi aliquos effectus substantiales, quos non possunt producere alia; ergò non tantùm accidentalitèr, sed etiam substantialitèr debent differre; probatur minor, quia vis generativa est in lumbis, ut nunc suppono, quæ non est in oculo, vis nutritiva est in carne, quæ non est in osse; ergò lumbi & oculus, potentia nutritiva & os debent differre non accidentalitèr tantùm, sed etiam substantialitèr, sed non differunt per animam; ergò per aliam, quam dico esse formam corporeitatis. V. VII.

Probatur Conclusio secundò: In homine datur alia forma præter animam, sed talis alia non erit, quàm forma corporeitatis; ergò datur talis; probatur ma. datur in homine aliquid, quod exigit primas qualitates, sed hoc non potest esse nisi aliqua forma substantialis; ergò: probatur major, cor in corpore humano exigit determinatum calorem, ponamus ut quinq; vel sex, sed ista exigentia non potest aliunde esse, quàm à forma substantiali, ergò: probatur minor, tum quia materia non potest exigere istum calorem, & minùs in tali, & determinato gradu, cùm ipsa sit indifferens ad omnes qualitates & omnes earum gradus; tum quia VI. VIII.

nec

nec quantitas ob eandem indifferentiam: tum nec qualitas ulla, quia qualitas ad quam sequitur alia debet esse prior illa, sed in eorde non potest assignari alia qualitas prior calore, quia ipsa est prima qualitas, nec dici potest, quòd hoc exigant alii gradus caloris, quia tales vel sunt remissiores, vel intensiores, vel æquales: si sunt remissiores, non possunt exigere alios, quia nullum imperfectius exigit perfectius: si sint intensiores, quia illi jam continentur in quocunq; gradu majori caloris: si æquales, tunc deberent esse in eo subjecto duæ qualitates solo numero differentes, quod implicat. Nec deniq; anima potest hoc exigere, quia hoc deberet facere conjuncta, sed conjuncta non potest hoc exigere, quia tunc conjunctio præcederet cor, quod tamen dici nequit, quia supponitur, quòd anima non possit informare nisi cor, & quòd cor non possit esse sine calore. Deinde anima etiam non exigit calorem magis, quàm alias qualitates, & minùs in tàm determinato gradu, quia informat plures partes, quæ non sunt sic calidæ; Neq; dicas animam exigere tantùm istos gradus quoad operationes, quia statim sequeretur, quòd deficiente isto calore, deficerent tantùm operationes, non verò informatio, quod est falsum.

VII. **Probatur Conclusio tertiò:** In corpore mortui, eadem manent numero accidentia, quæ fuerant in vivo, ut patet; ergò manet idem subjectum; probatur ant. tum quia sicut ipsi fatentur Adversarii, accidentia non migrant de subjecto in subjectum, tum quia videmus, quòd in mortuo eadem longitudo, latitudo, figura, albedo &c. eadem viriditas in ramo abscisso, eadem virtus in herba vivente & mortua seu arida, sed hoc est & falsum, si non maneret idem subjectum; ergò eadem accidentia sunt in vivo & mortuo; ergò ulterius etiam idem subjectum. Deinde quæro ab Adversariis, an vulnera & cicatrices, quæ in occiso apparent, sint illa, quæ fuerunt in vivo vel non? si secundum, quæro iterum, an si Titius Mœvio inflixisset duo vulnera lethalia, ex quibus Mœvius paulo post moreretur, an Titius juramento coram legitimo judice affirmare possit, se Mœvio illa duo vulnera non inflixisse, si sic, certè aperietur aditus ad quæcunq; latrocinia & homicidia perpetranda, absq; eo quòd puniri poterunt, licèt deprehendantur, imò ad juramenta falsa facienda, quæ sunt valdè piarum aurium offensiva: si non poterit affirmare, se illa vulnera non inflixisse; ergò remanent eadem vulnera in mortuo, quæ erant in vivo, & consequentèr, si manent eadem accidentia, manet etiam idem subjectum.

VIII. **Dices:** Non esse eadem accidentia, sed similia de novo producta, unde sensus, dum putat esse similia, decipitur. Sed Contra 1. Videtur contra sensum sanum esse, asserere, quòd sensus decipiatur, cùm nulla possit assignari ratio, quare dicatur decipi. Contra 2. Quia non est assignabilis causa productiva illorum accidentium, ergò: probatur ant. quia non est Titius interficiens, nec gladius penetrans, nec laqueus suffocans, &c. ergò; quod ulterius confirmatur ex ramo & pomo, in quo manent eædem prorsus qualitates, ut dulcedo, rubedo &c.

IX. **Dices:** Ad introductionem formæ corporeitatis, introduci etiam accidentia illa, nam in instanti quo animal moritur, sequitur forma cadaveris, quæ dat itrum esse apparentèr oculis, naribus, auribus & ad formam introductam illam, tunc causa universalis producit illa accidentia. Sed Contra videtur inconceptibile, quomodo natura tanto tempore laborare debeat, ut paulatim, & successivè introducat formam ossis, arteriarum cartilaginum, ad informationem & animam introducendam; ergò falsum erit, quòd gignantur in instanti; dicere autèm, quòd causa universalis producat illam formam cadaveris, & omnia accidentia, est primò contra bonum Philosophum, quòd illuc recurrat in effectibus quotidianis; deinde causa universalis non est magis determinata ad hæc potiùs accidentia producenda, quam alia, nisi determinetur ab aliqua causa secunda particulari, quæ tamen non est assignabilis.

Instabis: Determinari ad hæc accidentia per accidentia similia, quæ præfuerunt. Contrahi accidentia præexistentia determinarent ad similia producenda, semper in composito genito deberent esse eadem accidentia in genito, quæ fuerunt in corrupto, quòd tamen falsum est. Nec valet dicere, non semper debere esse accidentia similia, sed tantùm quando illud genitum non petit dissimilia, non valet inquam, quia cadaver cùm sit substantia distinctissimæ rationis ab homine, petit dissimilia accidentia, non minùs quàm ignis genitus ex ligno; ergò debent admittere eandem formam in genito, quæ fuerat in corrupto.

X. *Probatur Conclusio etiam argumentis Theologicis.* **Huc usq;** probavi conclusionem argumentis Philosophicis, probo nunc etiam Theologicis & Primò sic: Si non daretur forma corporeitatis in homine realitèr distincta ab anima, sequeretur, quòd corpus Christi in sepulchro non esset idem, quod de Virgine natum est, & sic idem corpus Christi vivum & mortuum, esset numero & specie distinctum, quia forma cadaveris distinguitur specie ab anima, sed hoc est contra Sanctos Patres Athanasium, Gregorium, Augustinum & signantèr, D. Ambrosium sic loquentem, ut refertur dist. secunda de consecratione. *Idem corpus est quod de Virgine sumptum, quod passum & sepultum, quod resurrexit & in cœlum ascendit*; ergò probatur sequela, tunc non manet eadem substantia, quando non manet eadem forma substantialis, sed secundùm Adversarios forma substantialis constitutiva corporis est sola anima, & hæc non manlit in sepulchro, ut fides docet; ergò nec manlit idem corpus.

Confirmatur, tum quia sequeretur, quòd Corpus Christi vidisset corruptionem, Sacrâ Scriptura repugnante quæ dicit Psalmo 16. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, & Act. 2. *caro ejus corruptionem non vidit*: quia illud corrumpitur, quòd in aliud compositum transit accedente novâ formâ substantiali & manente eâdem materiâ, sed hoc in præsenti casu contingeret; ergò Corpus Christi vidisset corruptionem: tum quia sequeretur, quòd æq; posset dici: Verbum assumpsisse montem vel lapidem, sicut dicitur, quòd sustentaverit formam corporeitatis; probatur sequela, quia cadaver in tantum differt à natura humana, quantum differt mons vel lapis, cùm aliam & aliam æq; habeat formam substantialem, & tantùmmodo in materia communicent, quæ omnia sunt absurda.

XI. Dices: Corpus Christi vivum, mortuum, & sepultum mansisse idem non formaliter, seu quoad formam, quia mortuum habuit formam cadaveris, sed suppositalitèr, quatenus illud corpus, quod fuit sepultum, suppositabatur eâdem suppositalitate verbi æterni, quâ suppositabatur corpus vivum Christi, quod erat natum de Virgine. Sed Contra 1. Si verbum assumeret aliam naturam humanam, non posset dici, simpliciter idem Christus, qui defacto est, nec posset dici simpliciter, quòd habeat eandem humanitatem, aut animam, aut idem corpus, & tamen suppositalitèr posset dici idem; ergò, ut dicatur idem corpus Christi sepultum, quod fuit natum, non sufficit, dicere esse idem suppositalitèr. Contra 2. Falsum est, illud corpus, quod fuit sepultum, fuisse assumptum à verbo; ergò non esset idem suppositalitèr cum corpore, quod fuit natum de Virgine: probatur ant. quia verbum defacto non assumpsit, nisi humanitatem Christi & spectantia ad illam, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates, vel tanquam accidentia, sed illud corpus sepultum, & constitutum per formam cadaveris, non spectabat ad humanitatem Christi nullâ ratione. Contra 3. Quod verbum Divinum assumpsit, nunquam divisit; ergò si assumpsit formam cadaveris, illam non divisit, & consequentèr Christus adhuc habet formam cadaveris, quod est inauditum.

XII. Probatur Conclusio altero argumento Theologico: Si in triduo mortis Christi aliquis Discipulorum consecrâsset panem, posuisset sub illis speciebus corpus Christi; sed hoc esset falsum, si corpus non diceret formam substantialem distinctam ab anima, ergò: probatur minor, quia non poneretur tunc corpus, quatenus est constitutum per animam, quia aliàs reduceretur Christus consecratione ad vitam; ergò quatenus corpus est constitutum per aliam formam, sed non est alia quàm forma corporeitatis.

XIII. Dices: In illo casu poni corpus in quantum est constitutum per accidentia. Sed Contra: Illud corpus, quod per consecrationem sub speciebus ponitur, debet esse substantiale: hoc autèm non esset substantiale, sed accidentale, ergò. Deinde corpus hîc positum, deberet constituere iterum Christum hominem cum anima, sed accidentia non possunt constituere cum anima hominem, ergò

Probatur tertiò Conclusio, XIV. ex Theologico principio, præscindendo à priori casu de triduo mortis Christi, sic: secundùm Concilium Trident. Sess 13. cap. 3. Per verba consecrationis panis ponitur tantummodo corpus Christi per se, & anima solummodò per concomitantiam, verba Concilii sunt: *sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraq; vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius morituræ, inter se copulantur*: sed hæc Sacrò Sancti Concilii definitio, & determinatio vera non esset, neq; de fide, si corpus constitueretur per animam & non potiùs per aliam formam, ergò: probatur minor, quia tunc deberet anima poni vi verborum sub specie panis, sed non poneretur; ergò definitio non esset vera: probatur sequela, quia vi verborum sub specie panis poni debet, quidquid ingreditur formalem constitutionem corporis, sed anima secundùm ipsos ingreditur formalem constitutionem; ergò vi verborum deberet ibi poni.

Dices 1. Animam poni sub speciebus XV. panis, non quatenus dicit rationem formalem viventis aut animalis, sed tantùm in quantum tribuit gradum Metaphysicum corpori; sed Contra Concilium Tridentinum dicit: ibi animam poni sub specie panis propter unionem partium inter se, ut legenti patet, sed quatenus tribuit gradum Metaphysicum corporis, non est unita, sed identificata, ergò.

Dices 2. Per corpus in Concilio as- XVI. signatum intelligi materiam primam, non verò aliquam aliam substantiam; sed Contra: Illud ponitur sub speciebus panis, quod ex Maria Virgine natum est, sed materia prima non est nata ex Maria Virgine; ergò nec materia poterit dici poni illuc. Deinde corpus Christi fuit corruptibile, materia autèm non est, ergò. Sed Principalitèr in contra

Opponitur Authoritas tum S. Aug. XVII. lib. Immort. anim. 15. & 16. ubi ait: *Speciem corpori per animam tribui. Item corpus nullum sit nisi accipiendo per animam speciem*, tum Aristotelis 7. Met. t. 35. ubi ait: oculum & carnem mortuam esse æquivocè carnem & oculum. Item 2. Gen. cap. 1. inquit: *Non enim est facies, nisi animam hominis habeat, neq; caro, sed corruptâ æquivocatione dicitur caro, aut facies perinde quasi lapidea, vel lignea facta esset.* Sed hoc esset falsum, si eadem forma post mortem maneret, quæ erat in vivo; ergò non datur talis forma. Resp. Ad D. Augustin. illum quidem ibi sic sensisse, verumtamen totum

XVIII. Argumenta ratio-

hoc

hoc retractavit, nam lib. 1. Retract. cap. 5. eadem repetens ait: *Hoc totum prorsus temerè dictum est.* Ad Aristotelem, nihil aliud velle, quàm carnem & oculum, in quantum considerantur ut instrumenta animæ, post mortem esse tantùm æquivocè talia instrumenta, non verò voluit, quòd considerata secundùm se à vita præscindendo, & morte sint æquivocè talia, & hanc Responsionem manifestè colligit Reguseus ex Philosopho 4. Met. ult. ubi ait: carnem mortuam esse æquivocè carnem, quia illa propriè dicitur caro, quæ potest facere opus carnis, id est, quæ appositum nutrimentum, in carnem sibi similem, convertere potest, quod nequit caro mortua.

Instatur: Nihil potest esse propriè caro, nisi quod est constitutum per formam carnis, nec corpus nisi constitutum per formam corporis, etiam secundum esse & non quoad operari, sed anima est tantùm forma corporis & carnis, ergò ea separatâ non poterit aliquid dici propriè caro, sed tantùm æquivocè, probatur minor: quia secundùm eundem Philosophum 2. de Anima cap. 1. *Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis*, ergò anima est tantùm forma carnis, quia actu primo nullus est prior, anima autem est actus primus, ergò non est alius prior & consequenter, si non fuerit anima, non poterit etiam secundum esse habere propriè corpus vel facies. R. concedendo ma. & distinguendo mi. anima est forma carnis vel corporis, in quantum sunt instrumenta ad exercendas suas operationes, concedo mi. præscindendo à ratione instrumentorum nego mi. & consequentiam, Itaquè caro & corpus organicum dupliciter considerari potest, primò absolutè & in se cum illa diversitate partium inter se, secundò in quantum sunt instrumenta ad exercenda munia vitæ, & licèt sit ejus forma in hac posteriori acceptione, non est tamen in priori, quia cùm hæc sit homogenea & uniformis, non potest tot, tamquè diversa esse dare, qualia sunt esse carnis, ossis, nervi, &c. Sed

Urgetur: Nec Forma corporeitatis potest dare tàm diversa esse, qualia sunt carnis, ossis, nervi &c. ergò nulla solutio: probatur ant. quia illa forma est una specie, tàm benè ac anima rationalis, ergò. R. negando ant. cum sua probatione, quia forma corporeitatis non est una specie, si enim esset, tunc urgeret benè replica, sed est potiùs congeries illa formarum substantialium carnis, ossis & nervi, singulæ enim partes heterogeneæ habent suas partiales formas, ita ut forma totius corporis aliud non importet nisi congeriem omnium formarum partialium.

XVIII. Opinio rationes fundamentum.

Arguitur: Ex ratione 1. Cum D. Thoma 1. p. q. 67. a. 4. Unius rei unicum est esse, ergò etiam unica tantùm forma: probatur consequentia, quia forma est quæ dat esse, ergò si ens erit unum, unam tantùm debebit habere formam, & si plures habuerit, non habebit unum esse. R. dist. 1. consequens, una forma completa & adæquata, ac non ulteriùs subordinata, concedo consequentiam, subordinata, nego consequentiam & similitèr dist. ultimum consequens, si haberet plures formas, non esset unum ens, si essent plures non subordinatæ concedo consequentiam, subordinatæ nego consequentiam.

Instatur: Non potest fieri aliquid unum ex pluribus formis sive sint subordinatæ, sive non, ergò nulla solutio: probatur ant. quia per primam formam res constitueretur in suo esse, ergò per alteram non posset constitui aliquod unum; probatur consequentia, quia quod advenit enti in actu, constituit unum per accidens, ergò non constitueret unum per se, sed unum per accidens, quod falsum est. R. negando ant. cujus probationem distinguo, constitueretur in suo esse completo & ultimato, nego incompleto & non ultimato, concedo ant. & nego consequentiam, similitèr distinguo consequentiæ probationem, quod advenit enti in actu ultimatè completo, concedo ant. non ultimatè completo, nego ant. Itaquè totum constitutum ex materia & forma corporeitatis est ens incompletum, quod ulteriùs compleri potest per animam.

Urgetur: Si illud totum ex materia & forma corporeitatis constitutum esset incompletum, non posset naturalitèr existere sine anima, sed hoc est falsum, ergò. probatur sequela, ideò materia prima non potest naturalitèr existere sine forma, quia est incompleta, ergò à pari. R. negando sequelam cum sua probatione, ratio disparitatis est, quia materia prima semper est legitimè dispolita ad recipiendam formam quamcunquè, corpus autèm non est semper sic dispositum ad recipiendam animam. Deinde ex eo quòd sit incompleta, non licèt statim inferre, ergò non potest existere sine alio, quia etiam anima est incompleta, & tamen rationalis existere potest sine corpore. Denique alia & potissima disparitas est, quòd materia prima sit pura potentia subjectiva, nullum includens omninò actum informantem, corpus verò, licèt etiam sit potentia subjectiva ad animam, attamen etiam includit aliquem actum informantem, licèt incompletum & imperfectum, talis autèm potentia subjectiva citiùs potest existere sine alia ulteriori & adæquata forma, quàm potentia, quæ nullum actum includit Physicum. Sed iisdem quodammodo inhærendo principiis.

Arguitur 2. Si daretur aliqua forma corporeitatis, quæ sic posset existere sine anima tanquam sua ultima & adæquata forma, sequeretur quòd defacto à parte rei, & non tantùm per operationem intellectus daretur individuum genericum, seu vagum quod sub nulla specie substantiæ contineretur, sed hoc est impossibile & contra dicta in Logica, ergò; probatur ma. quia illud compositum ex materia prima & forma corporeitatis, est individuum corporis, quod est genus in prædicamento substantiæ, & tamen non est sub ulla specie infima, quia non includit formam ultimam, quæ constitueret in esse specifico. R. negando sequelam Majoris, cum probationis ma. Quia individuum contentum sub genere substantiæ, seu sub corpore, de prædicamento substantiæ in linea recta debet esse Physicè completum, & includere formam specificam ultimam, illud autem

XIX. Secundum.

tèm corpus, de quo hîc est sermo, est Physicè incompletum, non includens formam ultimò specificativam.

Instatur: Illud corpus continet totam essentiam corporis de prædicamento substantiæ, ergò est Physicè completum & consequentèr nulla solutio: probatur ant. quia ad illud corpus non requiritur essentialiter, nisi quòd sit compositum ex materia & forma substantiali, vel quòd sit substantia per se existens, sed compositum ex materia & forma corporeitatis est tale, ergò. R. negando ant. ad probationem nego ma. quia ulteriùs requiritur, quòd sit Physicè completum, seu quòd constet ex materia & forma, ultima Physica vel ultimatè completiva Physicè, qualis non est forma corporeitatis. Sed

Urgetur: Forma Corporeitatis non potest contineri sub communi ratione formæ substantialis, quin sit in aliqua ultima specie formæ substantialis, ergò compositum ex tali forma & materia erit sub aliqua specie ultima, & consequentèr sub specie completa, vel si hoc non, tunc dicendum, quòd sit sub nulla, & consequentèr stabit argumentum, quod dabitur individuum genericum & vagum. R. dist. primum consequens, erit sub aliqua specie substantiæ corporeæ ultimatè completæ, nego consequentiam, incompletæ concedo. Itaquè cùm materia prima & anima rationalis, etiam secundùm ipsos Adversarios sint aliquo modo in aliqua specie substantiæ incompletæ, idem dicendum est de illo composito ex materia & corporeitatis forma, nec ex hoc aliquid absurdi inferri potest, quàm quòd in generatione naturali viventis introducantur duæ formæ substantiales vel duo composita, aut duæ mutationes, quia hoc est necessarium ad salvandum diversa constituentia, constituta, & diversas mutationes, quæ sunt completæ & perfectæ, sed incompletæ & imperfectæ.

XX. *Tertium ex Philosopho.*

Arguitur 3. Argumento desumpto ex Philosopho secundùm quem, subjectum generationis in hoc distinguitur à subjectis aliarum mutationum, quòd subjectum generationis sit ens in potentia, aliarum verò ens in actu, sed compositum ex materia prima & forma corporeitatis est ens in actu, quia habet formam, ergò non poterit esse subjectum generationis. Resp. permittendo transire majorem dist. mi. Compositum ex materia & forma est ens in actu ultimatè completivo, nego mi. non ultimatè completivo, concedo mi. & nego consequentiam. Itaquè pro intelligentia solutionis datæ notandum, quòd aliquid in potentia duplicitèr dici possit, primò in pura potentia, ita ut nullum habeat actum informantem: secundò in potentia non pura, sic quòd habeat aliquem actum, & tamen adhuc sit capax alterius actûs ultimatè completivi in suo genere, similitèr duplicitèr potest aliquid dici in actu primò, quòd habeat aliquem actum non ultimatè completivum, secundò quòd habeat aliquem actum ultimatè completivum, Philosophus autèm dixit, de ente in actu in prima acceptione, non verò in secunda.

Instatur: Secundùm Philosophum 1. de generatione l. 14. *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente*, sed compositum ex materia prima & forma corporeitatis, est ens in actu sensibile, ergò tale non potest esse subjectum generationis. Confirmatur, quia è contra Corruptio, est desitio totius substantiæ, ergò nullum ens manet in actu sive ultimatè completivo, sive non, & consequentèr subjectum generationis est ens in potentia, & nullo modo in actu. R. 1. Philosophum tantùm loqui de generatione inanimatorum; nam de his dictum suum exemplificat Aristoteles, de aqua, quando convertitur in ignè, vel aërem, vel aërem in ignem, & è contra. R 2. & magè ad propositum, quòd tantùm velit Generationem esse mutationem totius in totum, id est, generationem totalem & ultimatè completivam, non verò partialem & inadæquatam. Ad confirmationem dico, corruptionem esse desitionem totius substantiæ cathegorematicè sumptæ, seu tertiæ entitatis ex corpore & anima, non verò totius substantiæ syncathegorematicè sumptæ, seu pro singulis partibus, alioquin deberet etiam desinere materia prima, quod falsum est.

Urgetur Contra ultimam solutionem: si maneret aliqua pars vel aliquod ens in actu, sequeretur fieri corruptionem substantialem sine generatione substantiali, sed hoc est contra Aristotelem, ergò; probatur mi. quia secundùm ipsum generatio unius est corruptio alterius, ergò etiam corruptio unius est generatio alterius, ergò est contra Philosophum, dari corruptionem substantialem sine generatione substantiali. R. dist. ma. Corruptionem totalem, nego ma. corruptionem partialem, concedo ma. quando autèm moritur homo, non est corruptio totalis, sed partialis; ad probationem minoris R. dist. ant. Generatio unius est corruptio alterius, mediatè vel immediatè transeat ant. immediatè semper nego ant. Quia quando producitur forma corporeitatis, destruitur forma, quæ præcesit in materia, quando autèm producitur anima, non est necesse, quòd aliquid immediatè corrumpatur, cùm anima sit composibilis cum forma corporeitatis, unde potiùs tunc tantùm aliquid destrui debet, quando posterior forma incomposibilis est cum priori; similitèr respondeo ad primum consequens, non est etenim necesse, ut immediatè in corruptione aliqua nova forma introducatur, sed sufficit, quòd mediatè. Imò illud axioma Philosophi non est universaliter verum, quòd generatio unius sit corruptio alterius: quia dantur multæ generationes accidentales, quas tamen non concomitatur corruptio, ut patet, dum generatur lux in aëre, species in medio, scientia in intellectu &c. Sed quemadmodum conclusionem nostram probavi etiam argumentis Theologicis, ita pariter

Arguitur 4. In contra argumento Theologico: Si daretur forma corporeitatis totalis in toto homine & partialis in singulis membris, & organis corporis humani, sequeretur, quòd aliquid naturæ humanæ non esset redemptum à Verbo, sed hoc asserere est inconveniens,

conveniens, ergò; probatur sequela: quia secundùm D. Damascenum lib. 3. de fide cap. 25. nihil est assumptum, quod non est curatum, nec curatum, quod non est assumptum, ut passim circumfertur: sed aliquæ formæ partiales naturæ humanæ non sunt assumptæ, ergò; probatur minor, quia illæ formæ partiales, quibus distinguitur sexus fœmineus à masculino, non sunt assumptæ, ergò. R. Primò, retorquendo argumentum, secundùm Adversarios: Formæ partiales non sunt aliud quàm materia & accidentia, sed Verbum non assumpsit illa accidentia, quibus fœmina distinguitur à Viro, ergò aliquid in natura humana est, quod non est curatum, quia materia & accidentia illa non sunt assumpta. R. negando sequelam ad probationem ex divo Damasceno dist. ma. nihil est curatum, quod non est assumptum, curatione sanctitatis substantialis, concedo majorem, curatione sanctitatis meritoriæ, nego majorem, & distinguo similiter minorem & nego consequentiam. Itaquè verum est quidem, quòd substantialiter nihil sit per Deitatem sanctificatum & curatum, nisi quod est assumptum, nihilominùs curatio redemptionis non consistit in illa sanctitate, alioquin si Verbum assumpsisset naturam humanam & eam ad cœlos transtulisset, jam fuisset redemptio peracta contra Apostolum ad Hebræos 9. ubi ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio*: quare Remedium & curatio potiùs in meritis Christi consistit, quæ sufficiunt omnibus illis, quibus applicantur: ita quòd si pro Angelis fuissent applicata, eis etiam profuissent, & sic patet, magis prodesse mulieribus, cùm ipsis pariter sint applicata. Omitto plures alias replicas & objectiones, quæ apud Authores passim videri possunt.

XXII. *Quæres inter-rogat contra dictam diversi-tatem.*

Quæres: Utrum partes heterogeneæ viventium constent formis partialibus diversæ rationis essentialis, unam formam totalem, quæ corporeitatis dicitur, integrantibus? R. cum Doct. loc. cit. Affirmativè, Ratio est, quia in vivente sunt partes diversæ rationis, ut caro, ossa, nervi, &c. quæ habent diversas qualitates sibi connaturales, nam caro est mollis, os durum &c. ergò illæ constant formis partialibus diversæ rationis, quia non potest ostendi ratio, quare tales qualitates convenirent illis diversis partibus, nisi quatenus partes illæ diversis formis partialibus exigentibus, tales vel tales qualitates, ideò enim colligimus defacto distinctionem specificam substantialem, quia videmus aliquas qualitates convenire huic & non alteri, aliàs quæro quomodo aliquis sciat lapidem non esse aurum? lac non esse vinum? &c.

QUÆSTIO V.

Utrum duæ formæ substantiales non subordinatæ possint esse in eadem materia?

Sicut præteritâ quæstione per formas subordinatas intellexi eas, quarum altera alterâ indiget, ita ut sine ea nequeat habere aliquas operationes, quas cum ea habere posset, & quarum una aliam supponit tanquam constitutivum physicum sui immediati subjecti, ita per formas non subordinatas intelligo eas, quæ ita sunt completæ, ut non indigeant se invicem ad aliquas operationes, nec una alteram supponat tanquam subjectum suum, aut subjecti sui constitutivum, adeò ut si simul reperientur in eodem subjecto, neutra ad operationem alterius concurreret, ut sunt formæ ignis, aquæ, ligni, de formis etenim substantialibus tantummodò agitatur quæstio: de accidentalibus enim nullum est dubium, in qua materia non modò cum illis, qui extra scholam Scoti sunt, sed etiam inter domesticos magnà controvertitur alteratione, nam plures partem negativam tuentur, alii è contra affirmativam, omnibus Scotum pro patrocinio & tutela citantibus: Unde in rei veritate Triplex circa hanc quæstionem est sententia, Prima est Arriagæ asserentis disp. 3. Phys. asserentis: de potentia ordinaria plures formas substantiales posse esse simul, dummodò non exigant contrarias dispositiones. Secunda Thomistarum, Lorcæ, Compluten. post Divum Thomam putantes, plures formas supernaturaliter nec posse esse simul. Tertia est communior inter Scotistas, qui dicunt supernaturaliter id non implicare, quid ego sim approbaturus, mox patebit, interim

Dico I. *Duæ formæ substantiales non subordinatæ, naturaliter nequeunt esse simul in eadem materia.* Hæc est communior, contra Arriagam. II. *Naturaliter duæ formæ nequeunt esse simul.*

Probatur Conclusio primò, Quia nulla aliqua causa potest habere simul duos effectus adæquatos, sed materia causa est sustentativa, & eductiva formarum, ergò non potest habere simul duas, quia quælibet ipsarum est effectus adæquatus; probatur ma. à paritate aliarum causarum, quia efficiens non potest producere duo simul, quorum quodlibet ipsi sit adæquatum, similiter finis non potest eundem movere ad applicandum bis media.

Dices: In hoc argumento peti principium, quia in quæstione versatur, an una forma sit adæquata materiæ, ita ut non possit habere aliam simul, ergò nihil probat. Resp. negando ant. Quia inde deducitur, quamlibet formam esse adæquatam materiæ, quia non potest esse sine omni forma, unde quia materia abhorret esse sine forma, sicut natura abhorret esse locum sine locato, unde sicut nullus locus est ex parte tantũ plenus corpore, sed totaliter, ita etiam materia non est plena formâ ex parte, sed adæquatè, itaquè quælibet forma erit adæquata materiæ. Sed III.

Probatur Conclusio secundò ab Experientia, optima rerum magistra, quâ videmus, quòd ad introductionem unius formæ expellatur alia, nam quando terra vertitur in gramen, non amplius est terra, & cùm gramen vertitur in sanguinem animalis, non amplius est gramen & sic de cæteris. Verumtamen IV.

Arguitur: Experientiam quoquè esse in contrarium, nam inprimis quando duæ formæ succedunt sibi invicem, verbi gratiâ, forma ignis formæ ligni, secunda expellit priorem, ergò est simul cum illa: quia non potest V. *Argumentum in contrarium.*

esse

esse nisi in subjecto, ergò est simul cum subjecto. Resp. negando consequentiam, quia quando una forma expellit alteram, non est necesse, ut sit simul posterior cum priori, quòd clarè constat à pari; nam quando duo corpora expellunt se ab eodem loco, non est necesse, quòd pro aliquo instanti sint simul in eodem loco, sic quoquè dicendum in præsenti, quia expulsio formalis non est aliud quàm successio immediata alicujus priori alteri, quod non fit per aliquam efficientiam, sed tantùm ex eo, quòd ponat aliquid, quod non potest stare cum remanentia prioris, id est seipsam.

Instatur: Experientia quoquè docet, non modò in successivis, sed etiam in permanentibus duas formas posse esse simul, nam in montanis Ungariæ Auri, Cupriquè fodinis, sunt quædam aquæ, quæ injectum ferrum, in cuprum mutant ita, ut si pars sit intra aquam, alia extra immersa erit cuprum, quæ ad extra manet ferrum, ut ipse vidi in quadam Equi ungula, quæ media ex parte erat cuprum, ferrum ex altera: quo posito sic Instatur: in tali casu in indivisibilibus continuativis illius totius ungulæ erant simul duæ formæ substantiales diversæ rationis, ergò experientia est quoquè in contrarium: probatur ant. Illa indivisibilia sunt continuativa utriusquè metalli, veluti termini intrinseci, ergò debent habere formam utramquè, ergò si in indivisibili poterunt esse simul: multò magis in eadem parte materiæ. Resp. in casu, aliquam formarum carere indivisibilibus terminativis, quod non est mirandum: quia illud indivisibile medium non est tunc illius completæ terminatio, sed potius continuatio aliqua, vel dicito, illa indivisibilia non esse materiæ, sed formæ: adeòquè nihil duarum formarum est in eadem materia. Urgetur hìc etiam adhuc aliâ experientiâ de ferro candente, sed quia hæc apud Authores obviè ubiquè reperitur soluta, omitto eam liberè. Nunc ad difficultatem principaliorem resolvendam

VI. *Benè tamen divinitùs.*

Dico 2. *Duæ formæ substantiales completæ non subordinatæ possunt esse in eodem subjecto divinitùs, dummodò non sint contrariæ, vel repugnantes dispositiones præviæ.* Hæc colligitur ex Scoto 3. d.8. q.1. n.6. & d.6. q.2. num.7. & 4. d.1. q.2. n.22. quem Scotistæ communitèr sequuntur, ut Mastrius, Pontius, Sghemme, Tombetus, &c. Ruvius, Suaretz, &c. & plures Recentiores.

Probatur Conclusio primò, Ratione communi: Quia Deus potest facere omne illud, quod non implicat plures formas esse in eadem materia, ergò Deus poterit plures formas ponere ad eandem; probatur minor, de qua sola est difficultas, & primò non repugnat ex parte divinæ potentiæ, quia Deus est infinitæ virtutis, & ideò potest supplere defectum materiæ ad eductionem, & conservationem formarum duarum simul, talis enim defectus si quis est, est in genere quasi causæ efficientis: Nequè implicat ex parte materiæ, quia hæc, ob suam indifferentiam non est limitata ad hanc vel illam formam, sed indeterminata & illimitata, ita ut quando unam recipit, retinet adhuc capacitatem ad aliam, non potest simul & semel aliam recipere, quia una forma disparata, nata est expellere connaturaliter aliam, ergò defectus etiam non est ex parte materiæ; probatur deniquè, quòd nequè ex parte formarum, primò: Quia formæ substantiales non sunt contrariæ inter se, ergò nec incompatibiles; Probatur consequentia, quia contrariis proprium est expellere se invicem, sed hæc non sunt contraria, ergò: probatur hæc minor: quæ etiam est ant. superius, quia si essent contrariæ, tunc esset ex quatuor oppositionibus una, sed neutra est, ergò; probatur minor. non contraria, quia hæc propriè versatur inter qualitates, quarum una nata est expellere aliam ab eodem subjecto inhæsionis, ut vicissim inesse possit: nam formæ nullibi sunt in subjecto inhæsionis, ergò. nec etiam privativa, aut contradictoria, quæ utrumquè extremum est quid positivum, oppositionis autem privativæ & contradictoriæ, extrema non sunt ambo positiva, ergò. nec est oppositio relativa, quia utrumquè extremum est quid absolutum, ergò.

Dices: Esse oppositionem disparatam, VII. ratione cujus una necessariò expellit aliam: sed Contra: Oppositio disparata non sufficit, ut una forma expellat aliam, quia si hæc sufficeret, deberent se necessariò expellere omnes formæ disparatæ, sed hoc non faciunt: ergò: probatur, quia albedo & dulcedo sunt formæ disparatæ, sed hæc non expellunt seinvicem à subjecto, ergò oppositio disparata non sufficit: probatur mi. quia ambæ simul repetiuntur, tàm in lacte, quàm saccaro, ergò.

Instabis: Requiri etiam rationem substantialem & non tantùm oppositionem disparatam, in lacte autèm & saccaro sunt tantùm XI. duæ formæ disparatæ accidentales. Sed Contra, tum quia hoc gratis dicitur, tum quia eodem modo se habet oppositio disparata formarum substantialium ad subjectum substantiale, sicut se habet oppositio disparata accidentium ad subjectum illorum quoad expulsionem, sed non expellunt se formæ accidentales disparatæ à subjecto accidentali, ergò nec expellent se duæ formæ substantiales à substantia substantiali.

Continuatur argumentum VIII. XII. probando, quòd non sit defectus ex parte formarum, quia non solùm duæ formæ contrariæ & disparatæ possunt simul subjectari in materia, sed nec duæ homogeneæ & ejusdem rationis: atqui duæ formæ homogeneæ non sunt sibi oppositæ, ergò quòd duæ formæ non possint esse simul, non oritur præcisè ex parte formarum, intelligo semper argumentum quoad effectum primarium formarum, qui est informare, quia quoad secundarium certum est, quòd tota ratio oritur ex illis, nam quemadmodum effectus primarius est informare, ita secundarius est expellere se invicem, attamen hìc effectus omninò impediri potest, unde instauro argumentum, &

Probo idipsum de formis tertiò, IX. si esset aliqua implicantia, quare duas formas sub-

substantiales non posset Deus ponere in eadem materia esset ex parte formarum, sed nec ex istis est, ergò: probatur, quia ista esset vel secundùm effectum primarium vel secundarium, non primarium, ut probatum est, nec etiam secundarium, quod probo: Quia Deus potest impedire effectum secundarium cujuscunquè formæ positivæ, ergò, probatur ant. quia Deus potest impedire, quò minùs duæ quantitates expellant se invicem ab eodem loco, similitèr potest Deus duas qualitates contrarias in eodem subjecto, ut probabilitèr tenet quædam sententia, de qua infra.

X. Dices: Deum non quemcunquè effectum secundarium posse impedire, ergò nulla probatio: probatur ant. quia negatio formæ lapidis est effectus secundarius formæ panis, sed nunquam forma panis potest esse sine negatione formæ lapidis, ergò non quicunque effectus secundarius impediri potest. Sed Contra R. negando ant. ad cujus probationem dico, illam nimiùm probare, quia sequeretur etiam non posse duas formas accidentales esse simul in eodem subjecto, verbi gratiâ, albedinem & dulcedinem in lacte, quod tamen falsum est; probatur nihilominùs id sequi, quia albedo habet necessariò annexam inseparabilitèr negationem dulcedinis, ergo si illud non potest esse cum alio, quod habet negationem formalem alterius, albedo non poterit esse cum dulcedine: Itaquè peccat instantia in diversa acceptione terminorum, aliud enim est, unum necessariò non esse aliud, & aliud unum necessariò non esse cum alio, quamvis ergò una forma substantialis necessariò non sit alia, non tamen ideò statim debet non posse esse cum alia, alia namquè est negatio essendi aliud, alia negatio essendi cum alio.

XI. Probatur Conclusio secundò Principalitèr: Quia secundùm Scotum in 3. d. 1. q. 3. Possunt plures humanitates uniri Verbo Divino, & consequentèr plures animæ rationales, ergò & plures formæ eidem materiæ; Probatur consequentia, quia si possunt plures formæ uniri uni alicui, modo supernaturali, qualis est modus uniendi hypostaticè, ergò & modo connaturali, qualis est modus uniendi formam cum materia.

XII. Dices: Disparitatem esse, quia implicat, quòd plures effectus terminentur ad eandem causam totalem, licèt benè idem effectus ad plures causas totales, & consequentèr materiam terminari ad plures subsistentias. Sed Contra, falsò supponitur, quòd materia non habeat propriam subsistentiam partialem, distinctam à subsistentia formæ, ut videri potest supra.

XIII. Probatur Conclusio tertiò: Possunt plura corpora esse simul in eodem loco, ergò & plures formæ in eodem subjecto vel materia; probatur consequentia, quia illæ formæ nihil recipiunt præter respectum extrinsecum unionis, sed illa corpora respectum talem extrinsecùs advenientem recipiunt sine repugnantia: ergò etiam formæ plures, eundem respectum sine repugnantia accipere poterunt.

Dices: Disparitatem esse, quia corpora duo per penetrationem fiunt unum locabile, seu quoad locum: quia illa duo corpora ita se penetrant, ut sit unum locabile, unde sicut unum locabile potest circumscribi uno loco, ita etiam illa duo corpora: nam ad situm localem sunt intra se; duæ verò formæ substantiales non possunt fieri unum in esse informantis, quia forma panis in esse informantis necessariò constituit panem, ut non possit constituere magnetem vel adamantem, & è contra, sed repugnat per Dei potentiam, quòd forma panis faciat magnetem, vel constituat adamantem, ergò duæ formæ substantiales non poterunt esse simul, nec divinitùs. Sed Contra: Illæ duæ formæ informantes materiam, non faciunt unum in esse informantis, nec unum compositum, sed duo tàm diversa, quoad esse cathegorematicum totius, quàm si illæ duæ formæ essent in diversis materiis, ergò disparitas innititur falso fundamento; patet ant. quia sicut una forma distinguitur ab alia, ita informatio unius ab informatione alterius, & sicut una distinguitur ab alia in esse informantis, ita etiam compositum ab una causatum distinguitur à composito per aliam causato. Deinde falsum est, quòd illa duo corpora faciunt unum locabile, sunt enim duo corpora realitèr duabus locationibus passivis locata, licèt locus fundamentalitèr sumptus sit unus, id est, superficies ambiens. Restat nunc accedere ad solvenda argumenta, quæ sunt ex implicantiis, quas diversè diversas faciunt. Itaq;

XIV.

Arguitur I. Ex nostra conclusione sequeretur, quòd duo composita substantialia, & etiam duo suppposita, possent de se invicem prædicari sicut dulcedo & albedo, sed hoc implicat, ergò: probatur ma. quia ideò albedo potest prædicari de dulcedine, dicendo album est dulce: quia albedo & dulcedo sunt in eodem subjecto, sed in casu nostro etiam essent duæ formæ in eadem materia, ergò: probatur minor. quia de ratione suppositi est, quòd sit incommunicabile, & consequentèr unum de alio prædicari non potest, deinde qualis esset ista prædicatio, panis est lapis, & è contra. Sed R. neg. sequelam, ad cujus probationem dico disparitatem esse, quia formæ accidentales explicantur nominibus connotativis & adjectivis, substantiales verò nominibus absolutis & substantivis, quare illæ possunt de se invicem prædicari, non verò istæ, quòd si autèm etiam explicarentur nominibus connotativis, non videtur, quare non possent de se invicem quoq; prædicari, ut panatum & lapidatum, quia tunc sensus esset, quòd illud, quod est informatum formâ panis, sit etiam informatum formâ lapidis. Sed

XV. *Argumentum in contrarium primum.*

Instatur: Deus & homo, sunt nomina absoluta, & tamen quia natura humana & Divina sunt unita, eidem supposito Deus & homo de se invicem prædicantur, ergò etiam duæ formæ substantiales, licèt sint absolutæ, quia tamen in eadem materia, de se invicem poterunt prædicari. R. negando consequentiam, quia ut fiat mutua prædicatio, debent esse in eodem supposito, sic quia illæ duæ naturæ habent idem suppositum, poterunt de se invicem prædicari: in

casu autèm conclusionis essent duo suppositа, licèt in eadem materia, adeoquè de se invicem prædicari nequeunt. Sed

Urgetur: Illa possunt de se invicem prædicari, quæ possunt communicari sibi invicem, ut patet de Deo & Homine in casu supra, sed illa duo composita communicarent se invicem, ergò possent adhuc prædicari de se invicem; probatur mi. quia pars essentialis, & numerica unius est pars essentialis alterius, scilicet materia, ergò. R. negando mi. ad cujus probationem dico, quòd nunc & defacto materia unius suppositi communicetur alteri disjunctim & successivè, & ideò tamen non licèt dicere, quòd suppositum cujus actu est pars, sit communicabile, aliud ergò est dicere de parte suppositi, aliud de supposito.

XVI. *Secundum.* **Arguitur 2.** Ex nostra conclusione sequeretur, quòd expellere aliam formam à subjecto esset effectus formalis formæ, & non esset; esset ut supponunt omnes, non esset verò, quia tunc impediretur à Deo, ergò esset & non esset; sed nullum tale implicatorium potest Deus facere, ergò neq; hoc. R. negando sequelam cujus prob. dist. esset & non esset quoad potentiam naturalem & ordinariam Dei, nego ant. esset quoad potentiam ordinariam, & non esset quoad potentiam absolutam Dei impedientem illum effectum formalem, concedo ant. Nec in hoc aliqua est implicantia, quia non est respectu ejusdem.

Instatur: Ideò Deus nequit impedire effectum formalem primarium, quia nequit supplere effectum talem sine forma, sed non potest supplere effectum secundarium sine forma, ergò nec impedire. R. negando mi. quia Deus potest expellere formam absq; eo quòd in illud subjectum introducatur alia, subtrahendo suum concursum ad conservationem formæ; Unde sic retorquetur argumentum contra Thomistas: Illum effectum, secundùm ipsos potest impedire, quem Deus potest supplere, sed potest supplere effectum secundarium, ergò potest etiam eundem impedire.

Urgetur: Posse Deum quidem impedire aliquem effectum secundarium, non tamen talem, qui est negativus & infimus formæ, quia necessariò negat alteram formam in subjecto, sicut est forma cadaveris, quæ necessariò negat aliam formam in materia seu subjecto, ergò nulla solutio; probatur ant. quia forma cadaveris negat formam viventis in homine, qui est effectus secundarius formæ cadaveris, quem tamen Deus non potest impedire. R. negando ant. & ad probationem ejus dico, quidquid sit, an detur forma cadaveris, quod à nobis Scotistis simpliciter negatur, quòd quàmvis daretur, tamen ex sua ratione formali non dicit negationem esse cum forma viventis, seu anima in materia prima, quia Deus impedire posset, nec expelleret animam ab eadem materia. Deinde responderi possit per ultimam particulam conclusionis, quam infra explicabo.

XVII. *Tertium.* **Arguitur 3.** Implicat compositum substantiale, quod resultat ex materia & forma esse unum & plura, sed hoc fieret, si una materia informaretur à duabus formis, ergò: probatur mi. quia tunc illud compositum esset unum, quia haberet unam, specie & numero materiam, & etiam essent plura ob pluralitatem formarum. R. negando mi. ad probationem dico, esse simpliciter plura composita, non verò unum, quia pluralitas compositorum attendi debet penes pluralitatem formarum, unde licèt esset una specie & numero materia, non potest inferri simpliciter esse tantùm unum compositum, sicut non licèt inferre, materia panis & materia lapidis est ejusdem specie, ergò etiam panis & lapis sunt ejusdem speciei.

Instatur: Si essent in casu simpliciter plura composita, sequeretur, quòd utrumquè posset operari & etiam non posset, sed hæc est inconvenientia magna, ergò non sunt duo composita; probatur sequela ma. quia ponatur, quòd idem corpus informetur duabus animabus rationalibus, verbi gratiâ, Titii & Mœvii, si sunt duo composita: Titius poterit ambulare posse & non posse, posse quidem, quia habet formam, quæ est principium actionis, non posse verò, quia Mœvius potest nolle, sine cujus velle ambulare non poterit: quia organa quæ Titius adhibere debet ad ambulationem, sunt organa Mœvii, ut patet, cùm sint eadem utriusq;, ergò poterit & non poterit, nec planè scietur, quid in tali casu eventurum sit, ergò ad evitendas tales inconvenientias potius dicendum, unam materiam non posse informari pluribus formis. R. negando sequelam, ad cujus probationem dico, quòd Titio volente ambulare Mœvius posset nolle, & tunc si Titius vellet ambulare & Mœvius nollet, vel Titius esset majoris virtutis, quàm Mœvius, vel è contra, & sic Titius posset ambulare non obstante quòd nollet Mœvius: si verò essent æqualis virtutis, tunc non sequeretur ambulatio: quia volitio unius non esset sufficiens accedente nolitione alterius. Quantum autèm ad operationes organicas, minor est difficultas, nam tunc uno operante non necessariò alter operetur, & sic uno intelligente alter non necessariò intelligeret, & uno existente ignaro, alter posset esse doctus.

XVII. **Dixi** verò notantèr in Conclusione: *Dummodò non sint contrariæ vel repugnantes dispositiones præviæ*, quia existimo sat probabile formam ovis, verbi gratiâ, non esse cum forma leonis, vel lupi, nec formam asini cum hominis forma, & sic de aliis, unde sensus conclusionis potius est de formis inanimatorum, non verò de animalibus specie diversis: quia ista corpora diversa, diversisq; dispositionibus perfectibilia prærequirunt, quia corpus quod est aptum perfici per animam hominis, non potest perfici per animam serpentis, ex quibus patet, Scotistas sat competentes ad invicem reconciliari posse, si dicatur, quòd negantes duas formas eandem posse informare materiam, aliud non velint, quàm quòd non possint formæ exigentes diversas & contrarias dispositiones prævias, & affirmantes quòd possint, eos aliud non velle, quàm quòd formæ non exigitivæ contrariarum dispositionum simul esse valeant, & sic non tanta esset inter eos dissensio.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An una & eadem forma substantialis, possit informare plures materias simul?

I. Quemadmodum in præterita quæstione examinatum fuit, utrum plures formæ possint esse in eadem materia, ita in præsenti à contrario quæritur, utrum eadem forma possit esse in pluribus materiis? in qua materia sat consequenter loquuntur Authores passim, nam omnes qui partem tenuerunt affirmantem supra, hîc non declinant ad negativam & econtra, exceptis Mastrio & Barone, quorum primus cum socio suo Belluto, licèt admiserit plures formas posse esse in eadem materia, negat tamen, unam formam posse esse in pluribus materiis: Alter verò, licèt negaverit plures formas posse esse in eadem materia, affirmat tamen eandem formam posse esse in pluribus materiis.

II. Pro cujus rei intelligentia Notandum, quæstionem posse duplicitèr examinari, an eadem forma possit esse in pluribus materiis, quæ essent discontinuæ & partiales, unam totalem & adæquatam constituentes: secundò de materiis, quarum una partialis esset & altera totalis & adæquata, vel utraquè adæquata, & quæstio potest moveri, tàm de potentia absoluta, quàm de naturali, de qua

III. *Una forma naturaliter nequit informare duas materias.*

Dico 1. *Una forma naturaliter nequit informare duas materias, sive illæ sint totales & adæquatæ, sive sint partiales, dummodò sint discontinuæ.* Hæc est communis omnium, & Probatur de totalibus: Quia informatio non potest fieri nisi in loco existat, sed nulla una forma potest naturaliter existere in pluribus locis adæquatis discontinuis, ergò nec informare duas materias. Confirmatur, quia materia est dependentia formæ à materia, quàm corporis à loco, ergò si idem corpus nequit naturaliter esse in pluribus locis, nec poterit naturaliter esse in pluribus materiis.

Probatur etiam Conclusio de materiis partialibus, sed discontinuis, tum quia experientiâ constat, quòd in divisione partium animalium perfectorum, anima statim desinat informare abscissam & separatam partem, & licèt in insectis utraquè pars viva maneat, non est tamen eadem anima, quæ informat ac alteram partem, sed sunt plures: tot scilicet, quot materiæ: tum quia continuatio est conditio necessariò requisita ad informationem, ergò connaturaliter una forma non poterit informare plures materias inadæquatas discontinuas.

IV. *Una eademque forma naturaliter simul & semel informare potest duas materias discontinuas, integrantes unam adæquatam.*

Dico 2. *Non implicat, quòd super naturaliter una eademque forma possit simul & semel informare duas materias discontinuas, integrantes unam adæquatam.* Hæc est sat communis & sensus est, quòd si, verbi gratiâ, homo divideretur in duas partes, quòd eadem anima utramquè partem informare posit: Et

Probatur hoc ipsum primò ex illo miraculo Divi Dionysii, de quo proditum est, abscissum suum caput sustulisse & progressum ad duo millia passuum, in manibus gestâsse: in hoc namquè casu verisimile, Divina virtute id fuisse factum, quòd anima, corpus & caput, simul informaverit, recurrere etenim ad spiritus vitales non videtur rationabile, quia illa nunquam tanto tempore solent durare, unde licèt in aliis quandoquè contingat, quòd abscissa capita vel clament, vel oscitent, id tamen citò transit: quare tunc benè referri potest in impetum impressum ab anima; nec similitèr est necessarium asserere, per extrinsecam virtutem alicujus Angeli hoc evenisse, cùm non possit assignari implicantia, quare anima non posset Divinitùs informare utrumquè, caput scilicet & corpus.

Probatur secundò ratione: Quia continuitas materiæ est tantùm conditio, sed tales conditiones possunt à Deo suppleri, ergò; probatur mi. quia in naturalibus est quædam conditio, ut anima informet corpus, quod longo tempore fieri est necesse, & tamen hoc in unico instanti in conceptione Christi contigit; Idem ad ratiocinandum in homine requiruntur dispositiones debitæ organorum, quæ non nisi determinato aliquo tempore habentur, & tamen in Christo & pluribus aliis, vel in utero matris, vel in nativitate ipsa, perfectum habuêre usum rationis, ergò similitèr ista conditio sic à Deo suppleri potest. Sed in contra

V. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Nihil potest excedere sphæram suæ activitatis, vel aliàs quamcunquè, sed si anima informaret partes separatas, excederet sphæram suæ activitatis & informationis, ergò id fieri nequit: probatur mi. quia spatium occupatum à corpore est adæquatum animæ, ergò si anima esset in partibus divisis & separatis corporis, excederet sphæram: quia occuparet etiam illud spatium intermedium. R. negando minorem: quia censeo probabile esse, quòd animæ spatium non sit ita limitatum, quin possit esse in majori quàm corpus sit, quod exinde colligitur, quia anima in puero tota est, & eadem quæ in viro, & tamen quando erat in puero, non habebat tantam sphæram, sicut habet in viro, sic potest esse quoquè in proposito; quod si verò spatium esset majus, quàm anima nata sit occupare, non potest informare duas partes separatas, nisi replicetur, quia etiam in Angelo hoc verificatur, qui si est limitatus, ut non possit occupare nisi hoc cubiculum, non poterit esse in majori, nisi replicetur.

Instatur: In anima equi hoc verificari & contingere non potest, ergò Conclusio nondum subsistit: probatur ant. quia anima equi non potest esse sine subjecto, sed si informaret duas partes sui corporis discontinuas, deberet esse sine subjecto, ergò: probatur mi. quia esset in illo spatio quoad mediaret interutramquè partem, & si non esset in subjecto, periret, ergò eadem non posset esse in utraquè parte. R. negando ant. absolutè loquendo, nam quamvis

benè argumentum probet intentum, ut proinde dici deberet, id tantùm verum esse de anima spirituali, attamen etiam de materiali adhuc esse posibile, sic ostendo: quia potest Deus facere, ut illa pars medians & manens in intervallo non sit educta de potentia materiæ equi, id est, non dependeret actu ab ea, sed à solo Deo supplente efficienter defectum subjecti.

VI. Dico 3. *De potentia absoluta Dei, eadem forma potest informare plures materias.* Hæc est communior Scotistarum de mente Scoti, licèt quoquè nonnulli eundem pro se citent.

Probatur Conclusio, quia potest poni eadem forma in diversis locis, ergò etiam in diversis materiis, probatur consequentia, quia non potest assignari implicantia ullo ex capite oriunda, ergò: probatur ant. non ex parte materiæ, quia hæc est indifferens ad quancumquè formam recipiendam, sive naturalitèr producatur, sive non: nequè etiam ex parte formæ, quia in tali casu merè passivè se habet, unde quemadmodum unum corpus potest poni in alio loco supernaturalitèr, licèt connaturalitèr exigat tantùm primum, sic quoq; licèt connaturalitèr forma exigat unam tantùm informationē, poterit adhuc supernaturalitèr facere secundam. Nec deniq; est defectus vel implicantia ex parte efficientis, quia Deus ob suam infinitam virtutem & potentiam potest in materiam ponere formam, tàm benè jam semel positam, quàm nunquam adhuc, ergò.

VII. Dices: Implicantiam esse ex parte formæ, quia sequeretur formam esse infinitæ virtutis, sed hoc implicat, ergò. probatur sequela, quia quâ ratione posset informare duas, posset etiam infinitas: sed quod potest informare infinitas materias, debet esse infinitæ virtutis, ergò & forma esset talis. R. 1. negando sequelam, ad cujus probationem dico, quòd licèt duas posset informare, ex hoc tamen non sequitur, quòd posit etiam infinitas, nam intellectus potest intelligere plura, non tamen infinita, item anima rationalis potest informare plures partes realitèr distinctas, ergò etiam infinitas, vel corpus magnum, ergò infinitæ magnitudinis, & sic de pluribus aliis causis & potentiis, quæ plures effectus producere possunt, non tamen infinitos; Deinde ex eo, quòd corpus posit replere duo loca, non sequitur, quòd posit infinita vel infinitæ virtutis.

Instabis: Corpus tantùm se passivè habere, formam verò activè: adeoquè licèt illud ponatur in pluribus locis, non sequitur quòd sit infinitæ virtutis: benè tamen de forma. Sed Contra 1. Forma tunc se tantùm passivè habet, ergò eadem est ratio & omnimoda paritas. Contra secundò si dicitur, quòd forma activè se habeat respectu materiæ, quia eam informat, sic quoquè poterit dici corpus esse activum respectu loci, ex eo quòd eundem repleat; Nec juvat adducere authoritatem Scoti in contra pro patrocinio oppositæ sententiæ, quia Doctor, dum ait, secuturam infinitatem, si posset plures informare materias, tantùm arguit contra Vatronem, qui admisit infinitatem in forma substantiali, si posset esse in pluribus materiis & negabat infinitatem in accidentibus, unde dicebat Scotus, quòd si in forma substantiali sequitur infinitas, eandem quoquè secuturam in accidentibus. R. secundò ad principalem replicam, negando similitèr sequelam, ad cujus probationem dico, non videri implicatorium, quare non posset etiam à Deo infinities replicari: exinde tamen non sequitur, quòd forma esset infinitæ virtutis, aut quòd esset infinitæ perfectionis, quia ubiquè tantum esset una infinities replicata.

QUÆSTIO VII.

An forma sit tota essentia Compositi?

Hujus quæstionis difficultas eaquè non levis, sed perdifficilis, originem suam habere videtur ex ipso Aristotele, qui 2. Phys. cap. 3. formam appellavit quidditatem rei, unde Aueroes, & post ipsum omnes sui sequaces Aueroistæ dicti asseruerunt: formam esse solam essentiam & quidditatem rei: quamvis non excluderent omnimodè materiam, attamen eam solummodò vocabant subjectum & vehiculum formæ, hos secuti plures alii, ut Simplicius, Themistius, Alexander, &c. Magister sententiarum verò dixit, illam solam materiam, quam animal à parentibus traxit, esse de ejus essentia, alii aliter senserunt: Ego tamen cum schola Scoti & communiori resolutivè, ad quæstionem

Dico: *Forma non est tota essentia seu quidditas compositi, sed etiam illam ingreditur materia.* Hæc est Doctoris. 3. d. 22. q. un. & 7. Met. q. 6. quem sui sequuntur omnes. II. Forma non est tota essentia, nec solum ingreditur materiam.

Probatur Conclusio primò, Authoritate tum D. Aug. 19. Civit. cap. 3. ubi ait: hominem non esse animam solùm vel corpus solùm, sed utrumquè, meliorem tamen partem hominis esse animam: similia habet D. Bernardus passim, signanter lib. 5. de consider. cap. 7. ubi ait de Deo: *Non partibus constat ut corpus, non formis subsistat ut omne quod factum est*, ergò forma non est tota essentia, alioquin corpus non haberet partes, & gratis diceretur eum loqui de partibus integralibus, cum satis pateat, quòd ubi summè extollat simplicitatem unitatemquè Dei prout creaturis opponitur: tum deniq; Aristotelis 7. Met. 35. ubi ponit materiam partem speciei & 39. ait: *superfluum esse auferre materiam a quidditatibus rerum*, & 2. Ph. 18. & 19. & 2. Anima. 8. & 6. Met. t. 2. ait: *Materiam debere poni in definitione rerum naturalium.*

Dices: In his & similibus locis per materiam non debere intelligi materiam primam Physicam, sed genus, quod Aristoteles sæpè vocat materiam. Sed Contra, eodem modo se habet materia in Physicis, quemadmodum se habet genus in Metaphysicis, sed secundùm responsionem genus Metaphysicum ingreditur constitutionem essentialem & definitionem, ergò etiam in Physicis: adeoquè gratis recurritur ad genus. Imò quâ ratione dicere possunt Adversarii Aristotelē tantùm loqui de materia Metaphysica, eâdem dico ego quòd loquatur de Physica. Deniq; Aristoteles loquitur de ea materia, quæ cum forma constituit per se unū veluti actus III.

actus & potentia, ut patet ex illo 8. Met. t. 15. & 16. ubi ait: quidditatem compositorum esse per se unam, quia constat ex actu & potentia, sed ista potentia est Physica materia, ergò.

IV. Probatur Conclusio secundò ratione, primò: Omne compositum est aliquod totum, & omne totum est aliquod compositum, sed compositum involvit illa ex quibus componitur, & totum partes ex quibus constituitur; ergò forma non potest esse sola ratio quidditatis: probatur consequentia, quia forma sola est tantùm pars compositi & totius; ergò debet adhuc habere compartem ad hoc, ut constituat unum per se, sed nullam potiùs, quàm materiam primam, ergò. Confirmatur: Totum & compositum differunt à rebus simplicibus, sed si non includerent plures partes, non possent differre, ergò: probatur mi. quia si esset sola forma, hæc est Physicè simplex; ergò nullo modo differrent.

V. Probatur Conclusio secundò: Substantia materiales, & immateriales essentialiter inter se differunt, ut patet, tum quia substantia ut sic, in linea prædicamentali dividitur per differentias oppositas materialem & immaterialem, tum quia homo & Angelus essentialiter differunt, sed si forma esset sola essentia & quidditas rerum, non possent essentialiter differre ergò: probatur mi. quia forma hominis est spiritualis æq; ac est Angelus; ergò non possent in ratione spiritualitatis differre. Confirmatur, quia sequeretur, quòd sola Anima esset homo, item hominem futurum immortalem & incorruptibilem, quia anima, quæ est tota ratio & quidditas hominis, est talis.

VI. Dices: Ista non sequi, quia licèt in forma constitat tota quidditas, tamen etiam necessariò requiritur materia tanquam subjectum & vehiculum, licèt non ut pars; Sed Contra, si materia non concurrit ut pars, sed ut vehiculum formæ, poterit per potentiam Dei absolutam dari compositum substantiale sine materia, sed hoc repugnat, ergò: probatur ma. quia potest Deus supplere vices subjecti, & conservare formam sine subjecto; ergò si materia non aliter concurrit, quàm per modum subjecti, poterit in casu esse compositum sine materia.

VII. Probatur tertiò: Quia si sola forma esset tota quidditas compositi, existente solâ formâ jam deberet existere totum compositum, sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela, quia tunc existit totum aliquod, quando habetur tota ejus quidditas, sed hîc haberetur, ergò: probatur etiam mi. quia tunc posset legitimè dici forma ignis est ignis, forma ligni est lignum, & sic de cæteris, quæ omninò falsa sunt.

VIII. Contra Conclusionem variæ opponi possunt authoritates, & loca Aristotelis, ad quæ tamen Scotus generaliter respondet: Aristotelem tantùm velle, quòd forma sit essentia vel quidditas, id est principalior ratio determinandi aliquod ad certam unam speciem, & materiam non esse talem rationem: per hoc tamen nequaquam vult, quòd ingrediatur constitutionem formalem totius, unde iisdem opponi possunt loca supra adducta. Vel dicito, eum loqui de forma totius, quæ est species, quæ utiq; est tota ratio & quidditas ejus, cujus est species. Plures tales textus copiosissimè adducit Mastrius Disput. 5. Physicæ q. 11. qui ibi videri possunt, solutiones omnes in datas coincidunt. Attamen

IX. Arguitur: Nihil essentiale unius potest esse essentiale alterius, sed si materia esset essentialis unius partis, deberet esse quoq; alterius; ergò materia non est essentialis: probatur ma. quia nullum proprium potest alteri convenire; ergò etiam nullum essentiale alteri; probatur, quia nihil magis est alicui proprium, quàm cujuslibet essentia, ergò. R. dist. ma. Nihil essentiale totius unius potest esse essentiale totius alterius, concedo ma. nihil essentiale unius partis secundùm partem potest esse essentiale, secundùm partem alterius, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam: ad probationem dico, verum esse quidem proprium quarto modo sumptum, posse alteri competere, nego tamen consequentiam; ad probationem dist. ant. nihil est tàm proprium alicui, quàm ejus essentia Metaphysica, concedo Physica, nego ant. & consequentiam. Itaq; licèt tota essentia nulli alteri possit convenire, potest tamen convenire pars potentialis alteri, quæ hæc ob suam indeterminationem potest esse communis cum aliis, quemadmodum patet etiam in Metaphysica compositione.

X. Instatur: Si materia ingrederetur constitutionem alicujus compositi, deberet ingredi constitutionem omnium compositorum, sed hanc non ingreditur, ergò: probatur mi. quia non ingreditur hominis, ergò: probatur ant. quia tota ratio & quidditas hominis est esse animal rationale, sed hanc rationem materia non ingreditur, quia hoc totum habetur ab anima rationali. R. negando mi. cum probationis antecedente, ad cujus probationem dico: illud verum esse de essentia & quidditate secundùm Metaphysicam considerationem: ratio tamen adducta falsa est, scilicet hoc totum haberi ab anima rationali, quia genus & differentia sumitur proximè & immediatè à tota rei entitate.

XI. Urgetur: Essentia hominis debet invariata manere, sed materia hominis non manet invariata; ergò materia non est de essentia ejus; patet ma. quia essentiæ rerum dicuntur immutabiles: probatur mi. quia materia hominis totaliter defluit & refluit, ita ut in fine vix aliquid amplius habeat de materia, quam habuit in principio vitæ; ergò non manet invariata; ergò non est de essentia ejus, cùm essentia hominis per totam vitam nunquam varietur. R. dist. ma. essentia hominis debet invariata manere secundùm prædicata intrinseca quidditativa, concedo, secundùm rationem existentiæ, nego ma. & mi. cujus probationem dist. materia hominis fluit & refluit secundùm partes impuriores & fluxibiliores, concedo ant. secundùm partes solidiores & seminales, nego ant. Unde ut dicatur idem homo manere, sufficit, quòd remaneant partes principaliores, hæc pronunc de ista difficultate dicta sufficiant, quomodo autèm stante tali fluxibilitate materiæ,

vivens toto tempore vitæ maneat, idem examinabo in parte sequenti. Interim pro fine hujus quæstionis sicuti etiam totius disputationis

X. Forma etiam appetit materiam.

Quæres: An forma etiam appetat materiam? Rs. affirmativè, Ratio est: tum quia quodlibet ens appetit suum finem, sed finis formæ est constituere cum materia unum per se; ergò forma habet appetitum ad materiam: tum quia omne ens appetit illud sine quo naturaliter nequit esse, sed forma connaturalitèr nequit esse sine materia, ergò: tum quia quælibet res appetit illud, quod in ipso arguit perfectionem, sed informatio arguit perfectionem; ergò forma appetet eam.

DISPUTATIO IV.

DE PRIVATIONE, TERTIO PRINCIPIO.

EXplicatis duobus principiis positivis & realibus, ad privationem, quæ quamvis independenter ab omni operatione intellectûs sit in rerum natura, ut statim dicam, realis positiva non est, explicandam moveo manum. Sed quia plura præsupponenda sunt ex traditis, videlicet esse principium, quod non quidem compositum per se constituat, sed per se ad generationem requiritur, & similia, ideò brevibus expediam præsentem Disputationem. Itaq; sit

QUÆSTIO I.

An & quid sit privatio, & an à subjecto distinguatur?

I. Negatio dividitur.

Antequam ad resolvendam quæstionem accedam prænotare oportet, Negationem primò dividi in negationem nudam & privationem. Negatio nuda iterum duplex est, alia extra genus, alia intra genus, seu in genere. Negatio extra genus, est negatio extra omne subjectum, seu quæ in nullo subjecto in rerum natura fundatur; Negatio in genere, est negatio in subjecto non capaci rei, quæ negatur, ut negatio hominis in bruto, & lapidis in ligno, quæ non videtur magis opponi rei sic negatæ, quàm ipsa alia res in quâ fundatur, & quæ est res disparata à re sic negata.

II. Explicatur privatio.

Privatio est negatio, seu carentia formæ in subjecto apto vel capaci talis formæ, per hoc *carentia* vel *negatio*, cum negatione nuda convenit, per reliqua ab ea distinguitur. Privatio dividi solet in privationem strictè & latè sumptam: strictè sumpta est negatio formæ in subjecto apto, & sustentare per modum causæ materialis formam, qualis est privatio formæ ignis, in materia prima ligni: Privatio latè sumpta est negatio formæ in subjecto apto quidem recipere talem formam, sed non causare eam per modum causæ materialis, verbi gratiâ, privatio animæ rationalis in materia, quam non potest causare, benè tamen recipere: Privatio strictè sumpta est terminus ad quem corruptionis, & terminus à quo generationis, latè sumpta non verò sic, sed est terminus ad quem annihilationis & à quo creationis. Secundò dividitur privatio duplicitèr, alia enim est privatio in subjecto apto nato recipere formam negatam, seu quæ habet inclinationem naturalem ad formam negatam: qualis est privatio visus in oculo cœci; alia est privatio formæ in subjecto non habente naturalem inclinationem ad formam, capaci tamen ejus, ut privatio albedinis in pariete, paries etenim est indifferens ad recipiendam tàm albedinem quàm nigredinem.

III. Privatio dividitur.

Tertiò dividitur privatio à Scoto in privationem secundùm genus, & privationem secundùm se vel non secundùm genus: Privatio secundùm genus est negatio in subjecto apto nato, secundùm rationem genericam recipere talem formam, licèt ei secundùm rationem specificam repugnet talis forma, ut negatio visus in talpa, quâ dicitur cœca secundum Philosophum 5. Met. cap. de privatione. Privatio secundùm se, est negatio in subjecto apto nato recipere formam, non solùm secundùm rationem genericam, sed etiam secundùm rationem suam propriam & specificam, ut privatio visus in homine, qui est aptus natus recipere visionem, non tantùm secundùm quod est animal, sed etiam secundùm quod est tale animal in specie, sed revera licèt privatio in genere vel secundùm genus vocetur privatio, vix tamen dicenda est privatio in rigore & propriè loquendo, unde potius erit negatio secundùm genus, alioquin nulla erit negatio in genere, quia quælibet poterit vocari privatio, verbi gratia, negatio formæ ignis in me, quæ poterit dici privatio in genere, quia sum capax illius secundùm gradum entis vel substantiæ, quare etiam frequentèr accipiuntur pro eodem. His itaq; prænotatis Circa primam partem tituli non defuerunt Authores, qui negarent omnes omninò privationes, sed eas tantùm à nostro intellectu fingi affererent, ita Soncinas, & plures alii agentes de ente rationis, verumtamen

IV. Datur privatio.

Dico 1. *Dantur à parte rei privationes nullo cogitante intellectu.* Hæc est Scoti 1. d. 23. q. un. n. 8. & 5. Met. quæ proinde

Probatur primò: Authoritate Sanctorum Patrum id conantium ex Sacra Scriptura deducere, & maximè D. Augustini in cap. 1. Genesis, ubi ait: *Aliud est lux, aliud illæ privationes, quas in contrariis tenebris ordinavit Deus*; ergò ex mente S. Augustini datur privatio à parte rei.

V.

Probatur secundò ratione: Altera propositionum contradictoriarum necessariò est vera formaliter, sed hæ duæ propositiones

tiones sunt contradictoriæ, paries est albus, paries non est albus: quod est esse privatum albedine, quæ ambæ intelliguntur formalitèr, ergò. Confirmatur: Quia dicere, aërem esse tenebrosum, non est aliud, quàm dicere, aërem non habere lucem, sed hoc secundum verum est omninò à parte rei formalitèr; ergò & primum. Notandum tamẽ, quòd, quando affero, esse privationes per ly esse, me non intelligere ly esse vel dari propriè, prout significat existentiam rei positivam, sed abusivè: quatenùs videlicet, licèt positivè non existat, adhuc tamen nullo cogitante intellectu habeatur, quare dici potest negatio realis, vel privatio realis, non verò ens reale positivum vel privativum, non quidem primum, quia hoc in terminis repugnat, cùm ens reale dicat positivam entitatem in suo conceptu formali, per quem primò distinguitur à non ente, & ente rationis, ut proinde Aristoteles 1. Physicorum 75. privationem vocet non ens, non verò ens reale positivum vel privativum. Sed contra hoc

VI. Opponitur Authoritas Aristotelis 2. Anima 138. ubi docet: visum discernere lucem & tenebras, sed quod sensus discernere potest, est quid reale; ergò privatio si detur, erit quid reale, si non positivum saltem privativum; probatur mi. quia solùm sensibile reale est objectum sensus; ergò: ℟. explicando & distinguendo author. Arist. Visus discernit tenebras per se, nego ma. per accidens, concedo ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaq; non vult Aristoteles, quòd visus possit percipere tenebras, quemadmodum percipit lucem, sed solummodò negativè, quatenus videt ibi non esse lucem, unde ibidem Philosophus subdit, quòd visus, licèt percipiat lucem & tenebras, ait non similitèr, id est non eodem modo, quia lumen positivè, negativè verò percipiuntur tenebræ.

VII. Dico 2. *Privatio est negatio formæ in subjecto apto, ita ut negatio importetur in recto, aptitudo verò ad subjectum pro connotato.* Ita Scotistæ communitèr, & prima pars patet, tum ex dictis, tum quia constet genere & differentiâ. Pro secunda verò parte probatur: Quia si privatio aliquid aliud importaret, maximè relationem realem vel rationis, distinctionis inter subjectum & prædicatum, vel aptitudinem, aut ipsam formam contrariam, sed horum nihil importat in recto, ergò: probatur mi. quia privatio de se est negatio, ergò nec relationem realem, nec aptitudinem realem importare potest; deinde non potest esse forma contraria, quia materia nuda habet privationem omnium formarum, sed non habet tunc ipsas formas contrarias; ergò privatio non importat ipsam formam contrariam. Probatur secundò: Quia eo ipso, quòd subjectum habeat negationem formæ, & sit aptum ad recipiendam eam, & circumscripto quocunq; alio, habetur ratio privationis; ergò privatio directè importat negationem, & pro connotato habitudinem subjecti. Confirmatur, tum quia in definitione privationis à Philosopho 5. Met. 27. tradita, non ens, seu negatio ponitur in recto, & subjectum in obliquo: tum quia rectè dicitur, quòd cæcitas sit negatio potentiæ visivæ, & non dicitur rectè, quòd cæcitas sit capacitas potentiæ visivæ, sed solùm in obliquo, quod est negatio potentiæ visivæ in subjecto habente capacitatem illius potentiæ, ergò. Deniq; aptitudo potentiæ visivæ non expellit potentiam visivam, privatio verò expellit; ergò privatio non dicit directè, & in recto potentiæ aptitudinem. Sed in contra

VIII. Arguitur: Per quodcunq; aliquid ab alio essentialitèr distinguitur, per hoc etiam essentialitèr constituitur, sed privatio essentialitèr distinguitur à negatione per aptitudinem subjecti; ergò etiam essentialitèr constituetur per ipsam aptitudinem, & consequentèr privatio importabit in recto habitudinem, seu aptitudinem ad subjectum. ℟. dist. ma. Per quodcunq; aliquid ab alio essentialitèr distinguitur, si utrumq; vel alterum sit positivum absolutum, concedo ma. si sit privativum vel relativum & connotativum, nego ma. & consequentiam. Itaq; secundùm probabilem opinionem privatio & negatio, non distinguuntur essentialitèr, sed tantùm penes connotata, quemadmodum dicitur, quòd generatio formæ, & ejus creatio in principali significato, sed tantùm penes connotata, ex eo scilicet, quòd generatio connotet subjectum, non sic creatio. Sed contra solutionem adhuc

Argumentum in contrarium.

Instatur: Illud est de essentia alicujus, sine quo alterum concipi nequit, neque intelligi vel esse; sed privatio nec potest intelligi, nec esse sine habitudine ad subjectum; ergò in illa essentialitèr consistet, & consequentèr illa aptitudo non erit tantùm aliquod connotatum; probatur mi. quia essentia privationis est privare subjectum. ℟. negando ma. quia multa esse nequeunt sine suis conditionibus sine quibus non, & tamen illa non sunt de essentia rei, deinde nec esse, nec intelligi possunt relationes sine extremis, & tamen extrema non sunt de essentia relationum. Itaq; connotativa omnia ex particulari sua ratione habent, ut duos conceptus importent, unum pro primario, alterum secundario, tali habitudine inter se connexos, ut unus sine altero intelligi non possit, & ab altâ etiam minùs principali significatione, auferatur etiam magis principalis, licèt hîc non constituatur in esse suo per illam significationem minùs principalem.

IX. Dico 3. *Privatio realitèr distinguitur à subjecto, in quo dicitur esse, ita ut privationes non sint ipsa subjecta positiva.* Hæc etiam est communis, &

Privatio realitèr distinguitur à subjecto.

Probatur primò: Quia si privatio non distingueretur realitèr à subjectis, sequeretur, quòd non essent ab eis separabiles, sed hoc est falsum, ergò: probatur ma. quia nihil est separabile à se ipso: probatur mi. tum quia adveniente formâ cessat privatio; tum si non essent separabiles, sequeretur, quòd privatio & forma possent esse simul, nam si privatio albedinis nihil aliud est, quàm paries, vel aliud subjectum, tunc poterit poni albedo in pariete, vel in illo alio subjecto, & sic manente subjecto, manebit quoq; privatio, cùm aliud nõ sit quàm subjectum, & sic consequentèr simul erunt privatio & forma. Notandum tamen, quòd non velim dicere, quòd distinguatur privatio realitèr

litèr à subjecto distinctione reali, quæ est proprietas entis Metaphysici, quæ versatur inter extrema realia positiva, sed distinctione eâ reali, quæ etiam non identitas dicitur, seu negativa, & versatur inter ens & non ens, vel inter non ens & non ens. Attamen

X. *Opponitur & solvitur Arist.*

Opponitur Authoritas Scoti lib. 1. Phys. q. 18. ubi dicit: privationem non esse aliud, quàm materiam privatam; ergò privatio non distinguitur à subjecto, cui inesse dicitur. Sed R. Doctorem tantùm velle materiam, ut privatam reduplicativè non distingui à privatione, quod verum est, non verò, quòd materia privata specificativè non distinguatur à privatione.

Instatur: Materia specificativè sumpta secundùm se, secluso quocunq; alio non habet formam, & est tamen capax formæ; ergò materia specificativè sumpta, est ipsa privatio, & consequentèr nulla solutio. R. dist. ant. est fundamentalitèr sine forma & ejus capax, concedo ant. formalitèr nego ant. & consequentiam. Itaq; in tali casu materia secundùm sua prædicata essentialia in primo dicendi modo, nec dicit formam, nec privationem ejus, sed suam præcisam & nudam entitatem, quare argumentum peccat, ex eo quòd transeat à propositione negante, de prædicato finito ad propositionem affirmantem de prædicato infinito, quæ est solemnissima fallacia, non sequitur enim materia non habet formalitèr formam, & est formalitèr capax ejus; ergò est formalitèr privata formâ, quemadmodum non licèt dicere, Petrus essentialitèr non est doctus; ergò essentialitèr est non doctus, & sic de aliis.

Urgetur: Materia per absolutam Dei potentiam non potest separari à privatione; ergò non est de ejus essentia; probatur ant. quia si posset separari, deberent posse omnes formæ introduci, quarum sunt privationes ibi, sed illæ non possunt introduci, cùm sint infinitæ, ergò. R. dist. ant. non potest separari collectivè simul ab omnibus privationibus, transeat, ant. distributivè, nego ant. Itaq; ut dicatur realitèr distingui privatio à materia, non requiritur, quòd collectivè omnes simul separentur, sed sufficit quòd distributivè, seu divisim.

XI. *Privatio nequit intendi.*

Quæres, An privatio possit intendi vel remitti? R. ex D. quodl. 18. n. 3. §. Ex isto, negativè, nam loco citato dicit privationem secundùm se non dicere magis vel minùs, sed ratione rectitudinum, quibus privat. &

Probatur ratione: Quia non sunt plures relationes in eodem fundamento ad eundem terminum simul; ergò nec plures privationes ejusdem formæ in eodem subjecto simul; probatur consequentia: tota ratio, cur non dentur plures relationes ad eundem terminum est, quia tales superfluerent, sed sic est planè in proposito, ergò. Confirmatur, quia sola qualitas secundùm Philosophum suscipit magis & minus; ergò de aliis id dicendum non est.

QUÆSTIO II.

An, quomodo & quando privatio principiet corpora naturalia?

Prima pars tituli difficultatem non habet inter Peripateticos, tanquam dogma enim Philosophicum admissum est ab omnibus, privationem principiare, & quidem per modum termini à quo agens naturale progreditur ad introducendam formam, ita, ut si quis contrarium assereret, multa indecisa relinquere deberet, quæ alioquin in Philosophia tractantur, quod non parum bonam inter discurrendum intelligentiam minueret. Itaq; pro secunda parte tituli hinc oritur difficultas, ex eo, quia cùm generatio accidentalis fieri possit in eodem instanti, quo fit subjectum, nam sicut dicit D. Augustinus, si sol ab æterno fuisset, ab æterno luxisset, & si in eodem instanti fuisset productus aër, illum tunc illuminâsset, quemadmodum etiam in principio creavit Deus corpora cœlestia, ideò controvertitur, quomodo tunc privatio fuerit harum generationum principium, cùm privatio nunquam præcesserit? Circa quam difficultatem aliqui ut Aversa, Hurtadus asserunt, non esse necessarium, ut privatio tempore præcedat in materia formam, sed sufficere quòd præcedat tantùm priùs naturâ, itaq, si non positivè, saltem negativè, id est in quantum privatio præcessisset formam, si non fuisset ab agente extrinseco introducente formam in materiam, pro eo instanti impedita. Alii è contra requirunt, quòd ad quamcunq; generationem necessariò præcedat tempore, ego verò mediâ inedam viâ, conformitèr ad ea, quæ promisi agendo de principiorum numero respondendo ad objectionem ordinariam, desumptam ex generatione cœlorum, in quibus non videtur, quòd ulla præcesserit formam privatio. Itaq;

I. *In quamcunq; generationem requiritur, ut privatio præcedat tempore.*

Dico 1. *Generationem (quatenus productio est quæcunq;) non est necesse, præcedere privationem tempore, sed sufficit, quòd præcedat naturâ negative.* Hæc est conformis principiis Doctoris 2. d. 1. q. 2. §. Respondetur & probatur, quoad primam partem: Quia si DEUS de novo produceret materiam in instanti *A*, & in eodem instanti applicaret ipsi ignem, sic quòd posset formam suam in illa producere, talis productio esset vera generatio, ut productio est, ut patet ex D. August. 6. de Trinitate c. 7. ubi ait: *quòd si sol esset ab æterno, etiam ab æterno esset tamen & splendor*: sed in tali casu privatio non præcederet tempore formam, ut patet, quia in eodem instanti produceretur forma quo materia; ergò ad generationem, ut productio est, non requiritur, quòd privatio præcedat tempore formam. Confirmatur: Primò, quia in tali casu ista productio distingueretur à creatione; ergò esset vera generatio; probatur ant. quia illa productio fuerit dependentèr à subjecto, seu à materia, sed omne quod fit dependentèr à materia, distinguitur à creatione, ergo. Confirmatur secundò: Quia generationem vermis ex speciebus sacramentalibus non præcedit privatio in materia tempore formam vermis, ut communitèr tenent Theologi, quia in eodem instanti producitur à Deo, quo introducitur vermis.

Dices:

III. **Dices:** Doctor in 4. d. 11. q. 4. dicit: creationem, & generationem differre penes terminum à quo, sed creatio habet pro termino à quo negationem extra genus, id est nullo subjecto inexistentem; ergò generatio debet habere negationem in genere, seu in subjecto, tempore antecedentèr ad formam existentem. R. Generationem & creationem differre penes terminum à quo, quatenus terminus à quo creationis, est negatio totius rei creatæ, ut nec quidem subjectum præcesserit priùs; terminus verò à quo rei generatæ, quatenus est negatio ipsius, non tamen ita, quin materia saltem priùs naturâ præcesserit formam generatam, nec aliud vult Doctor subtilis.

IV. **Probatur Conclusio quoad** partem secundam: Quia privatio, ut est principium generationis per modum termini à quo, debet aliquo modo præcedere formam, sed non tempore; ergò naturâ, non quidem positivè, quia quidquid est priùs positivè naturâ alio, est simul tempore cum ipso, quia plura instantia naturæ includuntur in unio instanti temporis, & sic si privatio esset prior naturâ positivè, quàm sit forma, esset simul tempore cum forma, quod implicat, cùm nunquam simul esse possint, quæ sibi privativè opponuntur.

V. **Dices:** Privatio principiat, quando recedit à subjecto, seu per sui primum non esse, sed privatio in sensu negativo semper convenit materiæ, nec unquam recedit ab ipsa; ergò ut præcedit negativè non potest esse principium generationis per modum termini à quo. R. negando mi. quia privatio negativè præcedens etiam recedit à materia, in quantum tunc cessat connotare materiam aptam ad recipiendam formam possibilitèr, pro illo instanti, pro quo infuisset materiæ positivè.

VI. **Dico 2.** *In Generatione quatenus mutatio est, debet necessariò præcedere privatio tempore ipsam formam introducendam.* Hæc est etiam conformis principiis Doctoris 2. d. 5. q. 2. & in 3. d. 2. q. 3. Et

Probatur Conclusio: Quia Generatio ut mutationem dicit, requirit ut subjectum, quod transit ad formam, alitèr se nunc habeat quàm antè se habuit, sed si non præcederet privatio tempore formam, non alitèr se haberet nunc, quàm antè; ergò necessariò debet præcedere tempore; probatur minor, quia nihil alitèr se dicit habere nunc quàm antecedentèr, nisi ratione alicujus ipsi inexistentis tunc, quod nunc non inexistit, sed non præcederet tempore nihil ante extitisset, quod nunc non existeret; ergo tunc alitèr se non haberet, & consequentèr in generatione, in quantum dicit mutationem, necessariò præcedere debet privatio tempore, per quod patet, quomodo reconciliari possint ambæ extremæ sententiæ, si dicas unam velle privationem non debere præcedere tempore generationem, in quantum est productio, prout contradistinguitur à creatione, & alteram eam debere præcedere generationem, quatenus hæc dicit mutationem, & hoc sat probabile est, tantum voluisse Aristotelem, qui tradidit, & explicavit principia generationis defacto fieri solitæ, quæ semper fit cum mutatione: Verumtamen contra hanc eandem conclusionem

VII. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Privatio principiat per suum non esse; ergò non principiat per modum termini à quo, sed potius per modum termini ad quem, cùm non esse acquiratur; probatur ant. quia non principiat per suum esse; ergò per suum non esse: probatur ant. privatio per suum esse impedit generationem, ne fiat, ergo: probatur ant. quia quàmdiu est privatio, non potest esse forma in subjecto, alioquin essent forma & privatio simul. Sed R. Negando ant. cum sua probatione, ad cujus probationem dico, privationem principiare generationem per suum esse non quomodocunq;, sed per suum esse recedens, quatenus nimirum auffertur ac non tollitur, & per hoc suum esse non impedit generationem, sed potius promovet, quamvis impediat suum esse permanens, nec aliud volunt sequentes probationes.

Instatur: Privatio non tantùm dicit negationem formæ, sed etiam aptitudinem subjecti in quo est, sed illa aptitudo non recedit in generatione; ergò privatio non principiat per suum esse recedens, sed etiam permanens cùm aptitudo adhuc maneat. Sed R. negando ma. quoad alteram partem, ut patet ex dictis supra, quia privatio sicut non constituitur essentialitèr per aptitudinem, ita nec per eam principiat, sed potiùs per negationem: quia per hanc tantummodò opponitur formæ, non verò per aptitudinem cùm illa stet cum forma, utpote quæ se habet ex parte principii materialis, non ex parte principii privativi.

Urgetur: Si privatio concurreret in quantum negationem formæ dicit, potiùs deberet exprimi per negationem, quàm per privationem; ergò non per negationem formæ, sed etiam per aptitudinem principiabit, quia per hanc distinguitur à negatione. R. negando ant. nam quòd potius exprimatur per privationem hoc principium, quàm per negationem, inde provenit, ex eo quòd negatio non dicat connotationem ad subjectum, sed indifferens sit ad illud, unde ne ambigendi occasio præberetur, potius sub ratione privationis exprimitur, quàm sub ratione negationis & convenientèr; quia cùm revera hæc negatio formæ, à qua agens naturale progreditur ad formam in subjecto reperiatur, & formam duratione præveniat planè nomen privationis sibi vendicat. Ut ad tertiam partem tituli progrediar, in qua quæritur, quando principiat, plures fuerunt olim etiam ex Scotistis, qui asseruerunt, quod principiet tunc privatio, quando est, unde nè contradictoria cogantur admittere, recurrunt ad multa instantia, & signa naturæ, verumtamen, quia instantia, & signa naturæ non faciunt, ut contradictoria in eodem instanti temporis non sint simul, ut præclarè probat fusè Mastrius, ideò potiùs oppositum sentiendum puto, ad evitandam tamen obscuritatem & nè paulò dictis contravenire videas, ideò advertendum longè diversum esse quærere per quid privatio principiet & diversum, quando principiet, unde licèt antecedentèr dixerim, quòd principiet per suum esse, non quomodocunq;, sed quatenus tollitur & auffertur, ideo nunc

VIII. *Privatio principiat, quando non est.*

Dico 3. *Privatio principiat mutationem actu, quando ipsa privatio non est.* Hæc est communior, ut testatur Mastrius, & colligitur ex Scoto 2. d. 1. q. 5. & alibi.

Probatur Conclusio: Quia privatio tunc principiat mutationem, quando actu est mutatio, sed quando est mutatio, tunc non est privatio; ergò privatio principiat, quando non est: patet ma. quia actu principiare, & actu principiari sunt correlativa, ita ut unum sine altero esse non possit: probatur mi. quando actu est mutatio, est etiam forma, quæ acquiritur, subjectum namq; mutari aliud non est, quàm nunc aliter se habere, quàm ante se habuit per novam formam, sed quando est forma, non est ejus privatio; ergò quando est mutatio, non est privatio, & consequenter principiat, quando non est.

IX. Dices: Sic posset quoq; dici, quòd mutatio principietur quando non est, cùm non sit major ratio de uno ac altero, sed mutatio non potest principiari, quando non est; ergò nec poterit privatio principiare, quando non est. R. negando sequelam, disparitas est, quia privatio principiat per modum termini à quo, mutatio verò principiatur veluti realis transitus à termino à quo, ad quem: adeoq; esse nequit, ut principietur, quando non est, cùm principiari transitum aliud non sit, quàm incipere transitum, nihil verò potest dici incipere quod non est.

Instabis: Nullum principium potest principiare, quando non est, nec ulla principiatio potest esse, si principium non sit, ergò. Sed R. dist. ant. Nullum principium positivum, concedo, negativum, seu privativum, nego ant. & consequentiam. Itaq; licèt semper principium positivum debeat esse, dum res principiatur, de illo quod tantùm negativè concurrit, hoc non est necessarium: quia hujus principii particulare est, ut dum res principiatur, aufferatur & tollatur, ita ut non sit, quia alium principiandi modum non habet, quàm ut præcedat immediatè mutationem. Sed Contra Conclusionem directè

X. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

Opponitur Authoritas Aristotelis 4. Met. 22. ubi ait: *abjiciens habet aliquid ejus quod abjicit*: & alibi docet, id, quod fit, nondum esse, dum fit, sicut etiam id quod corrumpitur; ergò etiam privatio dum abjicitur, seu dum principiat, esse debet, & consequenter principiat, quando est. R. Aristotelem ibi loqui de rebus, quæ generantur & corrumpuntur subjectivè, idcircò, quòd id, quod fit, non sit in esse completo & perfecto, & è contra id, quod corrumpitur esse, quantum ad materiam scilicet; Vel dicito, Aristotelem in primo loco loqui de mutatione successiva, in quâ semper aliqua pars formæ post aliam abjicitur, prout contingit in alteratione accidentali.

XI. *Argumentum ex ratione.*

Arguitur ex ratione: privatio principiat quando expellitur à forma, sed expellens & expulsum sunt simul; ergò privatio etiam debet esse dum expellitur. R. dist. mi. sed expellens & expulsum debent esse simul, si se expellant efficienter, aut per verum contactum, concedo mi. si se expellant per suam simplicem positionem, prout facit forma, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; quando forma se ipsam ponit in materia, tollitur privatio, quod adhuc non requirit, ut dicantur simul esse.

Instatur: Illud debet necessariò esse de quo verè prædicari & affirmari potest in recto & tempore præsenti, sed de privatione, dum privatio prædicatur in recto ejus principiatio, ergò: probatur, quia etiam secundùm dicta privatio principiat, dum recedit, sed hoc est in præsenti, ergò est de facto, quia illud quod non est, non potest dici recedere, seu quòd recedat. R. negando mi. ad cujus probationem dico, quòd recedere non significet esse, sed fuisse, licèt verbo de præsenti exprimatur, quare cùm privatio recedit, quando principiatur mutatio, privatio tunc non est, sed immediatè antè fuit: ita quòd idem instans mensurans primum esse generationis mensurat, etiam primum non esse privationis & generationi est intrinsecum, privationi verò extrinsecum, & sic cùm primò est mutatio, primò non est privatio, & in hoc sensu potest fieri transitus à termino non existente.

Urgetur: Sequeretur, quòd si etiam in hoc sensu possit fieri transitus à termino non existente, quòd subjectum semper mutaretur, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia subjectum sub forma existendo continuum habet transitum ab ipsa ad eam, ergò. R. negando sequelam; Quia hoc tantùm verum est quando privatio non est primò, quia mutatio dicit respectum ad formam, ut novam, & non ut jam possessam.

QUÆSTIO III.

Complectens plura dubia de Privatione.

Solent nonnulli, quæ fusissimis quæstionibus multa adhuc de privatione tractant, quomodo videlicet opponatur cum formis? tollatur? specificetur? & utrum detur privatio privationis, ac his similia? verùmtamen existimo, rem tantæ utilitatis non esse, ut quis prolixo tractatui immoretur, nè tamen planè omittatur, per nonnulla quæsita rem expediam totam, sic itaq;

Quæres, An privatio possit tolli per solam formam oppositam, nec ne? R. Si privatio consideretur, ut est negatio, tolli quidem posse totam absq; forma, non tamen totaliter, si verò spectetur, ut est privatio quid distinctum, ad minus per connotata, & totam, & totaliter tolli per formam eamq; solam. Ratio resolutionis quoad primam partem, est, quia in illa consideratione non distinguitur, sicut nec aliàs à negatione, nisi ratione connotationis ad subjecta, ita ut unius subjectum sit aptum natum, & alterius sit ineptum, ad habendam formam, sed potest tolli ineptitudo ista; ergò tunc tolletur tota privatio, ut est negatio, nondum tamen totaliter, quia necdum inest forma, adeoq; adhuc est carentia. Ratio secundæ partis est, quia in illa consideratione privatio & forma sunt oppositæ, inter quæ non datur medium respectu subjecti capacis; ergò necessariò alterum eorum inest: ant. patet: probatur consequentia. Quia ideò dicuntur aliqua

aliqua immediatè oppositа, quia nihil potest inter ea mediare in eodem subjecto, sed inter privationem & formam oppositam, nihil mediat, ut dicebat antecedens; ergò per positionem unius, necessariò tollitur alterum, & consequenter si ponatur forma, tolletur privatio tota & totalitèr.

II. *Tollat totaliter totum.*

Quæres 2. An privatio tollat formalitèr formam? R. Si per *le formaliter* intelligatur, quasi deberet tolli per formam aliquam, negativè. Si verò per *le formaliter* intelligatur se ipso tollere, & non per aliud à se productum, efficientèr, affirmativè. Ratio resolutionis, quoad primam partem est, quia privatio non est aliqua forma, nec privativa, ut patet ex dictis, sed oppositum formæ; ergò in illo sensu nequit tolli formaliter. Ratio partis secundæ est: Quia positâ solâ privatione, nullo alio tollitur forma, & desinit totalitèr in subjecto; ergò si hoc sufficit, ut dicatur tolli formaliter forma, hoc faciet privatio, ergò.

IV. *An in materia sit unica tantùm privatio.*

Quæres 3. An in materia unica tantùm sit privatio vel plures? R. conformitèr ad dicta, quòd privatio & negatio, non distinguantur nisi penes connotata, esse plures privationes, Ratio est, quia sunt plures carentiæ, sed carentia est privatio; ergò plures privationes, quòd si diceretur verò, privationem esse ipsam aptitudinem, contrarium foret sentiendum; utpote, cùm generalis aptitudo, & potentia materiæ sit unica, ut ex dictis constat.

V. *Distinguuntur penes materiam.*

Quæres 4. Unde privatio desumat suam unitatem & distinctionem? R. Privationem (idem est judicium de negatione) desumere suam unitatem & distinctionem specificam à re negata, numericam verò ab unitate numerica formæ & subjecti, ita quòd uno, vel altero deficiente non sit amplius eadem privatio. Ratio resolutionis quoad primam partem est, quia non est aliud à quo privatio congruentius desumat suam unitatem & specificationem, ergò: probatur ant. quia non sumit suam unitatem à subjecto in quo subjectatur; ergò à nullo alio: patet consequentia, quia præter rem negatam non est aliud à quo potiùs deberet desumere suam unitatem & distinctionem, quàm à subjecto; probatur ant. Quia si privatio distingueretur penes distinctionem subjecti, sequeretur, quòd privatio albedinis in pariete, & privatio albedinis in Cygno distinguerentur specie, sed non est ulla necessitas multiplicandi has specificas distinctiones, ergò. Ratio resolutionis quoad secundam partem est: Quia si eadem numero esset privatio albedinis in homine & in Cygno, sequeretur, quòd destructâ privatione albedinis in homine, destrueretur privatio albedinis in Cygno & è contra, sed hoc est falsum, ergò.

VI. *Non datur privatio privationis.*

Quæres 5. An detur privatio privationis, vel negatio negationis? R. absolutè negando: Ratio est multiplex. Nam inprimis si daretur privatio privationis, non esset ratio, quare non daretur privatio peccati in omni subjecto, in quo est forma oppositа, cùm peccatum sit privatio, admisso adhuc autèm isto, fatendum esset in Deo esse privationem peccati, quod est impium & blasphemum, ergò; probatur, quia tunc Deus esset natus aptus habere peccatum, quod impium esse, quis non videt? Deinde sequeretur, alterum contradictionis membrum non posse verificari, de quolibet contra communem omnium sensum. Tertiò Absentiæ non est absentia, nec præsentiæ præsentia; ergò nec privationis est privatio: alioquin procederetur in infinitum, privatio autèm est absentia formæ, seu alicujus positivi; ergò non datur privatio privationis. Quartò, tum quia nemo dicit, me habere privationem negationis visus vel cæcitatis, tum quia ista multiplicatio privationum est omninò superflua, tum deniq; quia duæ negationes faciunt unam affirmationem, ergò.

VII.

Dices: Secundùm modò dicta, hæc propositio est vera, non datur negatio negationis; ergò hæc est vera, datur negatio negationis; probatur consequentia, quia omnis propositio est affirmativo vel negativo, seu affirmativa vel negativa, sed illa est propositio & non affirmatio; ergò negatio, sed non alterius, quàm negatio negationis; ergò datur negatio negationis; probatur mi. quia illa negatio negat dari negationem negationis; ergò ipsa est negatio negationis, & consequentèr datur talis, quia negatio quâ negatur homo, est negatio hominis, & negatio quâ negatur asinus, est negatio asini, & sic de cæteris; ergò negatio quâ negatur negatio negationis, est negatio negationis. Hoc argumentum pomposum est, videturq; gravidum esse, sed parturiunt, montes nascetur ridiculus mus. Unde R. facilitèr, concedendo ant. & distinguendo primum consequens; ergò datur negatio negationis mentalitèr, & dependentèr ab intellectu, in judicio & conceptu mentis, concedo consequentiam, datur negatio negationis extra judicium & conceptum mentis, à parte rei independentèr ab operatione intellectûs, ut vult replica, nego consequentiam. Unde consequentia illa est similis huic, non datur alius Deus; ergò datur alius Deus, vel potiùs sic, non datur negatio Dei; ergò datur negatio Dei.

DISPUTATIO V.
DE UNIONE.

DE Unione in præsenti disputatione agere, exigit non modò necessitas, utpote cùm sine hujus cognitione non satis intelligantur materia & forma, veluti principia in actu secundo cujuscunq; compositi substantialis, sed etiam, quia ipsa licèt non sit principium, ut quod *constitutivum alicujus, est tamen principium* ut quò, *quæ à Divo Aurelio Magno Augustino epist. 174. vocatur* connexio & vinculum naturale, *& enarr. 1. p. Ps. 68.* familiaritas conglutinationis & compaginis: *& exposs. Ps. 130.* unitas consortii: *quare hic etiam de ea tractant Authores communitèr, quos imitandos puto, cum ad declinandum non occurrat ratio, sit igitur*

QUÆSTIO I.
Quid sit unio? & in quo formalitèr consistat?

I. *Ingressus ad quæstionem.* Hæc quæstio jam omne contentiosum forum subterfugit quantum ad hoc, quòd materia & forma intimè conjungi & componi debeant: ad constituendum totum aliquod compositum, contentione tamen longævâ altercatur usq; adhuc, num mediante aliquo vinculo superaddito id contingat? an verò immediatè sine ullo prorsus ligamine? In quâ materia Gregor. Arim. Marsilius, Connimb. Hurtadus, & plures alii, post Occamum existimant, unionem aliud non esse, quàm ipsas res intimè præsentes, & non distantes, adeoq; nihil putant ipsis superaddi. Econtra verò Doctor 2. d. 3. q. 4. Neutristæ post ipsum, & Thomistæ principaliores, cum Scotistis, aliquid superadditum, unionem defendunt. Inter se tamen denuò non conveniunt in assignando, quid nam sit illud, nam Neoterici absolutum esse putant, Scotistæ verò respectivum, & id quidem tale, quod extrinsecùs adveniens appellatur. Antequàm verò hoc resolvam, ad priorem sententiam cum secunda

II. *Datur unio.* Dico 1. *Datur aliquod distinctum à materia & forma, per quod formaliter ipsæ uniuntur.* Ita Communis contra primam sententiam: &

Probatur primò: Authoritate D. Bernardi, Serm. 71. in Cant. ubi ait, ubi eam vocat copulationem, conjunctionem, consensionem, & tandem dicit: *Duas oportere esse ad minùs naturas & essentias, ut sit conjunctio seu unitio.*

Probatur secundò: Quia non potest aliquod prædicatum novum competere alicui de novo, sine aliqua mutatione reali, sed materiæ & formæ competunt de novo prædicata nova, videlicet quòd sint unitæ, quòd sint constituentes; ergò accipiunt etiam aliquam novam formam, sed illud novum non sunt ipsæ entitates materiæ & formæ; ergò est aliquid superadditum: probatur subsumptum: quia si essent ipsæ entitates, deberent manere quàmdiu manent entitates, sed non manent, ergò; probatur, quia si manerent tàmdiu, quàmdiu manent entitates, deberet etiam tàmdiu manere compositum, sed compositum non manet quàm diu sunt entitates, ergò: probatur ma. quia tàmdiu manet compositum, quàmdiu manent partes unitæ, sed hîc manerent partes unitæ, quia esse unitum nihil est præter entitates, quæ in se manent, ergò: probatur etiam mi. superior, quia manet corpus Sancti Francisci, & etiam anima secundùm entitates, sicut etiam plurium aliorum Sanctorum & beatorum, & tamen non manet compositum Sancti Francisci, ergò. Probatur: Quia nullus fit transitus de contradictione in contradictionem, nisi mutatione aliquâ factâ, sed materia & forma transeunt à non unitis ad unita; ergò debet necessariò intercedere aliqua mutatio nova; subsumo, quandocunq; aliquid de novo mutatur, debet se nunc alitèr habere, quàm ante, sed non potest alitèr se habere, nisi ipsi aliquid superaddatur, ergò &c.

Opponitur Authoritas Aristotelis §. III. Meth. t. 15. & 2. de anima t. 2. ubi docet: materiam & formam immediatè uniri, quia sunt per se actus & potentia, ita ut ex ipsis fiat unum per se, sed si unirentur mediante unione superadditâ, non unirentur immediatè, nec fieret ex iis unum per se; ergò non uniuntur mediante unione superadditâ; probatur minor, quia tunc non fit immediatè aliquid, quando aliquid aliud prærequiritur tanquam medium, sed &c. ergò. R. explicando, Aristotelem, videlicet eum aliud non velle, quàm quòd materia & forma uniantur sibi immediatè *ut quod*, non verò *ut quo*, seu quòd nullum medium tale, quod prius informaretur à forma quàm materia, nec aliquid prius recipiatur in materia, quàm forma, ratio autèm uniendi *quo*, non tollit immediationem, ut patet in pluribus aliis actibus, nam ut oculus meus videat objectum aliquod, necessariò debet mediare visio veluti ratio vivendi, & tamen oculus non mediatè, sed immediatè videt.

Instatur: Si unio mediaret inter materiam & formam, tanquam aliquid superadditum, deberet esse prior in materia quàm forma, sed hoc dici nequit, ergò: probatur min. quia unio secundùm dicenda, est respectus, sed omnis respectus debet esse posterior, quàm sint extrema; ergò unio non potest dici prior esse in materia, quàm sit forma, cùm materia & forma sint extrema unionis. R. I. negando ma. quia pro prioritate naturæ forma est prior in materia, quàm sit unio, & pro illo signo forma non est nisi fundamentaliter unita, formalitèr verò per ipsam unionem

pro

pro instanti sequenti, quemadmodum etiam dicimus de distinctione, quòd duo aliqua extrema se ipsis primò sint fundamentaliter distincta, & de duobus albis, quæ primò sunt fundamentaliter similia, formaliter verò per similitudinem superadditam. Verumtamen, quia difficultates non paucæ oriri possunt ex hac distinctione & responsione, si enim sunt fundamentaliter unitæ, non videtur requiri amplius alia aliqua, & si addit illa fundamentalis unio extremis aliquid, duæ erunt uniones diversæ in eodem composito, una fundamentalis & altera formalis, si verò nihil addit, tunc non possunt magis dici unitæ, quàm quando extrema erant separata, cùm tunc essent fundamentaliter unita, id est, formaliter unibilia, propter istas inquam difficultates. R. 2. concessâ ma. negando mi. cum minori probationis suæ, quia universaliter verum non est, quòd relatio debet esse posterior, quam sint sua extrema, ut patet in primis de Relationibus Divinis, in quibus datur priorítas originis inter Patrem & filium, cùm tamen Pater constituatur per relationem ad Filium, deinde etiam in creatis, apud omnes ponitur, quòd actio sit relatio, & tamen actio est prior, quàm sit terminus; Unde videtur mihi posse distingui minor probationis: respectus debet esse posterior, quàm sint extrema, si respectus non sit ratio constitutiva extremorum, concedo mi. si sit ratio constitutiva extremorum sub determinata & particulari ratione & denominatione, nego mi. & consequentiam.

Urgetur: Magis est forma proportionata ad materiam, quàm unio, ergò unio nullo modo poterit esse prior in materia, quàm forma: patet ant. consequentia probatur, quia illud non esse prius in materia, quod non potest facere per se primò unum compositum, sed materia non potest facere unum per se primò compositum cum unione, ergò unio non poterit esse prior in materia. Sed R. dist. ant. magis proportionata est forma ad materiam, quàm unio in ratione extremi, concedo ant. in ratione vinculi & connexionis, nego ant. & dist. similiter consequens & nego consequentiam. Ad probationem respondeo dist. ma. non debet esse prius *ut quod*, concedo, *ut quo*, nego ma.

Replicatur: Unio non est *ut quo* prior in composito, quàm sit alterum extremum, ergò nullo modo esse debet prior; probatur ant. quia datur aliquod compositum, in quo nulla est unio, ergò nequè dici potest prior ibi esse; probatur ant. quia Verbum Divinum dicitur unitum naturæ humanæ, & tamen in ipso nulla est unio, propter suam summam immutabilitatem & infinitatem, ergò. R. negando ant. cum sua probatione, ad Probationem de Verbo Divino R. dist. ant. Verbum Divinum dicitur unitum sine unione reali in Verbo subjectata, transeat ant. ad Ipsum terminatè, nego ant. & consequentiam. Itaquè replica ista convincit, & probat conclusionem nostram, nam si in Verbo Divino debet aliquid admitti, quòd Ipsum terminetur & subjectetur in natura humana, nec aliâs dici possent unita multò magis inter materiam & formam, quæ de se sunt capaces ad respiciendos tales respectus. Nec valet recurrere ad improportionem inter Verbum & naturam humanam, quia ex hac aliud deduci non potest, quàm quòd propter improportionem unio sit futura supernaturalis, in proportionatis verò naturalis.

Dico 2. *Unio non consistit in denominatione uniti; esse in materia cum forma orta ex negatione conjunctionis, cum cæteris formis sine ullo positivo superaddito; neq. in intima præsentia locali, neq. in applicatione tali.* Hæc est contra nonnullos Recentiores; & IV. *Unio in quo consistat.*

Probatur quoad primam partem: Potest Deus materiam exspoliare omni formâ substantiali, eamquè conservare sic exspoliatam, sed in tali casu habet negationem omnis formæ, ergò denominatio uniti orta ex negatione conjunctionis cum cæteris formis, non sufficit, ut dicatur, unita huic vel illi formæ.

Secundò: Quia ex hoc sequeretur, quòd defacto materia prima in me existens esset unita lapidi, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: probatur sequela, quia materia prima mea habet negationem conjunctionis cum forma ligni, canis & arboris, ergò si talis negatio sufficit, sequeretur quòd defacto materia prima mea esset unita formæ lapidi.

Probatur secunda pars: Si unio non esset aliud, quàm indistantia, sequeretur primò, quòd anima rationalis posset se naturaliter reunire corpori, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia Angelus, imò ipsa anima potest se facere intimè præsentem corpori, ergò si unio non est aliud quàm intima præsentia, sequeretur, animam naturaliter posse reuniri corpori, quòd autèm hoc sit conveniens asserere, inde probo: quia alioquin connaturaliter daretur resurrectio, quod adeò tutum non est. Deinde sequeretur, quòd Christus Dominus in utero & nativitate suâ, informâsset uterum beatissimæ suæ Matris Virginis, in Resurrectione sepulchralem lapidem, in ascensione cœlos, sed hæc esse inconvenientia, quis non videt? ergò: probatur tamen sequela, quia Christus Dominus fuit intimè præsens utero Matris suæ, lapidi sepulchri, & cœlis, ergò si unio non est aliud, quàm intima præsentia, sequitur, Christum Dominum iis fuisse Unitum.

Dices: Hoc non sequi, quia Christi Domini materia fuit jam sub alia forma, & forma lapidis, cœlorum, sub alia materia, adeoquè licèt fuerit intimè præsens, non poterat tamen dici, quòd esset iis unitus. Sed Contra primò: Illa negatio conjunctionis cum alia forma, non potest facere, ut aliquid dicatur alteri unitum, ut patet ex prima parte. Contra secundò: Materia Christi poterat uniri formæ uteri, lapidis, & cœlorum, ut patet ex dictis: utpotè cùm sit ejusdem rationis, & omnium formarum capax; ergò si unio non est aliud q: âm V.

indistantia, cùm tunc temporis habuerit indistantiam, habere debuit quoquè unionem. Contra tertiò: Si non fuit Christus unitus lapidi, vel cœlis, sequitur, quòd unio non sit sola indistantia, quod sic probo: quia Christo Domino repugnabat unio, & tamen non repugnabat indistantia, ergò non est indistantia. Ex hinc

VI. **Probatur secundò eadem pars** ad hominem: Quia Authores hujus opinionis vel intelligunt per non distantiam seu intimam præsentiam materiæ & formæ inter se, vel in ordine ad hunc locum; si primum, animam posse naturalitèr resuscitare hominem, sed hoc est inconvenientissimum, nec dicere potest aliquis, id non posse, quia nequit connaturalitèr reproducere corpus, quia pono casum de anima S. Francisci, Catharinæ de Bononia & aliorum plurimorum Sanctorum, quòd se faciant intimè præsentes suis corporibus incorruptis, ergò in tali casu naturalitèr resuscitabunt totum hominem. Vel intelligunt secundum, tunc sequitur, quòd homo toties moriatur, quoties perdit præsentiam localem, & toties iterum revivisçat, quoties denuò acquirit eam, quia toties homo moritur, quoties perdit unionem ad corpus anima, & toties revivisçit, quoties acquirit eandem, sed secundùm ipsos, quoties perdit præsentiam localem, perdit unionem, ergò toties moritur & toties revivisçet, quoties acquiret eam.

VII. *Unio non est modus substantialis.* **Dico 3.** *Unio materiæ & formæ non est quid absolutum substantiale, seu aliquis modus substantialis*: Hoc est contra Recentiores Neotericos.

Probatur primò: Quia posito quocunquè absoluto in materia & forma, non intelligitur materia & forma unita, ergò unio non est quid absolutum substantiale: probatur ant. quia omne absolutum est ad se, sed per hoc quod res sit ad se, non intelligitur unita alteri, ergò posito quocunquè absoluto, non intelligitur materia unita formæ.

Probatur secundò: Quia si unio esset modus substantialis absolutus, materia priùs substantialitèr mutaretur recipiendo in se unionem, quàm mutaretur per formam, sed hoc dici nequit, cùm primò secundùm omnes per formam mutetur, ergò: probatur ma. quia si in materia immediatè ponitur, veluti causalitas quoad esse unitum, tunc certè debet esse prior quàm sit forma, ergò materia priùs mutabitur per unionem, quàm per formam; si verò ponitur ex parte formæ, tunc aliquid inconveniens sequitur, videlicet formam esse subjectum mutationis substantialis, quod in bona Philosophia malè sonorum est; probatur tamen sequela, quia unio per se producitur per veram actionem distinctam ab actione, quâ producitur forma, saltem in generatione hominis, cujus anima à Deo creatur, ut etiam ipsi Adversarii fatentur: ergò si per propriam actionem producitur & in forma recipitur, veluti in subjecto, forma ergò est subjectum mutationis substantialis, quia acquirit in se aliquid substantiale, quod ante non habebat, ergò.

Probatur tertiò: Quia nulla est necessitas statuendi aliquod absolutũ substantiale ad hoc, ut materia & forma uniantur inter se, ergò; probatur ant. quia si esset aliqua maximè ex eo, ut terminet actionem substantialem, vel ad fundandam relationem prædicamentalem unionis, aut ad salvandam, denominationem, quòd sit modus substantialis substantialitèr uniens, sed nulla harum urget, ergò: ma. est certa, nam propter istas rationes communitèr Adversarii ponunt unionem esse quid absolutum substantiale; sed probatur mi. quoad primum, quia actio unitiva non dicitur ideò præcisè substantialis, quasi verò intrinsecè attingat terminum substantialem, sed tantùm extrinsecè, eo quodammodo, quo generatio sumpta pro prævia alteratione dici solet substantialis, nam si per illam actionem unitivam aliqua substantia produceretur, tunc redit incontra probatio secunda, quia vel materia priùs mutaretur per unionem, quàm per formam, vel forma dici debeat subjectum mutationis substantialis: probatur minor eadem, quoad secundam partem, quia materia & forma sine aliquo superaddito habent sufficientem rationem fundandi, ex eo quòd una sit per se potentia, & altera per se actus. Deinde si ad fundandam relationem unionis deberet aliquid substantiale admitti absolutum tanquam ratio fundandi, sequeretur, quòd illud substantiale deberet esse in utroquè extremo, quia qualis ratio fundandi, talis est etiam terminandi, sed hoc est contra Adversarios, quia alioquin deberent admittere duplicem modum substantialem. Nec propter tertium aliquid tale absolutum poni debet, quia unio non ideò dicitur substantialis, quasi verò in entitate sua esset substantia, aut modus substantialis, sed quia unit substantiam unam ad alteram, quemadmodum etiam unio hypostatica dicitur talis, non quòd ipsa sit hypostasis, sed quia est ad hypostasim, & omnis actio dicitur substantialis, quæ substantiam producit, non quòd sit substantia, sed quòd habeat pro termino substantiam. Sed in Contra

Arguitur: Si unio non esset substantia, materia & forma, non unirentur substantialitèr, sed hoc est falsum, ergò. Probatur ma. quia nihil potest uniri substantialitèr per accidens, ergò. R. dist. ma. non unirentur substantialitèr, id est, mediâ aliquâ substantiâ, concedo ma. unirentur substantialitèr, id est, non facerent unam per se substantiam, nego ma. & distinctâ similiter mi. nego consequentiam. Ratio patet ex paulò dictis, quia non dicitur unio substantialis, quòd ipsa intrinsecè, & in entitate sit substantia, sed tantùm extrinsecè, eò quòd pro termino habeat substantiam.

Instatur: Unio debet esse proportionata cum partibus quas unit, sed partes substantiales sunt, ergò etiam unio debet esse talis. R. dist. ma. debet esse proportionata, hoc est sufficiens ad uniendum, concedo ma. debet esse proportionata in entitate, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaquè dicitur unio sufficienter proportionata, ex eo

ex eo, quòd sit ratio formalis uniendi extrema, sicut patet de pluribus aliis, quæ sibi proportionata dicuntur, ex ratione actionis, non ex entitate.

Urgetur: Quæ intrinsecè includuntur in composito cum partibus componentibus, debent proportionari intrinsecè & in entitate, sed unio intrinsecè includitur in composito, ergò. R. concessa ma. dist. mi. unio intrinsecè includitur in composito, tanquam pars intrinsecè constitutiva, nego mi. tanquam vinculum, & nexus necessariò requisitus, concedo mi. & nego consequentiam.

IX. Est accidens extrinsecus advenies. **Dico 4.** *Unio inter materiam & formam est quid accidentale, non tamen absolutum, sed respectivum de genere extrinsecus advenientium.* Hæc in principiis Scotist. communis est. Et

Probatur prima pars ex dictis sufficienter, si etenim non est aliquid substantiale absolutum, sequitur quòd debeat esse quid accidentale, cùm ens primâ sui divisione partiatur in substantiam, & accidens.

Probatur ergò secunda pars 1. Quia si esset aliquod accidens absolutum, vel deberet esse de genere quantitatis, vel de genere qualitatis, sed nullum ex his esse potest, ergò. ma. patet, probatur min. & imprimis quòd non sit quantitas, quia hæc, ut dixi in Logica, non subjectatur in materia nec in forma, sed in composito, ergò non potest esse de genere quantitatis; probatur consequentia, quia unio debet subjectari in materia vel in forma, sed quantitas non subjectatur in his, ergò quantitas non est unio.

Probatur etiam, quòd non possit esse qualitas, quia si esset aliqua qualitas, maximè deberet esse dispositio prævia, hæc nequit esse, ergò. probatur mi. quia dispositiones, quas agens introducit in materiam, ut formam contrariam expellat, recipiuntur in totò composito, ergò adveniente novâ formâ, desinunt illæ dispositiones, ergò unio non est qualitas disponens, quia hæc debet manere cum nova forma.

Probatur secundò: Tum quia materia respicit priùs formam substantialem quàm accidentalem, ergò etiam priùs illi unitur, & consequentèr, unio non potest esse aliquod accidens absolutum: probatur ant. quia priùs & æqualitèr respiciunt se actus & potentia, quæ possunt facere unum per se, quàm cum quibus faciunt unum per accidens, sed &c. ergò: probatur etiam supra prima consequentia, quia actus eo ordine uniuntur materiæ, quo eam respiciunt: sed actus substantialis primò eam respicit, ergò priùs unitur; tum ex dictis supra, ubi docui materiam non recipere formam mediante aliquâ potentiâ superadditâ.

X. **Dices:** Ea quæ sunt priora intentione, sunt posteriora executione, sed actus substantialis est prior intentione materiæ, ergò posterior executione, ergò materia in executione primò recipit formam accidentalem, quàm substantialem. R. dist. ma. si sint ejusdem ordinis & rationis, transeat ma. si non sint, nego ma. Vel aliter si unum sine alio haberi non possit, concedo ma. si unum sit capax alterius absquè alio, nego ma. Itaquè materia & forma sunt ejusdem rationis, & ordinis, ita ad se invicem proportionata, ut nullo indigeant alio medio ad hoc, ut sibi invicem uniantur, adeoq; non tantùm intentione, sed etiam executione forma est prior, quàm quodcunq; accidens.

Probatur tertia pars: Quia illud XI. est respectivum, cujus totum esse est ad aliud se habere, sed esse unionis est ad partes unitas, ergò unio est quid respectivum: ma. patet à sensu contrario, quia illud est absolutum, cujus totum esse est ad se, ergò. probatur mi. quia unio non potest concipi nisi per ordinem ad partes uniendas vel unitas, ergò totum ipsius esse est ad partes, quæ sunt aliquid aliud ab ipsa unione.

Quòd autèm sit relatio extrinsecùs adveniens, etiam probatur, quia illa est relatio extrinsecùs adveniens, quæ positis extremis non necessariò resultat, sed unio positis extremis non necessariò resultat, ergò. probatur mi. quia materia & forma possunt Divinitùs existere in rerum natura, absquè eo quòd sibi uniantur, sed extrema relationum intrinsecùs advenientium non possunt sic existere, quin statim resultaret relatio, ita quidem, ut nec Divinitùs impediri possit, ergò unio non erit relatio intrinsecùs adveniens, & consequentèr, cùm tamen sit ad aliud, erit quid respectivum de genere extrinsecùs advenientium.

Dices: Ad relationem non datur motus, XII. sed ad unionem datur motus, actio scilicet unitiva vel generativa, ut aliqui volunt, ergò unio non est relatio. R. dist. ma. ad relationem non datur motus, si sit relatio intrinsecus adveniens, transeat ma. si sit extrinsecus adveniens, nego ma. & consequentiam. Sed

Quæres: Ad quod nam prædicamentum hæc relatio pertineat? XIII. R. Quòd possit dici, pertinere ad habitum, quia per illam dicitur materia habere formam, & forma haberi à materia, aut considerando eam ex parte materiæ collocari poterit ad Passionem, quia materia ratione ipsius transmutatur & quodammodo patitur: si verò consideretur ex parte formæ, ad actionem statuere valebis, quia ratione illius forma agit in materiam eam transmutando formaliter. Ita habet Doctor 4. d. 12. q. 1. sub C. idem quærens, ubi ait: *quòd unio ex parte subjecti se tenens reduci potest ad prædicamentum passionis, si passio non tantùm dicat respectum ad agens, sed etiam ad formam informantem, unio autem se tenens ex parte formæ, reduci potest ad prædicamentum actionis, si actio non tantùm dicat respectum agentis sed etiam informantis.* Ex qua responsione & verbis Scoti, nova hîc oritur controversia, pro qua sit

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrum inter materiam & formam sufficiat una unio ad hoc, ut dicantur sibi invicem unitæ?

I. *Ratio difficultatis.*

Ratio difficultatis propositæ oritur ex communi loquendi modo, quo materia dici solet unita formæ, & econtra forma dicitur unita materiæ, unde controvertitur, quandoquidem omnis denominatio nova debet oriri à nova forma, an materia sit unita formæ per eandem unionem, quâ forma est unita materiæ, an verò alia poni debeat ex parte materiæ, & alia ex parte formæ. Circa quam materiam Recentiores communiter asserunt, unicam sufficere unionem, ut sunt Suarez, Murica, Arriaga, Ruvius: Antiquiores verò Scholastici post Doctorem & Scotistas, econtra duplicem requirunt unionem à Scotistis, simpliciter tamen recedit Basolius & ex parte Baro, id tamen Scotum docuisse, satis clarè patet ex textu paulò supra allegato, cum quo etiam ad quæstionem resolutivè

II. *Debet admitti duplex unio.*

Dico: *Ad hoc ut materia & forma intrinsecè constituant totum compositum, duplex admittenda est unio, una subjectata in materia, & determinata ad formam: & altera subjectata in forma, & terminata ad materiam.* Hæc est mens Scoti pluribus in locis, & communis Scotist.

Probatur primò: Quandocunquè duo sunt relativa ejusdem denominationis, debent habere in se formam ea determinantem, tàm benè ex uno quàm altero extremo, sed materia & forma in composito denominantur relativè unita, ergò debent ambæ habere formam denominantem; patet ma. Quia omnes relationes primi & secundi modi, quæ fundantur super unum & multum, potentiam activam & passivam, seu actionem & passionem, per hoc distinguuntur à relationibus tertii modi, quòd semper habeant correlationes, ergò: patet etiam minor, qui tàm materia dicitur unita formæ, quàm forma unita materiæ. Confirmatur, quia non est ratio, quare relatio unionis poneretur potiùs in uno extremo & non in alio, ergò cum non sit ulla ratio, debebit poni in utroquè, si non sit ulla implicantia, quemadmodum non est ratio, quare inter duo alba poneretur similitudo, in uno extremo potiùs quàm in alio.

III.

Dices: Disparitatem esse, quia inter duo alba resultat relatio extrinsecùs adveniens, unio verò non est nisi relatio extrinsecùs adveniens, quare major principalis argumenti non valet universaliter; Sed Contra, non est major ratio de una ac altera, ut patet de actione & passione, ubi activo & passivo, de habitu &c. quæ licèt sint relationes extrinsecùs advenientes, adhuc tamen fundant suas correlationes, nec dicas quòd non sit ratio fundandi in utroquè extremo in relationibus extrinsecùs advenientibus, quia certè quemadmodum habent duo alba rationem fundandi similitudinem, aut actio & passio: ita habet materia & forma, scilicet quòd una sit per se potentia & altera per se actus, & quamvis agens extrinsecum concurrat, hoc non impedit, quia etiam in actione & passione, seu in relationibus fundatis super actionem & passionem concurrit agens extrinsecum, & per hoc tamen non spoliatus potentia generativa suâ ratione fundandi relationem, ergò nec debet spoliari materia, vel forma per agens extrinsecum.

IV.

Probatur Conclusio secundò: Si materia & forma unica tantùm unione unirentur ad se invicem, sequeretur, quòd si illa subjectetur in materia, quòd forma informaret materiam & constitueret compositum absquè ulla sui mutatione, sed hoc est inconveniens, ergò & illud ex quo sequitur: probatur sequela, quia tunc solummodò terminaret respectum materiæ unionis, sed taliter terminare respectum non est mutari, ergò forma informaret constitueretquè compositum sine ulla mutatione: probatur mi. quia alioquin Verbum Divinum, quod terminat unionem hypostaticam, mutaretur, quia illud terminat unionem subjectatam in natura humana, ergò sic terminare non est mutari; quod si verò dicatur unio subjectari in forma, eadem redit difficultas: quia tunc componit aliquod totum absq; sui mutatione.

V.

Dices: Formam sufficienter mutari per hoc, quòd de novo accipiat esse, quale ante non habebat, quod in Verbo Divino non contingit, quia licèt illud terminet unionem tantùm, non tamen de novo accipit esse. Sed Contra hinc sequeretur, quòd si Deus materiam quæ fuit sub speciebus Eucharisticis, reproduceret, quòd illa accidentia reunirentur materiæ, absquè ulla mutatione, cùm antèà præextitissent, item quòd in resurrectione universali, anima absquè mutatione sui reuniretur corpori, quæ omnia nullius sunt momenti.

VI.

Probatur Conclusio tertiò: Quando materia & forma concurrunt ad constituendum aliquod compositum, tunc perficiuntur ambæ, sed nullam accipere possunt perfectionem, nisi aliquid ambæ acquirant conjunctæ, quod non habebant separatæ, ergò aliquid acquirunt per quod perficiuntur; subsumo: sed hoc aliud esse nequit quàm unio in utroquè subjectata, ergò tam benè forma, quàm materia in constitutione totius acquirit novam unionem: probatur subsumptum, quia talis perfectio non potest haberi ex sola terminatione, ergò: probatur ant. quia omnis perfectio fit ex aliqua additione, sed terminatio sola nulla est additio perfectionis, ergò; probatur mi. quia Verbum Divinum terminat unionem naturæ humanæ & tamen per eam non perficitur, item visio, intellectio, terminantur ad objectum, & tamen per talem terminationem objecta non perficiunt, ergò terminatio sola nullam addit perfectionem, & consequenter si partes perficiuntur per unionem, unio debebit in ipsis subjectari, & non tantùm terminari ad eas. Sed adducendo principalissimum argumentum contrariæ sententiæ in contra

VII. *Argumentum principale contrariæ sententiæ.*

Arguitur: Unio est essentialiter duorum vinculum & nexus, ergò ut materia & forma

forma dicantur unitæ sufficit unica unio, ant. patet, quia nihil unit seipsum, ergò unio debet esse ad minus duorum: probatur consequentia: Quia si materia est conjuncta formæ, forma necessariò debet esse conjuncta materiæ, ergò ut materia dicatur unita formæ, & forma materiæ, sufficit unica unio. Resp. 1. dist. consequens, ergò ut materia & forma dicantur unitæ, per modum subjecti, nego consequentiam, ita ut materia per modum subjecti, & forma per modum termini, vel ècontra, nego consequentiam, unde quamvis unio una sufficiat, ut una pars uniatur per modum subjecti, & altera per modum termini, quia tamen modus uniendi terminativè est valdè extrinsecùs, & cùm non sit ratio, cur in uno potiùs sit per modum subjecti, seu subjectivè & in altera terminativè; ideò potiùs dicendum est, quòd tàm benè in materia, quàm forma sit unio subjectivè, cùm æquè benè una, & altera sit capax. Et per hoc Resp. 2. negando consequentiam cum consequentia probationis, quia ex hoc, quòd unio sit inter aliqua duo, necessariò non licèt inferri, quòd non debeat in composito substantiali admitti duplex unio, quemadmodum non potest esse similitudo nisi inter duo: per hoc tamen nemo dicit, quòd una tantùm sit similitudo inter duo alba, similiter non potest esse æqualitalitas nisi inter duo, & tamen omnes admittunt inter duo extrema duplicem æqualitatem, ergò à pari dicendum est de materia & forma, cùm æquè sint capaces.

Instatur: Non potest concipi positâ unicâ unione in materia sola, quin forma intelligatur unita, ergò nulla est prorsus ratio multiplicandi unionem. R. concesso ante: negando consequentiam, ratio est, quia hoc non provenit ex ratione unionis præcisè, sed ex eo, quòd istæ duæ uniones sint sibi correlativæ, quarum est ut ad se invicem mutuò referantur. Sed

Urgetur: Si Deus positâ unicâ unione inter materiam & formam suspenderet & impediret aliam, quod facere videtur omnino posse, cùm sit extrinsecùs adveniens: in tali casu compositum verè esset constitutum, & partes verè inter se unitæ, sed tùnc esset tantùm unio, ergò. R. Quòd in tali casu (de quo valdè dubito, imò quem simplicitèr nego, quia positâ unâ relatione etiam extrinsecùs adveniente, necessariò ponitur sua correlatio, si talem habeat,) partes verè essent inter se unitæ: una tamen intrinsecè & altera extrinsecè seu terminativè. Sed

Arguitur 2. In Christo Domino natura humana verè & intrinsecè est unita Verbo Divino, sed in Christo unica tantùm est unio, ergò etiam in omni alio composito unica sufficit: probatur mi. quia in Verbo Divino nulla recipi potest unio propter summam immutabilitatem, ergò est tantùm in natura humana, quæ ad Verbum Divinum terminatur. Resp. negando consequentiam, quia à supernaturalibus ad naturalia nulla est consequentia, quemadmodum etiam nec à particulari ad universalia, Ratio disparitas est, tum quia Verbum Divinum est incapax novæ relationis, non sic materia & forma: tum quia Verbum Divinum, & natura humana uniuntur, ut suppositum & natura, non verò ut materia & forma, adeoquè quia suppositum se habet per modum termini in ipso, non debet subjectari unio.

Instatur: Non modò in supernaturalibus, sed etiam in naturalibus unum glutten unit duas tabulas, unus funis duo ligna, ergò etiam unica unio materiam & formam simul. R. negando consequentiam: Quia glutten & funis mediant inter partes unitas, ut quid absolutum, quod non petit subjectari, sed tantùm intercedere inter partes, nec exigit aliquod correlativum; unio verò ècontra sic exigit, adeoquè non est paritas. Plura solent à nonnullis comportari argumenta, sed omnia per dicta solvi possunt.

QUÆSTIO III.

An unio partium sit de essentia totius?

IX. **Potissima** controversia circa præsentem quæstionem est cum Neotericis, Aversa, Amico, Ruvio, Hurtado, Arriaga, &c. qui omnes unamitèr defendunt & propugnant, unionem essentialitèr includi in toto composito, Scotus tamen ècontra 3. d. 2. q. 2. & alibi, & post eum Scotistæ asserunt, unionem quidem requiri ad constituendum totum compositum, non tamen tanquam partem, vel etiam essentialitèr, sed veluti conditionem necessariò & simplicitèr requisitam, cum quibus resolutivè

X. **Dico:** *Unio non includitur essentialitèr in composito, seu non est de essentia totius.* Ita, præter Doctorem & suos D. Thomas 4. d. 44. q. 1. a. 1. & *Unio non est de essentia compositi.*

Probatur primò: Nulla relatio quæcunquè illa sit, sive transcendentalis, sive prædicamentalis, includitur essentialitèr in aliquo absoluto, sed unio est relatio, ut dictum est supra, ergò non includitur essentialitèr in toto: probatur ma. quia si aliqua relatio includeretur essentialitèr in aliquo absoluto, illud esset ad se, & non esset; esset, quia est quid absolutum, non esset verò, quia essentialitèr includeret rationem, ergò.

XI. **Dices:** Eo modo dici potest, nec materiam nec formam esse de essentia compositi, quia ipsæ æquè includunt relationem ad minùs transcendentalem, ergò vel dicendum, unionem etiam tanquam relationem posse includi in toto composito, vel quòd nec materia nec forma sic includantur. Sed R. negando ant. quia licèt materia & forma includant relationes transcendentales, ipsæ tamen non sunt relationes, quemadmodum est unio; Deinde materia & forma illas relationes includunt in secundo dicendi modo, non verò in primo, in

hoc enim sunt simpliciter absolutæ, unio verò secundùm se totam nihil aliud importat quàm relationem, cùm sit in recto talis.

XII. **Probatur Conclusio secundò:** Secundum Aristotelem & communiter receptam doctrinam, Principia rerum naturalium in facto esse non sunt nisi duo, sed si unio includeretur essentialiter in toto, tunc essent tria, ergò unio non includitur essentialiter: probatur mi. quia illud est verè principium in facto esse ex quo fit & subsistit compositum, sed ex unione fit compositum, ergò esset verè principium, & consequenter essent tria. Confirmatur, quia etiamsi includeretur tantùm veluti pars integralis, esset adhuc pars essentialis: quia omnis pars integralis est aliquid partis essentialis, quia digitus, verbi gratiâ, licèt sit tantum pars integralis, est tamen aliquid partis essentialis, scilicet corporis.

XIII. **Dices:** Unionem quidem concurrere essentialiter ad constituendum totum compositum, non *ut quod*, sed *ut quo*, & consequenter non habet rationem principii novi, quod debet concurrere ut quod, non verò ut quo. Sed Contra, quia vel intelligunt Adversarii per partem essentialem *ut quo* tanquam necessariam connexionem, & conditionem simpliciter requisitam, vel non? si non, sed aliquid distinctum stat argumentum; si primum, ergò conveniunt nobiscum: nam etiam Scotistæ licèt dicant unionem esse extra essentiam compositi, adhuc tamen eam requirunt veluti conditionem necessariam.

Probatur Conclusio tertiò: Tùm quia si fieret aliquod compositum absquè unione, illud esset ejusdem rationis cum illo, quod fieret cum unione, ergò unio non est pars essentialis; probatur ant. quia si fieret domus absquè cæmento, ex puris & sectis lapidibus, esset ejusdem rationis, quia haberet omnes planè effectus quos haberet, si fieret cum cæmento, ergò compositum ex unione, & sine unione sunt ejusdem rationis, & consequenter unio non ingreditur essentialiter compositum: tum quia omne compositum debet variari ex iis quæ essentialiter illud ingrediuntur, sed compositum non variatur ex unione, ergò non ingreditur essentialiter: patet ma. probatur mi. quia secundùm aliquos unio est quid absolutum, secundùm alios aliquid substantiale, alios accidentale, & secundùm plures quid respectivum, sed licèt varietur toties unio apud ipsos, idem tamen semper est compositum, verbi gratiâ, idem lignum, idem lapis, idem homo, ergo unio non ingreditur essentialiter, alioquin deberet compositum variari secundum variationem quæ essentialiter ingrediuntur.

XIV. **Dices:** Unionem non constitui in allegatis simul sumptis, vel successivè & indifferenter, ab omnibus, sed unum aliquid, quod semper est ejusdem rationis, si tamen unio esset diversæ rationis, esset quoquè compositum diversum, ut patet de composito per se, & composito per accidens, quod non variatur penes partes, sed tantùm penes uniones: nam si anima uniatur ad corpus, fit totum per se, si tantùm localiter fiat præsens, est totum per accidens, ergò totum compositum omninò variatur ex variatione unionis. R. 1. Compositum per se, & compositum per accidens, non distingui per unionem, sed per tertiam entitatem, quæ non resultat in toto per accidens. R. 2. totum compositum per se, & per accidens, distingui per unionem reduplicativè transeat, specificativè nego, quia in entitate non distinguuntur. Sed

Arguitur Incontra directè: Non potest compositum concipi sine unione, magis quàm album sine albedine, aut animatum sine anima, ergò si albedo est de essentia albi, & anima animati, ita etiam unio erit de essentia compositi. R. 1. Quod si argumentum valeret, probaret etiam, quòd unio sit pars compositi, quemadmodum anima est pars animati, quòd si esset pars, esset etiam principium, & sic darentur tria principia in facto esse. R. 2. negando consequentiam: Quia etiam non potest intelligi relatio sine extremis, & tamen extrema non sunt de essentia relationis, & sic de pluribus aliis relativis & connotativis, quòd autèm compositum nequeat concipi sine unione, hoc inde provenit, quia unio est conditio necessariò requisita, non verò quòd essentialiter compositum ingrediatur, quemadmodum ignis non potest intelligi comburere sine applicatione, & tamen applicatio non ingreditur essentialiter combustionem.

Instatur: Illud essentialiter ingreditur, quod est de essentia, sed unio est de essentia compositi, ergò essentialiter ingreditur, probatur mi. unio est compositio, sed compositio est de essentia compositi, ergò etiam unio est de essentia: probatur ma. quia unitum & compositum sunt formaliter idem, ergò etiam unio & compositio R. negando mi. cujus probationis ma. dist. Unio est compositio activa transeat, passiva nego ma. & dist. etiam mi. compositio est de essentia compositi formaliter sumpti, in quantum videlicet subjacet denominationi relativæ, concedo mi. quia sic etiam relatio de essentia relativi formaliter sumpti, paternitas, verbi gratiâ, Patris relativè sumpti. Compositio est de essentia compositi materialiter sumpti, nego min. quia sic Paternitas non est de essentia Patris, ut est hic Petrus vel Paulus: ad probationem majoris R. negando eam, nam unitum & compositum, non sunt formaliter idem propriè loquendo, quia materia & forma denominantur unitæ, & tamen non possunt dici compositæ, sed componentes, unitum ergò est illud, quod copulatur & adnectitur alteri, compositum verò non adnectitur alteri, adeoquè dici nequit unitum, & sic nego quod; ultimam consequentiam.

DISPUTATIO VI.
DE TOTO, Seu, COMPOSITO.

OMnia, quæ hactenus dixi, ordinata fuerunt ad constituendum, & intelligendum totum compositum, quod ex principiis rerum naturalium fit, ideoq; non abs re erit, illud magis particulariter, & secundum præcisam rationem totius examinare. Sit igitur

QUÆSTIO I.

An totum compositum substantiale distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

I. *Opposita ad conclusionem.*

Celeberrima hæc quæstio Authorem habuit subtilem, cujus dicta aliqui impugnare conantur & explodere, solùm, quia ejus sunt, non quia impugnatione digna sunt, invidiâ ad id stimulante; alii è contra affectibus nimiùm indulgentes, ita ejus dicta quæcunquè reperta, & magis obvia tuentur & propugnant, tanquam de mente ejus, ut eam assequi conentur & demonstrent, quid potiùs voluerit, quàm quid verè docuerit, prout hac in controversia contingit: nam unanimiter quodammodò omnes Scotistæ cum nonnullis Thomistis putant, Scotum voluisse docere, quòd totum distinguatur realitèr à suis partibus, simul sumptis & unitis, cùm tamen absolutè problematicus fuerit in hac materia. Unde etiam in utramquè disputabo, ultimo tamen communi subscribendo, quare pro nunc

II. *Totum compositum distinguitur à partibus.*

Dico 1. *Totum Compositum substantiale distinguitur realiter a singulis suis partibus.* Hæc est communis etiam inter Scotistas, &

Probatur: Quia illa distinguuntur realitèr, quæ à se invicem separari possunt, ita ut unum existere valeat, non existente altero, sed singulæ partes possunt separari à toto & existere, non existente toto: ergò singulæ partes distinguuntur à toto; patet ma. probatur minor, quia manet & existit materia, non existente formâ, aut composito: ut patet in homine, cujus manent partes, absquè eo, quòd maneat totum. Confirmatur, tum quia compositum plus includit, quàm unam partem singulam, nam totum præter materiam includit etiam formam, & præter formam includit etiam materiam: tum, quia nihil potest esse majus seipso, sed totum debet esse majus quâlibet suâ parte, ergò totum non sunt partes singulæ & consequentèr realitèr distinguentur.

III. *Non ab omnibus sed ab unitis specificativè.*

Dico 2. *Totum compositum substantiale distinguitur realiter etiam ab omnibus, secundùm se specificativè consideratis, non verò ut sunt unitæ.* Hæc etiam est communis: Et

Probatur primò: Quia totum, etiam ut unitum, specificativè dicit aliquid, quod non dicunt omnes partes, ergò totum specificative consideratum distinguitur à suis partibus. Probatur ant. quia dicit unionem, adeoquè dicit aliquid, quod non dicunt partes.

Probatur secundò: Quia toti composito, specificativè considerato, competunt operationes, quæ non competunt singulis partibus, nequè ambabus non conjunctis, sed illa, quibus competunt distinctæ operationes, debent etiam in se esse distincta, ergò: probatur ma. Quia homini competit ridere, flere &c. quod non competit nec animæ soli, nec corpori soli, ergò totum distinguitur à suis partibus omnibus.

IV. *Prima pars problematis, asserens non distingui.*

Dico 3. Potest ex mente Scoti sustineri, & etiam aliàs probabilitèr defendi, *quòd totũ compositum substantiale non distinguatur a partibus suis simul sumptis, & unitis realiter; sed totum nihil aliud est, quam ipsæ partes unitæ.* Hæc est D. Thomæ I. p. q. 11. a. 2. & alibi, Thomistarum Nom. & Neut. contra Scotistas plurimos.

Probatur prima pars: nam 1. Physicorum q. 9. n. 3. & 4. ait Scotus: *Nunc ponitur ista Conclusio, Totum est suæ partes, ita quòd omnes partes simul sumptæ sint ipsum totum.* Item 8. Meta. Physices q. 4. ad objectionem respondens dicit: *Quando ergò arguitur, in composito est aliud præter ipsa, si intelligatur aliquid, id est aliquis respectus &c. non potest negari consequentia, nec consequens est inconveniens; si autem intelligatur aliquid, id est aliqua essentia absoluta, vel in composito ut pars essentialis ejus, neutrum sequeretur*, ubi expresse in composito nihil aliud admittit præter partes, nisi aliquem respectum, id est unionem, & negat ibi esse aliquid absolutum. Et ita Scotum sensisse, defendunt solemnissimi Scotistæ, ut Aretinus Cavellus, licèt hic antecedentèr sit problematicus, Alphonsus, Brissenus, Meurisse, Baro &c.

Probatur Conclusio secundò, Authoritate Sanctorum Patrum: D. Aug. 3. Trinit. cap. 4. ubi ait: *Homo nihil aliud est, quam anima & corpus.* D. Bernardi sermone 81. ubi hæc habet: *Neq; enim unum simplex est quæq; harum* (supple substantiarum, de quibus ibi facit mentionem) *sed ex pluribus constans, & propterea non redigitur in nihilum, sed dissilit in partes*, sed si compositam aliquam substantiam absolutam includeret, præter materiam, formam & unionem, substantia quælibet in corruptione redigeretur in nihilum, quia in morte cujuslibet viventis desinit, & destruitur totum illud compositum secundùm se, ergò compositum, cùm secundùm D. Bernardum non redigatur in nihilum,

hilum, sed disiliat tantùm in suas partes, nihil aliud includit, præter partes unitas. Confirmatur ex D. Dionysio cap. 4. de Cœlesti Hierarchia, ubi ait: *Mortem in nobis nihil aliud esse, quàm unitorum separationem, & non substantiæ consumptionem*, sed si compositum includeret aliquid absolutum præter partes, in morte illud totum consumeretur, & non tantummodò partes separarentur. Adde Boëthium, qui 3. Trinit. dicit: *Totum omne esse partes suas conjunctas.* Confirmatur secundò: Ex D. Damasceni vulgato & communitèr recepto: *Verbum Divinum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, sed si in homine daretur aliqua tertia entitas à partibus simul sumptis & unitis, distincta, Verbum Divinum, quod semel assumpsit, dimisisset, ergò non datur: probatur mi. quia in triduo mortis Christi non fuit illa tertia entitas, ergò dimisit illam, quam tamen suppono, quòd semel assumserit; alioquin esset in natura humana aliquid, quod non fuisset assumptum, nec consequentèr curatum, ut dicunt Theologi communitèr. Nec dicere valet, Axioma illud commune intelligendum esse de partibus principalibus, anima scilicet & corpore, quòd ex iis nulla fuerit unquam dimissa: Quia si nulla pars debuit unquam dimitti à Verbo, ergò nequè totum, & quamvis verum sit, quòd humanitas fuerit dimissa, hoc tamen salvatur per dimissionem solius unionis, non per dimissionem alicujus totius absoluti: nam partes absolutas, ut animam & corpus, nunquam dimisit, ergò potiùs dicendum, quòd compositum nihil absolutum superadditum sit partibus simul sumptis & unitis.

V. **Probatur Conclusio tertiò:** Authoritate Aristotelis. 4. Physicorum cap. 4. t. 23. ubi ait: *Non enim à partibus diversum est totum.* Habet & alibi his similia ut 2. An. t. 7. & t. 10. sed quoad 2. p.

VI. **Probatur Conclusio:** Rationibus duabus ex Doctore subtili desumptis. 1. Phys. suorum suprà. Si totum distingueretur à suis partibus simul sumptis & unitis, sequeretur, quòd si ab aliquo toto ponderante unam tantummodò libram, pondus unius libræ auferatur, quòd tamen adhuc tantum ponderaret, quantum antè, sed hoc est ridiculum dicere, ergò: probatur sequela ma. quia si illud totum deponderat unam libram, ergò quælibet pars ponderabat dimidiam libram, si ergò totum illud dividatur, tunc corrumpitur, secundùm Adversarios, & tamen illæ medietates tantùm ponderant quantum priùs, ergò sequeretur, quòd si à toto ponderante unam libram auferatur pondus unius libræ, per ablationem totius, quod tantum adhuc ponderabit, quantum antè; quòd autèm hoc falsum sit, & non modò ridiculum, hinc patet, quia alioquin contra hypothesin ponderâsset antecedentèr duas liberas.

Secundò sequeretur, quòd per solam divisionem aliqua substantia corrumperetur, sed hoc est falsum, quia tunc, si divideretur una portio materiæ primæ, corrumperetur materia prima: sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela, quia per solam divisionem corrumpitur illud totum distinctum à suis partibus, sed illud totum est substantia, ergò: probatur etiam minor, quòd scilicet hoc sit falsum: quia materia de se terminativè est incorruptibilis, quemadmodum etiam est ingenerabilis. Hæc ex Doctore non quidem præcisè in terminis. Sed

Probatur tertiò: Illa tota entitas realitèr distincta à suis partibus simul sumptis & unitis, quatenùs realitèr distincta, deberet esse vel simplex, vel composita, sed neutrum dici potest, ergò nulla datur; probatur mi. quia non potest dici simplex; quia hìc quærimus, an compositum distinguatur à suis partibus, si ergò est compositum, sequitur jam, quòd non possit esse simplex; nec potest esse etiam compositum, quia omne compositum debet esse constitutum ex partibus intrinsecè componentibus: sed hæc entitas non potest esse composita ex talibus partibus, quia ab eis est realitèr distincta, si autèm dicatur, quòd sit constitutum ex aliis partibus, quæ per partes Physicas causatæ sunt, tunc arguo sic: Illæ partes iterùm veram habent causalitatem actûs & potentiæ, tàm benè sicut primæ, ergò si primæ causârunt tertiam entitatem, etiam eam causabunt secundæ, quæ similitèr erit composita ex partibus: & sic iterum aliam entitatem causare poterunt usquè in infinitum, ad quod cavendum consultiùs dicitur, totum illud non esse distinctum à partibus simul sumptis & unitis. Si verò dicatur, quòd sit constitutum ex primis partibus, sequitur, quòd partes sint de essentia ejus, nihil autèm essentiale distinguitur ab eo, cujus est essentia, nec valet recurrere ad essentialia Physica & Metaphysica: nam sicut ea, quæ sunt de essentia Metaphysica alicujus, non distinguuntur ab eo, cujus sunt de essentia Metaphysica, ita quæ sunt de essentia Physica, alicujus, non debent ab eo distingui cujus sunt de essentia. VII.

Probatur quartò: Omne absolutum prius alio, & ab eo realitèr distincto, potest esse sine posteriori aliquo absoluto, sed partes simul sumptæ & unitæ, sunt quid absolutum, ergò possunt esse sine toto: ma. est doctrina Scoti quodl. 3. & 2. d. 1. q. 4. minor est etiam certa, sequitur, consequentiam esse optimam; cùm tamen nec Divinitùs totum separari possit à partibus simul sumptis & unitis, aut partes simul sumptæ & unitæ sine toto. VIII.

Dices: Relationes etiam non possunt esse sine subjecto & suis relativis, & adhuc tamen realitèr distinguuntur, ergò licèt partes illæ, & totum non sint separabiles, non sequitur adhuc, quò minùs realitèr distinguantur. Sed Contrà, licèt relationes non possint esse sine extremis, possunt tamen esse sine relationibus extrema, totum autèm nequit esse sine partibus, nec etiam partes simul sumptæ & unitæ queunt esse sine toto, & per hoc solvitur etiam alia responsio, quòd sit propter essentialem dependentiam: nam licèt totum dependeat à partibus, non tamen dependent partes à toto. IX.

Insta-

Instabis: Hanc dependentiam esse particularem, scilicet causantis & causati actualiter, adeoq; nec partes possunt esse sine toto, nec totum sine partibus unitis: Sed Contrà, Astra veros & plurimos effectus producunt in sublunaribus, sed astra sunt separata, & loco distinctissima à suis effectibus; ergò, licèt materia & forma, ut unitæ, causent totum, adhuc poterunt separari.

Urgebis: Materiam & formam esse causas intrinsecas, non verò extrinsecas, adeoq; licèt causæ extrinsecæ possint separari loco ab effectibus, non possunt tamen intrinsecæ. Verùm in Contrà: Quamvis verum sit in re materiam & formam esse causas intrinsecas, attamen hoc non potest esse verum in sententia distinguentium totum à partibus, quia illæ non sunt causæ intrinsecæ, quæ causant aliquod à se realiter distinctum, sed partes unitæ, secundùm ipsos, causant aliquid realitèr distinctum ab ipsis; ergò non possunt dici causæ intrinsecæ, cùm ideò dicantur tales, quia sunt aliquid totius compositi, hìc autèm nihil essent, quia quæ realitèr distinguuntur, unum non potest esse aliquid alterius, ma. autèm probatur, quia ideò causa efficiens dicitur extrinseca, quia causat aliquod esse realitèr distinctum, sed materia & forma, ut unitæ etiam, causant aliquod realitèr distinctum; ergò sunt causæ extrinsecæ, quod nequaquam dici potest. Sed

Probatur Conclusio quintò: Sequeretur, quòd definitio Physica non exprimeret essentiam ejus, cujus esset definitio, verbi gratiâ, hæc definitio hominis: *Homo est aliquid constans ex corpore & anima rationali unitis*, sed hoc est inconvenientissimum; quandoquidem data definitio, secundùm Physicalia, sit optima, ergò: probatur sequela: quia definitio Physica est illa, quæ traditur per partes Physicas, sed partes Physicæ non ingrediuntur essentiam rei, & totius compositi definiti, verbi gratiâ, corpus & anima, non ingrediuntur essentiam hominis, qui est aliqua tertia entitas realitèr distincta à corpore & anima.

Probatur sextò: Omne compositum & totum, quod defacto datur, debet esse creatum vel productum actione generativâ, sed tertia illa entitas non est aliquid productum creatione, nec etiam actione generativâ; ergò nihil est, ma. patet: quia si non acciperet ab alio esse, & tamen esset, existeret à se, & sic esset Deus; probatur mi. non crearetur, quia secundùm Adversarios produceretur à materia & forma unitis, quæ creare non possunt, cùm hoc sit attributum soli Deo conveniens: nec etiam produceretur, quia omnis actio generativa debet fieri dependentèr à subjecto, ex quo educitur forma, sed hic nullum esset tale subjectum, nec forma: cùm totum non sit forma; ergò nec posset produci actione generativâ.

Probatur septimò: Si totum distingueretur à suis partibus simul sumptis & unitis, verbi gratiâ, homo à corpore & anima, sequeretur, quod in homine deberet admitti duplex intellectus, & duplex voluntas, atq; duplex rationalitas: sed hoc est inconvenientissimum, & omninò arduum ac difficile, ergò: probatur sequela, quia illud compositum homo, prout dicit tertiam entitatem est rationalis, intellectivus & volitivus, sed non est rationalis & intellectivus, per intellectum & rationalitatem animæ; ergò per aliam: & consequentèr est in homine duplex rationalitas, & duplex intellectus & voluntas: probatur etiam minor principalis primò, quia hinc sequeretur, Deum esse injustum Judicem, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: probatur sequela: Ille est injustus Judex, qui innocentem punit, & reum dimittit, sed hoc faceret Deus, ergò: probatur mi. Quia si Titius toto tempore vitæ pessimè viveret, & in omne scelus rueret, ita ut ultimo instanti, de mortalibus doleret, venialium planè oblitus, sequeretur, quòd Titius absq; ulla satisfactione de reatu mortalium, & absq; ulla pœna de venialibus vitam consequeretur æternam, dummodò anima in purgatorio luisset sufficientèr, sed hoc est reum dimittere, & Innocentem condemnare; ergò DEUS esset instustus Judex. Probatur, quia Titius separatione factâ partium amplius non est, usq; dum iterum in ultimo Judicio resurrectio fiet, ergò Titius consequeretur vitam æternam absq; eo, quòd doleret & satisfaceret: probatur etiam mi. quia anima non peccavit, sed peccavit tantùm Titius, ergo: probatur ant. Nemo peccat per voluntatem, aut rationalitatem à se realitèr distinctam, sed per suam identificatam sibi, sed voluntas & rationalitas animæ est realitèr distincta à voluntate & rationalitate Titii; ergò anima non peccavit, sed tantùm Titius, & consequentèr, si Deus pœnis purgatorii animam ejus puniret, & ipsum non, nec ejus rationalitatem & voluntatem, sequeretur, quòd innocentem condemnaret, & reum dimitteret. Nec dicere valet, omnia peccata attribui animæ, quia est causa principalis constituens totum, quia si constituit & componit totum est aliquid totius, sicut est aliquid corporis caput, quia cum aliis membris componit; deinde, ex hoc, quòd anima sit pars principalis causans totum, non poterit dici, quòd ipsi deberent adscribi omnia peccata, omnesq; actiones, tum, quia alioquin cogerentur Scotistæ concedere, quòd actiones & motus fiant à generante, tum, quia nullus parens, licèt verè causet filium, dicitur peccare peccante filio, ex eo, quòd sit causa ejus, alioquin necesse esset, Deum facere peccatorem, qui est causa immediata & primaria omnium hominum.

Probatur minor, principalis argumenti secundò: Quia sequeretur, quòd intellectus, & voluntas hominis sit corruptibilis, sed hoc dici nequit, ergò; Probatur minor, quia intellectus hominis, ut distinctus ab intellectu animæ, vel est materialis, vel spiritualis, si materialis, certum est, quòd quidquid est materiale, sit corruptibile: cùm materia sit principium corruptionis, ut patet de cœlis, qui vel ideò corruptibiles dicuntur, quia materiâ constant, si verò est spiritualis, etiam corrumpitur, quando corrumpitur totum, desinente etenim subjecto, passiones quoq; desinere necesse est: sed hoc est inconvenientissimũ, quia nullum spirituale potest connaturaliter corrumpi, sed intellectus esset spiritualis; ergò non posset cor-

rumpi; probatur ma. quia nullum ens spirituale habet contrarium, sed nihil corrumpitur, nisi per suum contrarium, ergò.

Probatur minor eadem tertiò: Quia nullum agens creatum potest defactò producere aliquid spirituale, sed intellectus hominis, etiam ut distincti à partibus simul sumptis, est spiritualis, quia intellectivus supra se reflexivus spiritualium perceptivus, &c. ergò non potest aliquod creatum producere ipsum. Probatur ma. quia Angeli nec possiunt id facere, & omnia spiritualia fiunt independenter à subjecto, nullum autem agens creatum potest operari independenter à subjecto, deinde si intellectus hominis produceretur ab aliqua causa, illa deberet esse animæ: sed hæc nequit intellectum producere, ergò: probatur mi. Intellectus hominis est perfectior, quàm sit animæ intellectus, quia totum est perfectius, quàm sit pars; ergò intellectus totius perfectior est, quàm intellectus partis, sed nullum imperfectius potest producere aliquod perfectius. Verùm contra

XIII. *Opponitur & solvitur Arist.*

Opponitur: Authoritas Aristotelis pluribus in locis & inprimis 2. *Anima cap. 2. dividit substantiam in materiam, formam & compositum, tanquam substantias distinctas*, unde 6. Met. t. 60. declarat se inquiens: compositum non esse elementa, ex quibus componitur, quod exemplificat in syllaba *Ba*, quæ non est *b* & *a*, sed aliquid diversum, & unum nempe *ba*. Item 5. Metaph. dicit, quòd *bis tria* non sint *sex*, nec *sex bis tria*, sed *sex* sunt semel *sex*; ergò ex mente Aristotelis totum compositum distinguitur à suis partibus simul sumptis & unitis. Ad has Authoritates variè respondetur; Attamen facilè mihi videtur responderi posse ad omnes, Aristotelem videlicet aliud non velle, quàm quòd totum distinguatur ab omnibus partibus seorsim & singillatim acceptis quòd si verò quis velit, eum docere, totum esse aliud ab omnibus partibus simul sumptis, tunc etiam possum permittere, quia nondum est contra conclusionem, quia aliud est, quòd sit quid distinctum ab omnibus partibus, aliud quòd sit quid distinctum ab omnibus etiam ut unitis reduplicativè. Verùmtamen adhuc particularitèr respondeo ad singulas, & primam dico, quòd Aristoteles dividat substantiam in materiam & formam, ac compositum in se præcisè considerata esse distincta, non verò ut unita: quod patet ex exemplo, quod affert, certum enim est, quod syllaba *Ba*, non sit aliud, quàm *b* & *a* conjunctim, quàmvis aliquid diversum sit à *b* & *a* divisim, & secundum se consideratis, imò potest dici, quod syllaba *Ba* non sit *a* & *b* inverso modo sumpto. Ad alteram authoritatem dico, quòd omninò benè & conformitèr doceat ad priora, *sex* non esse *bis tria*, quia cùm antè dixerit, numerum per quamcunq; additionem variari specie, benè nunc dicit, bis tria non esse sex, quia sicut ex nullis duabus speciebus potest fieri una aliqua, ita nec ex duobus numeris aliquis unus, sed quilibet ex unitatibus non divisim, sed collectivè & unitè sumptis, sic sex non est bis tria, sed semel sex compositum ex sex unitatibus, & non ex duobus numeris ternariis. Verùmtamen ex ratione in contrà

Arguitur primò: Omnis effectus realitèr distinguitur à sua causa, & è contrà omnis causa à suo effectu, sed materia & forma sunt causæ totius, & totum est effectus, seu causatum; ergò materia & forma realitèr distinguuntur à toto: probatur ma. ex definitione causæ communiter recepta, & infrà ponenda, quæ est, quòd si *principium positive influens esse in aliud* &c. ergo. Sed R. dist. ma. Omnis effectus realitèr distinguitur à sua causa & è contrà, causâ ab effectu extrinsecâ, concedo ma. intrinseca, nego ma. & dist. similitèr min. nego consequentiam. Quia ex modo causandi causarum intrinsecarum provenit, ut remaneant in effectu, quem componunt & causant, ad definitionem autem causæ in communi dico, benè quadrare etiam omnibus causis singillatim sumptis, non tamen collectivè sumptis: & sic verum est, quòd materia distinguatur à toto, quòd forma distinguatur &c. nego tamen, quòd materia, forma, & unio distinguantur à composito, quia sunt ipsum compositum. XIV. *Opponitur pro primo in contrarium.*

Instatur: Eadem est ratio de causis intrinsecis, ac est de extrinsecis; ergò si extrinsecæ distinguuntur ab effectibus suis, etiam intrinsecæ distinguuntur, R. negando ant. quia intrinsecæ ideò dicuntur tales, quia sunt aliquid ejus, cujus sunt causæ, si autem non ingrederentur essentialitèr illud, non essent aliquid ejus, nec consequentèr intrinsecæ, ut patet ex dictis suprà: quia hæc difficultas ipsos Adversarios premit, nam si putant totum distingui à suis partibus ex eo, quòd causæ distinguantur ab effectibus, jam debebunt concedere, quòd materiæ & formæ sint causæ extrinsecæ, quia sic distinguuntur; Sed aliâ viâ

Instatur secundò contra solutionem, ad definitionem causæ datam, materia & forma causant totum ut unitæ; ergò sunt causa totius collectivè sumptæ: sed subsumo, materia, forma, & unio collectivè sumptæ causant totum; ergò totum est aliquid distinctum à suis causis, materia scilicet & forma, sed R. dist. ant. materia & forma causant totum, ut unitæ, ambas collectivè sumendo, nego ant. quia sic nihil aliud sunt, quàm ipsum totum compositum; materia & forma ut unitæ, distributivè sumendo eas, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; materia & forma unitæ simul & collectivè sumptæ, non causant totum compositum, sed sunt totum compositum, sed distributivè sumptæ, non tamen quomodocunq;, sed quatenùs est unita alteri, materia videlicet, in quantùm est informata, & forma in quantùm est unitas. XV.

Urgetur: Materia & forma, ut unitæ, non sunt causa totius, nisi collectivè sumptæ; ergò materia & forma, ut unitæ non causant distributivè sumptæ, & consequentèr, quod per ipsas causatur, non est collectio materiæ, formæ & unionis, sed aliquid realitèr ab ipsis distinctum, seu aliqua tertia entitas: probatur ant. quia totum debet causari per suam causam totalem, sed materia & forma unitæ sunt causa totalis XVI.

totalis compositi; ergò materia & forma collectivè sumptæ, debent causare totum. R. negando ant. ad probationis majorem dico, illam male supponere, unde nego mi. ratio est: quia nulla causa intrinseca est totalis: eò ipso enim, quo intrinseca est, partialis esse debet, quia intrinseca causa causat componendo, nullum autèm totale potest componere, quia componere significat compartem concurrentem, quod autèm totale est, nullam talem partem concurrentem habet.

Replicatur: Qualis est effectus, talis debet esse causa, sed compositum est aliquod totum adæquatum; ergò etiam debet habere causam totalem & adæquatam; sed R. negando ma. quæ multiplicitèr impugnari potest: nam frequentèr effectus est accidens, causa substantia, frequentèr causa est perfectior, quàm sit effectus, ut patet in omnibus causis æquivocis, quarè dico, quòd licèt totum sit aliquod adæquatum, nihilominùs non habet causam adæquatam & totam, sed plures inadæquatas: quia sicuti compositum non importat unum adæquatum componens, sed plura partialia componentia, ita etiam non dicit, nisi plures partiales causas. Verumtamen

XV. **Redarguitur:** Ex pluribus causis partialibus fit una totalis, sed secundùm dicta, sunt plures partiales causæ; ergò constituent unam totalem. R. dist. ma. ex pluribus causis partialibus extrinsecis fit una totalis, concedo ma. ex pluribus intrinsecis, nego ma. & concessâ mi. simul nego consequentiam, disparitas est, quia intrinsecæ tantùm causant per communicationem suarum entitatum, quas communicant effectui formalitèr, per conjunctionem unius ad alteram mediante unione, ex quâ communicatione non fit una causa totalis, cùm non sit respectu tertii, sed respectu sui invicem; in causis autèm extrinsecis duæ concurrunt ad communicandam entitatem alicui tertio ab ipsis distincto, adeoq; concurrere possunt duæ partiales ad constituendam unam totalem. Sed

Reinstatur: Causæ intrinsecæ partiales uniuntur in ratione causarum; ergò constituent aliquam totalem. R. dist. ant. Uniuntur in ratione causarum, ut constituant aliquam totalem, nego ant. uniuntur, ut quælibet simul cum alia, mediante suâ causalitate, constituat in actu secundo per unionem aliquod totum, concedo ant & nego consequentiam. Et hæc argumentorum solutio bona est: si quis tamen difficultatem timeret, facilius respondere poterit ad Ursionem superiorem dicendo, quòd materia & forma sint causæ totales, non verò causa totalis, nam tàm benè materia & forma, quàm efficiens sunt causæ totales primò diversæ, & in diverso genere, unde quemadmodum nemo dicit, formalem & efficientem esse duas causas partiales, ita etiam dici poterit, formalem & materialem non constituere unam adæquatam, sed esse ipsas adæquatas in diverso genere. Et hæc est etiam principalissima difficultas contra sententiam nostram, secunda huic similis, ex quâ

XVI. **Arguitur secundò:** Totum compositum est terminus generationis substantialis, sed terminus generationis substantialis distinguitur realitèr ab eo, quod non est terminus generationis substantialis; ergò etiam totum compositum distinguetur ab eo, quod non est terminus generationis, subsumo, sed materia & forma non sunt terminus generationis substantialis; ergò totum compositum distinguetur realitèr à materia & forma: patet subsumptum in homine, ubi corpus primò est, & anima creatur, deinde si materia & forma priùs existerent tempore, antequàm unirentur possent causare novam generationem, & in tali nec materia, nec forma produceretur; ergò aliquid realiter distinctum, nempè compositum. R. concedendo totum, usq; ad subsumptum, quod distinguo: sed materia & forma non sunt terminus generationis, in quantùm considerantur separatæ, concedo ant. in quantum sunt conjunctæ, nego ant. & consequentiam.

Instatur: Illæ partes unitæ vel addunt aliquid ad partes, præter unionem vel non? si addunt aliquid; ergò terminus generationis non erit sola materia & forma unita; si nihil addit; ergò non erit ibi aliqua generatio substantialis, quia per ipsam non producitur aliqua substantia. R. negando ant. quia partes non addunt propriè aliquid, sed faciunt aliquid totum, scilicet compositum in esse totius, cùm antecedentèr non essent sub tali esse compositionis & totius, sed sub ratione separationis; quarè terminus generationis est totum unitum, ut quod, ut quo, vel forma cum unione, vel sola unio, nec per hoc statim inferre licèt, generationem non futuram substantialem, si sola tantùm produceretur unio: nam Christus Dominus vera est substantia, sed per actionem productivam non fuit producta, nec Deus, nec natura humana; ergò ex eo, quòd in tali casu non produceretur sola unio, adhuc posset vocari substantialis, ex eo, quòd unio illa verè uniret duas substantias inadæquatas ad faciendum totum adæquatum, patet mi. quia beata Virgo concurrit ad naturam humanam tantùm, non verò ad unionem ex natura humana & Divino verbo.

Urgetur: Omnis terminus generationis substantialis debet esse quid unum, sed materia & forma unitæ non sunt quid unum; ergò non possunt esse terminus generationis, etiam ut unitæ: probatur ma. tum quia quælibet entitas de novo producta debet habere suam unitatem consequentem; tum, quia omne compositum debet esse subjectum propriarum passionum & actionum, sed materia & forma non possunt esse subjectum passionum & actionum, ergò: probatur mi. quia alioquin passio & actio subjectarentur in diversis subjectis, quæ omnia sunt inconvenientia: adeoq; non admittenda. Sed R. dist. ma. Terminus generationis debet esse aliquid unum simplex, nego ma. aliquid unum compositum, signanter loquendo de termino, *ut quod*, nego ma. similitèr distinguo mi. materia & forma non sunt aliquod unum, unitate simplici, concedo: unitate compositâ, nego mi. & consequentiam, quarè ad probationem primam dico, quòd totum illud productum suam habeat unitatem consequentem, scilicet adæquatam ex duabus partialibus,

libus, & inadæquatis per unionem resultantem, ad secundam verò dico, quòd quemadmodum homo constat corpore & animâ, ita passio ejus constat partim ex animæ virtute, partim ex organo corporis. Itaq; risibilitas, verbi gratia, aut potentia visiva non est aliquid simplex, sed est organum cum vitali virtute, quàmvis anima semper sit ista virtus quo, qualis non esse posset, si compositum esset distinctum ab anima & corpore. Sed

XVII. Licèt hæc omnia benè dicta sint & fusiùs, quàm existimaveram, ad alteram problematis partem jam moveo manum, supra quam plurimæ fundantur difficultates aliæ, & in Schola Scoti ordinariæ sententiæ, ideoq; non est abjcienda, sed tantò fortiùs simul amplectenda, quantò magis ad mentem Scoti consequentèr est loquendum, satis sit scire, quid in contrà dici posit, ego ulteriùs

XVIII. *Totum distinguitur à suis partibus.* Dico 4. *Totum compositum distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis & unitis.* Hæc pars problematis, & Conclusio est communior in Schola Scoti, & Probari potest omnibus argumentis contra superiorem adhibitis. Attamen adhuc probatur etiam authoritate D. Bernardi, qui Serm. 30. in Cantica, expressè videtur distinguere totum à suis partibus, nam sic ait: *Quàm multi saluti propriæ modicam vilissimamq; pecuniam prætulerunt? Paulus nec animam. Non (inquit) facio eam prætiosiorem, quàm me. Ergò differentiam facis inter te, & animam tuam. Prudenter quidem tu tibi plurus es, quam quidvis tuum.* Ubi expressè asserit inter Paulum (qui utiq; ex corpore & anima constat) & animam differentiam esse, & ne putes eum explicari debere in sensu primæ & secundæ conclusionis, iterùm notanter subdit, *Plurus esse ipsum, quam quidvis suum*, si autèm corpus & anima Pauli considerentur singulæ, aut etiam utræque, sed non unitæ, non possent dici suum esse; ergò ex mente D. Bernardi habetur, totum distingui (& quod plus est, differentiam esse;) à suis partibus, etiam simul sumptis & unitis. Omitto citare Doctorem subtilem, quia hic apud alios obvius est.

Probo Conclusionem secundò ex rationibus, brevitèr vulgari, optimo tamen argumento: Omnis causa verè realitèr, & Physicè causans, debet producere effectum à se realitèr distinctum, sed materia & forma verè & realitèr causant; ergò effectum à se realitèr distinctum, sed hic effectus alius esse nequit, quàm totum compositum, ergò: patet major de causa efficiente, finali, &c. atqui eadem est ratio de materiali & formali, cùm quodlibet compositum ex omnibus causarum generibus constet, & in nullo genere aliquid se ipsum causare possit.

Probatur tertiò: Per generationem substantialem debet produci aliqua substantia, sed quando anima rationalis unitur corpori, est generatio substantialis; ergo tunc debet produci aliqua substantia, sed non generatur corpus, aut anima, quia præsupponuntur ad unionem, imò si corpus præexisteret tempore, & etiam anima rationalis separata, & deinde unirentur sibi, vera fieret generatio; ergò debet produci alia substantia, quæ non erit aliud, quàm totum compositum. Nec dici potest, Unionem substantialem produci per generationem, quia hæc est accidens, adeoq; melius est dicere, quòd producatur aliquod totum substantiale distinctum, quàm se multùm torquere, & fatigare in quærendo & explicando, quomodo generatio sit substantialis, cùm nihil substantiale producatur.

Contra Conclusionem hanc sunt Rationes & authoritates pro superiore, Authoritatibus authoritates oppono, & ad primam rationem dico: illam Tertiam entitatem esse quid compositum, quod partim est spirituale, partim materiale. Imò etiam dici potest simplex, secundum se, & composita ex eo, quòd dicat semper ordinem ad partes. Ad secundam R. Omne absolutum prius alio posse esse sine posteriori, nisi dicat posterius essentialem ordinem ad illud prius, prout dicit compositum ad materiam & formam. Ad tertiam dico, totum semper definiri per partes Physicas, ut est quid Syncathegorematicum, & sic includit semper partes. Ad quartam R. non esse inconveniens, nec improbabile, admittere in homine duplicem intellectum & voluntatem, nam sic defenderunt Pragæ Doctissimi Patres Antonius & Bonaventura Bruodinus, quorum primus dignissimus meus extitit Professor, approbantibus Eximiis Viris & Doctoribus Pragensis Universitatis, eamq; sententiam publicè typis evulgavit A R. P. F. Guilielmus Antonius Brauczeck, Lector Jubilatus, olim meus Professor, nunc colendissimus Superior. Hæc dicta sufficiant brevius, quia alii faciunt tantò fusiùs, sufficiat habere, quod quilibet defendere possit.

QUÆSTIO II.

An totum integrale, per aggregationem & per accidens, distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

Inter alia motiva, quibus adductus fui in præcedenti quæstione, ad problematicè disputandam quæstionem illam, difficultas est præsentis dubii, nam non consequenter loqui mihi videntur, qui dicunt, totum essentiale distingui, & non distingui tamen totum integrale, atq; totum per accidens, cùm tamen eædem rationes hic militent, ac ibi; nam in toto per accidens partes verè causant illud, & eodem quidem modo, sicut totum substantiale, nam unum habet se per modum materiæ, subjectum scilicet, & alterum est forma, verbi gratiâ, in hoc composito per accidens, *album* vel *doctum subjectum* se habet per modum materiæ, albedo verò & doctrina sunt formæ, sicut est forma substantialis. Deinde ponatur, quòd aliquod accidens antecedentèr fuerit productum, & postea inducatur in aliquo subjecto, in tali casu gignitur aliquod absolutum, non tamen gignitur subjectum, nec gignitur albedo, unio autem non est aliquid absolutum; ergò debebit etiam dari aliqua tertia entitas, quæ generetur: ergò, consequenter

sequentèr loquendo, si in toto essentiali admittitur aliquid distinctum, debebit etiam admitti in toto per accidens & integrali: quod Confirmari potest, quia duo semipalmi faciunt integrum palmum. Ut itaq; ad resolvendam quæstionem accedam;

II. Notandum, me per totum integrale aliud non intelligere, quàm constitutum ex diversis partibus, quæ natæ sunt esse extra se invicem localitèr, sive posteà sint partes illæ homogeneæ, sive heterogeneæ, ut corpus constitutum ex capite, brachiis, manibus, pedibus &c. aqua ex pluribus partibus, & calor intensus ex pluribus gradibus. Totum verò per accidens est constitutum aliquod ex rebus diversorum prædicamentorum, ut album ex subjecto, verbi gratiâ, pariete & albedine. Totum per aggregationem verò est, quod fit ex rebus etiam ejusdem prædicamenti completis habentibus aliquam unionem, & nexum ad se invicem per ordinem ad locum. De quibus omnibus

III. Dico: *Nec totum per accidens, nec per aggregationem, nec integrale distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis & unitis.* Ita Authores in præcedenti quæstione citati, & insuper omnes Scotistæ, &

Probatur primò: De Toto per accidens, & per aggregationem, tum quia totum essentiale non distinguitur à suis partibus simul sumptis & unitis; ergò nec totum per accidens, vel per aggregationem: tum quia nulla est necessitas, multiplicandi has entitates, ergò: probatur ant. quia si esset aliqua necessitas, illa deberet argui ex aliquo effectu particulari, quem præstaret totum, & non præstarent singulæ partes seorsim sumptæ, sed nullus talis effectus assignari potest, ergò. Deinde quàmvis aliquis assignaretur, non esset sufficiens ad arguendam tertiam entitatem: nam etiam arte facta habent aliquem effectum conjunctim, quem non habent separata, & tamen nemo dicit, quòd in illis resultet aliqua tertia entitas, ergò: patet ant. de curribus, horologiis, quæ conjuncta aliquem habent, qui tamen non est sufficiens ad arguendam tertiam entitatem, ergò.

Probatur secundò eadem pars, maximè de toto per accidens: Quia illud totum, quod resultaret ex partibus diversorum prædicamentorum, vel esset ens per se, vel ens per accidens, sed non potest dici, quòd sit ens per se: quia ejus componentia sunt aliquod unum per accidens; nec etiam dici potest ens per accidens, quia alioquin sequeretur in tali compositione processus in infinitum: quia si paries albus facit aliud ens per accidens, hoc iterum faciet aliud, & sic in infinitum.

IV. Probatur secunda pars: quia, Si totum integrale distingueretur realitèr à suis partibus, sequeretur, quòd duæ libræ conjunctæ magis ponderarent, quàm divisæ: sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia duæ libræ conjunctæ causarent tertiam entitatem, sed illa tertia deberet iterum habere suam quantitatem, & suum pondus distinctum à pondere partium; ergo sequeretur, quòd duæ libræ plùs ponderarent conjunctæ, quàm separatæ. Secundò, sequeretur illud, quod antecedentèr dixi, quòd scilicet, si à pondere unius libræ auferatur una libra, quòd adhuc ponderaret eandem, nam si destruatur unius libræ pondus, dividendo eam in duas partes (tunc enim destruitur illa tertia entitas) quòd adhuc tantum ponderabit, quantum antè, quia partes divisæ tantum ponderant.

Dices: Duas libras non plus ponderare V. conjunctas, quàm separatas: quia illa alia gravitas adveniens & causata includit alias duas priores. Sed Contrà: Illa tertia gravitas, & libra includens alias duas priores, debet esse aliquid, & quidem diversum ab his, sed cùm certissimè sit aliquid ponderosum, debet suum pondus habere, & consequentèr, si addatur duabus libris, fit magis ponderosum, & tantum addet, quantum ipsum est: & si est tertia libra, addet tantum pondus; ergò per hoc, quòd includat alias duas libras, non solvitur nec impeditur, quò minus adhuc duæ libræ tantum ponderabunt, ac si essent tres.

Probatur eadem pars secundò: VI. Si totum distingueretur à suis partibus simul sumptis & unitis, sequeretur, quòd individuum semel corruptum connaturalitèr posset iterum reproduci, sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela, quia si ex duabus partibus aquæ resultat tertia entitas aquæ, separatis illis partibus destruetur illa tertia entitas, & si iterum conjungantur, iterum reproducetur illa tertia entitas, quia cùm essent eædem numero partes, esset etiam idem numero compositum, ergò. Confirmatur primò: Quia mirum videtur, quòd si una gutta aquæ ponatur in Oceanum, quòd debeat generari una nova tertia entitas, quæ per totum Oceanum diffundatur, & si illa gutta iterum auferatur, destruetur illa entitas, quæ per totum Oceanum erat diffusa. Secundò: Quia si animali addatur aliqua pars carnis per nutritionem, sequeretur, quòd illud animal non haberet amplius illud corpus post nutritionem, quod habebat ante, & consequentèr non esset idem animal, quia haberet aliud corpus, quod tamen falsum est. Quæ contra hanc conclusionem opponi possunt, sufficientèr solvuntur per dicta superiùs, nam licèt totum videatur aliquid importare à suis partibus, non tamen importat aliquid distinctum ab illis unitis & collectivè sumptis, sed divisivè, seu distributivè. Solet hîc etiam examinari, quodnam sit subjectum immediatum accidentium, an totum compositum? an verò sola materia vel forma? sed quia hoc jam expedivi in Logica, agendo de accidente in communi in prædicamentis hîc supersedeo. Et sic finit Liber Primus Physicorum ad Dei Gloriam, & Sanctorum suorum honorem, ac propriam & proximi utilitatem.

LIBER II.

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS CORPORIS NATURALIS.

Spopondi superiùs, me Aristotelis methodum & modum secuturum, quarè cum eo, post explicationem principiorum intrinsecorum, ad extrinseca progressum facio (faxit DEUS felicem!) quarè in hoc libro, qui in tres partes apud Aristotelem partitur, primò tractabo de natura, non secundùm se eam considerando, prout feci superiùs: sed in ordine ad suas actiones & operationes, unde etiam attingentur principia intrinseca, non ut constituentia totum, sed ut ordinata ad motum; secundò agam de causis tàm in communi, quam particulari, & ultimò adjiciam aliquid de fortuna, casu, fato & monstro. Sit igitur

DISPUTATIO I.

DE NATURA ET ARTE.

NE diversitas, multiplicitasq; acceptionis hujus vocabuli Natura *confusionem pariat, aut ad prægnoscendam, & elucidandam veritatem præcludat viam, scito, quòd hic non sumatur pro substantia aliqua infimâ, prout testatur D. Aug. 15. Trinit. cap. 1. plures sumpsisse gentiles pro Deo optimo maximo scilicet, quem proinde etiam appellârunt naturam naturantem & accepit Seneca 4. offic. nec sumitur pro essentia & quidditate rei, prout dicitur definitio explicare naturam rei, id est essentiam rei, nec pro collectione omnium rerum naturalium, prout dicitur natura dependere à primo principio, nec pro causis naturalibus, qualitèr asserit nihil naturam operari gratis, naturam abhorrere vacuum, &c. nec denig; pro temperamento primarum qualitatum in animali, secundùm quod aliqui dicuntur cholericam, alii sanguineam, alii melancholicam naturam habere &c. Sed agitur hic de natura, prout opponitur arti, quarè etiam de arte aliquid addam in eadem disputatione, ut oppositâ juxtà se positâ magis elucescant. Est itaq;*

QUÆSTIO I.

An Philosophus rectè definierit Naturam?

I. *Aristoteles definit naturam.*

Suppono cum Aristotele supervacaneum esse præmittere examinationem, an natura detur? non ex eo, quòd demonstrare eam impossibile sit, sed quia à priori demonstrabilis non est, ex eo, quòd non habeat aliquod principium antecedens, per quod, tanquam per medium, demonstrari possit, potest tamen à posteriori per motum scilicet, qui cùm non sit à se ipso, debet esse ab alio principio, quod notissimum est dari, sicut est notum dari ejus effectum, estq; natura, quam libro 2. cap. 3. definit, quòd sit *Principium & causa motus & quietis, ejus in quo est primò & per se, non secundum accidens*: seu ut alii habent: *Principium, ut moveatur & quiescat id, in quo est &c.* quæ in re nullo modo differunt, unde sistendo in prima lectione ad quæstionem resolutivè

II. *Definitio naturæ.*

Dico: *Data definitio naturæ ab Aristotele bona est.* Ita Doctor 2. Phys. q. 3. & communis.

Probatur primò: Tum, quia constat genere & differentiâ, nam ly *principium & causa* rationem generis habent, reliqua verò rationem differentiæ: tum explicando omnes ejus particulas. Dicitur itaq; primò *Principium & causa*, quæ pro eodem hic sumuntur, & unum ad clarificandum alterum, quarè non est positum solum *principium*, sed etiam *causa*, quia privatio, licèt sit principium, non est tamen causa, & è contrà non est posita sola particula *causæ*, quia efficiens est vera causa, non tamen principium, unde ad denotandum, quòd natura debeat

beat Physicè influere & causare motum, utrumque, est additum; Imò ulterior posset esse ratio, si dicatur, quòd natura sit principium motuum, non modò Physicorum, sed etiam Metaphysicorum, seu emanationum proprietatum à subjecto, quæ cùm identificentur subjectis, non possunt subjecta esse causæ eorum propriè, benè tamen principia. Dicitur *motûs* augmentativi, alterativi & localis; additur *& quietis*, id est, possessio & detentio acquisitæ formæ per augmentationem, alterationem & lationem: unde hæc particula non accipitur pro mera & pura cessatione: Item *Tò &* inter particulas motûs & quietis repertum, debet copulativè accipi, ut sensus sit, ut inquit Doctor, quòd natura sit principium, quo illud, in quo est, est natum moveri & quiescere, quarè sufficit, ut unum vel alterum adsit, quàmvis utriusque sit principium: dicitur *Ejus, in quo est*, per quam particulam secundò excluditur, omnis causa extrinseca & privatio à ratione naturæ, ut sunt Deus, respectu omnium effectuum, quos ad extra producit, Angelus respectu motûs impressi cœlis & astris: & omnes causæ efficientes sublunares extrinsecæ, respectu effectuum suorum. Dicitur *primò & per se*, per quam particulam excluduntur, verbi gratia gravitas, ut aliquid moveatur deorsum, levitas, ut alterum moveatur sursum, quæ principia, licèt insint moto, nihilominùs non insunt per se primò, nec de primaria mobilis constitutione, sed rei jam constitutæ adveniunt, & quasi accidunt. Hinc duo acquiruntur adhoc, ut aliquid habeat naturam propriè dictam. Primò est, ut verè & Physicè influat, & causet motum. Secundo, ut insit rei illi, tanquam pars essentialis constitutiva, in quâ causat motum. Sed

III. *Argumentum in contrarium primum.*

Arguitur: Motus & quies sibi opponuntur; ergò non possunt habere idem principium; ant. patet: probatur consequentia, nulla essentia una potest esse principium contrariarum passionum, sed motus & quies sunt sibi contrariè opposita, ergò. R. 1. negando ant. quia hîc per quietem non intelligitur carentia motûs, & ejus negatio: sed intelligitur connaturalis perfectionis debitæ possessio, quâ obtentâ cessat motus, unde motus etiam non est aliud, quàm medium ad acquirendam illam perfectionem connaturalem. R. 2. Motus & quies opponuntur sibi simul & semel, concedo ant. successivè, nego ant. & consequentiam. Itaq; quàmvis natura sit principium motûs & quietis copulativè, id est, tàm benè motûs ac quietis; non est tamen necessè, ut in actu secundo adsit motus & quies simul.

Instatur: Multa constant naturâ, quorum aliqua nec sunt capacia motûs, & alia nec capacia quietis; ergò malè dicitur adhuc, quòd natura sit principium copulativè, tàm quietis, quàm motûs, licèt actu non insit motus & quies: probatur ant. quia cœlum empyreum, & terra nunquam moventur, cœli verò astrorum nunquam quiescunt, ergò. Sed R. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd empyreum cœlum & terra actu quidem non moveantur localiter, non implicet tamen, quin moveri posset, deinde tàm cœlum, quàm terra jam mota fuerunt ad suas formas substantiales, & ad alias perfectiones sibi connaturaliter debitas. Cœli autèm astrorum, licèt non quiescant localiter, quiescent tamen aliquando, statuto scilicet tempore completo, deinde etiam quiescit sub sua forma substantiali, & aliis accidentibus sibi debitis.

IV. *Secundum.*

Arguitur 2. Si cœlum esset corpus simplex, non haberet tunc aliquid, unde competeret ipsi habere naturam, ergò: probatur mi. quia nullas haberet partes, ex quibus componeretur & quæ inessent, ergò. R. 1. Me parum curare, an tunc esset natura, vel haberet naturam, quia solummodò ago de eo, quod modò est, non quod esse possit. Attamen R. 2. Negando mi. quia tunc constaret essentiâ suâ, quæ includeretur in ipso, inclusione saltem Metaphysicâ, quod sufficit.

Instatur: Sequeretur, quòd Angelus constaret naturâ, quia constat essentiâ suâ, quæ etiam est principium motuum, quibus naturaliter movetur ad multas qualitates, ad quas inclinationem habet. R. negando sequelam, ad cujus probationem dico, quòd Angelus non sit mobilis motu corporeo, atque adeo nequit habere rationem naturæ, prout de ea hîc agitur: quia definitur principium motûs ac quietis corporeæ.

V. *Tertium.*

Arguitur 3. Omnis definitio debet esse oratio naturam, seu essentiam explicans, sed natura nullam habet naturam & essentiam explicabilem; ergò natura non est definibilis: probatur mi. quia natura est ipsa essentia & natura; ergò nullam habet: probatur consequentia, si natura haberet aliquam naturam explicabilem, illa altera natura iterum deberet habere, & sic in infinitum, ergò. R. negando mi. cujus probationis ant. dist. Natura est ipsa essentia & natura si in abstracto consideretur, concedo ant. si consideretur in concreto, nego ant. & consequentiam. Quia quamvis verum sit, quòd natura accepta ultimatè abstracta definiri non possit, cùm definitiones sint concretorum, potest tamen in concreto accepta, in quantum hanc & illam naturam singularem respicit, ut patet de humanitate, quæ non definitur ex eo, quòd sit terminus abstractus, benè tamen homo, neq; definitur per terminos abstractos, sed per concretos, per animal scilicet & rationale, non verò per animalitatem & rationalitatem, sic est in proposito, neq; ex hoc sequitur processus in infinitum, quia natura ultimatè abstracta non concipitur, ut habens naturam, sed est ipsa ratio naturæ.

Instatur: Natura etiam in concreto nequit definiri; ergò nulla solutio: probatur ant. Natura debet esse essentialis omnibus, quibus competit, sed natura nequit esse essentialis omnibus, quibus dicitur competere, ergò: probatur mi. quia natura etiam in concreto est quid relativum, sed nullum relativum est essentiale absolutis, ut sæpè dictum est, ergò. R. negando ant. cum mi. prob. cujus probationem distinguo, natura etiam in concreto est quid relativum, si formaliter accipiatur, concedo ma.

si accipiatur fundamentaliter, nego ma. & conceſſa mi. nego conſequentiam.

Urgetur: Natura definitur per ordinem ad motum & quietem, ſed quod ſic definitur per ordinem ad aliud definitur formaliter acceptum; ergò etiam natura definitur accepta formaliter. R. diſt. ma. per ordinem ad naturam per conceptum inadæquatum, concedo ma. per conceptum adæquatum, nego ma. Quarè, licèt ſub præciſa ratione principii & principiati dici poſsit formaliter definita, tamen quia Ariſtoteles definire intendebat naturam, non ſub præciſa illa ratione, ſed etiam in quantum natura eſſet ratio formalis conſtitutiva objecti Phyſicæ, quod debet eſſe quid abſolutum, hinc dicendum, eum non definiviſſe formaliter, ſed fundamentaliter acceptam naturam.

QUÆSTIO II.

An Natura ſit principium activum, an verò Paſsivum?

Quia definita fuit natura ab Ariſtotele per principium ad motum & quietem, ideò nunc controvertitur inter Authores acriter, an ideò ſit aliquid dicendum natura, quia poteſt in ſe connaturaliter recipere motum & quietem, ſecundùm inclinationem, an verò per hoc, quòd poſsit etiam in ſe producere talem motum & quietem. Principium autèm activum eſt duplex, unum immanenter agens, aliud tranſeunter, immanenter autèm agere nihil eſt aliud, quàm in ſe ipſo aliquid producere, tranſeuntèr verò, producere aliquid in alieno ſubjecto & diſtincto à ſe, quod Ariſtoteles ſæpè vocat movens non motum, dicitq; eſſe conſiderationis Metaphyſicæ, quemadmodùm primum appellavit movens motum, quod etiam Phyſicæ conſiderationis eſſe docuit, non quidem principaliter & primariò, ſed in quantùm paſsivo eſt conjunctum.

Principium activum eſt duplex.

Naturale multipliciter accipi poteſt.

Notandum ulteriùs: Naturale, in quantùm principium dicit naturæ, multipliciter ſumi poſſe & primò accipitur, prout opponitur ſupernaturali & libero, & in tali acceptione omne illud dicitur naturale, quod non fit à principio ſupernaturali, ſeu tali, quod excederet ordinem naturalem ad poſſum: ſecundò accipitur, prout opponitur violento & neutro, & in hac acceptione naturale reſpicit ſubjectum, in quo recipitur operatio & forma, ita quòd ſi fuerit juxta inclinationem ſubjecti, dicetur naturalis, ſi contra vel præter, dicetur violentum vel neutrum; Et in hac acceptione, quemadmodùm violentia eſt duplex, alia privativa, quæ fit per ſimplicem ſubtractionem formæ vel operationis connaturalis & poſitiva, quæ fit per introductionem formæ repugnantis naturali inclinationi ſubjecti, exemplum primæ ſit, quando aqua eſt ſub ſola carentia frigoris, ſecundæ verò exemplum eſt, quando aqua etiam eſt ſub calore: Ita quoq; dari debet duplex naturalitas, una, quæ reſpiciat inclinationem paſsivam in ſubjecto, altera quæ dicat inclinationem activam agentis non cujuscunque, ſed immanentis, quæ in rebus, penes inclinationem paſsivam, etiam dari debet, ratione cujus non dicantur ſolummodò determinatæ ad ſic & ſic patiendum, ſed etiam ad ſic & ſic agendum.

His itaq; notatis, Circa præſentem materiam triplex eſt ſententia: Prima dicit: Principium in definitione debere ſumi tantùm pro principio activo. Ita Valleſius, Vasquez: Altera, quæ adſcribitur Scoto, & ſequuntur Scotiſtæ communiter, vult per principium in definitione poſitum, debere intelligi principium paſsivum tantummodò in genere cauſæ materialis. Tertia deniq; ſententia eſt communior, quam Recentiores cum Solemnioribus Scotiſtis etiam amplectuntur, quæ docet, quòd principium tàm activum, quàm paſsivum in definitione data intelligatur, qui tamen poſteà inter ſe gravitèr differunt, nam aliqui de utroque æqualiter loquuntur, alii de activo principaliùs, & paſsivo minùs principaliter: alii denique de paſsivo magis principaliter, intelligendum minùs principaliter de activo, alii aliter: Sed

Dico I. *Natura convenit tàm principio activo, quàm paſsivo, loquendo ſecundùm quod eſt conſiderationis Phyſicæ.* Hæc eſt conformis ad tertiam ſententiam, eſt etiam Scoti 2. Phyſicorum q. 3. ubi habet, quòd per iſtum terminum Ariſtoteles intelligit principium activum, & q. 4. reſpondens ad objectionem, quòd videlicet ſuperfluè ponatur, in definitione naturæ, principium & cauſa, ait, quòd illi termini referuntur ad diverſa, quia terminus *principium* accipitur pro principio activo, & iſte terminus *cauſa* pro principio paſsivo, & 7. Met. q. 13. ait: Naturalia communiter in ſe habent principium activum alicujus motûs: & alibi ſæpè, ut q. 1. prologi, ubi expreſsè docet: quòd non omnia, quæ inſe habent principium paſsivum, habent etiam activum: quamvis frequenter & ordinariè correſpondeat paſsivo principium activum; ergò ex mente & verbis Doctoris habetur, quod quando ineſt principium activum, tàm conveniat naturæ, ac paſsivum.

I. Natura potest se principium activum

Probatur Concluſio ex Authoritate Ariſtotelis, tum ſuprà, tum lib. 2. t. 10. ubi hæc habet: *Natura ſic dicitur primò cujuscunq; ſubjecta materies eorum, quæ motûs in ſe mutationisq; principium habent, alio verò modo ipſa forma & ſpecies*, ſed forma per Ariſtotelem ſimpliciter eſt activa, ergò. Deniq; cùm definitionem explicaret, excluſit motum, quo Medicus ſe moveret ad ſanitatem, non per hoc, quòd haberet principium activum ad acquirendam ſanitatem, ſed per hoc, quòd in Medico Medicina inſit non per ſe, ſed per accidens, quod tamen non debuiſſet feciſſe, & quàmvis tàm per unam, quàm per alteram rationem excludere potuiſſet, debuit tamen incipere à priori, quæ fuit, quòd eſſet activum; ergò ex mente Scoti & Ariſtotelis habetur, per principium, tàm activum, quàm paſsivum poſſe & debere intelligi. Quarè ulteriùs

II.

VI.

VII.

Probatur Concluſio Ratione, primò: Quia frigefactio, quâ ſe aqua reducit ad priſtinum frigus, vel eſt naturalis, vel violenta, vel neutra; ſed non eſt violenta, nec neutra; ergò eſt naturalis; probatur minor, tum quia illa

illa actio non est ab extrinseco, omne autèm violentum debet provenire ab extrinseco, ergò: tum, quia ad violentum non confert natura suam vim; probatur eadem minor, quòd non sit neutra, quia nulla vis neutra activa agenti competit à natura, alioquin deberent ei omnes competere, quia non est potior Ratio de una, ac altera: ergò. Confirmatur: tum quia naturale hìc potissimùm accipitur prout opponitur arti, sed quàm maximè opponitur arti per principium activum, ergò: tum, quia alioquin non distingueretur natura ab arte; probatur sequela, quia artificialia habent etiam principium passivum motûs, ut patet, si moveatur & projiciatur sella deorsum, aut quodcunque aliud fabrefactum, nec juvat dicere, sellam, & omne aliud fabrefactum moveri deorsum, non quâ artificiatum, sed quâ naturale est, quia petitur principium; quia explicatur natura per motum & ad explicandum motum, recurrunt ad naturam.

V. Probatur Conclusio secundò cum Mastrio: Non minùs naturale est igni, calefacere debitè approximato, & aquæ calidæ reducere se ad pristinum frigus, prout naturale opponitur violento, quàm gravi ferri deorsum, sed ista conveniunt igni & aquæ, in quantùm activa sunt, ergò: probatur ma. quia non minùs violentum est igni impediri à calore, & aquæ detineri sub calore, quàm gravi detineri sursum; ergò est ipsi connaturale; probatur ant. quia ideò gravi est violentum, quia est contra inclinationem suam ex principiis intrinsecis provenientem, sed igni impediri à calefactione, est contra inclinationem à principiis intrinsecis provenientem, ergò. Nec valet dicere, esse violentum igni tantùm privativè, non verò positivè: quia naturalitas una tàm benè opponitur violentiæ privativæ, quàm positivæ; ergò, licèt non esset ipsi naturale, prout opponeretur violentiæ positivæ, esset tamen prout opponitur privativæ, quod sufficit.

VI. Dixi in conclusione, naturam convenire principio activo, tàm benè, ac passivo, secundùm Physicam considerationem, quia absolutè loquendo utriq; convenire potest, sive postèà illud sit immanenter activum, sive transeuntèr, & quia in conclusione nondùm expressi, de quo principio activo mihi sermo sit, an de immanenti vel transeunti? Ideò

VII. *Natura est principium immanenter activum.* Dico 2. Hæc est Authorum prioris sententiæ, ut Mastrii, Baronis, Bassolii, Licheti, Bargii &c.

Probatur Conclusio: Si omne principium activum argueret naturam, sequeretur, nullum dari motum violentum vel neutrum, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela; Quia ille omnis motus est naturalis, qui est à natura, sed omnis motus esset à natura, id est, à principio activo; ergò omnis esset naturalis, & consequentèr nullus violentus vel neuter, quia principium activum est semper naturale suæ actionis. Confirmatur: Quia si sufficeret principium activum, sequeretur, Deum & Angelos futuros naturam, sed hoc est falsum, ergò; probatur sequela, quia habent principium activum, & multa defactò movent transeuntèr.

Opponitur Authoritas Doctoris 2. d. 2. q. 10. n. 9. ubi expresè docet: *Motum non esse naturalem ex hoc, quòd res mota habeat principium activum in se, sed solùm, quòd mobile habeat principium naturalis inclinationis passivum*, similia habet in quarto & alibi; ergò ex hoc sequitur, tantummodò principium passivum esse naturam. R. Doctorem tantùm velle, quòd non ita principalitèr possit colligi natura ex principio activo, quàm ex passivo, quàmvis ex utroq; benè colligatur. Quòd si tamen quis urgere vellet, Scotum loqui simplicitèr, cum exclusione principii activi, tunc respondeo, Doctorem excludere principium activum transeuntèr, non verò immanentèr activum. VIII. *Opponitur & explicatur Doctor.*

Instatur: Omne principium activum est transeuntèr activum, ergò: probatur ant. quia omne principium activum est externum, sed quod est externum alteri, transeuntèr se habet ad illud, ergò. R. negando ant. quia aqua, dum se reducit ad pristinum frigus, reverà non agit transeuntèr, sed immanenter; ad probationem ergò antecedentis distinguo ma. Omne principium activum est externum, respectu effectûs producti, transeat: respectu rei naturalis, nego ma. quia respectu hujus est ipsi intrinsecum.

Urgetur: Motus nullum dicit respectum ad agens, sive sit intrinsecum, sive extrinsecum, ergò: probatur ant. quia motus solummodò dicit respectum ad materiam, formam & privationem; ergò nullum dicit ad agens, alioquin quatuor deberet habere principia mutationis, ut ex dictis patet. R. dist. ant. Motus actualis non dicit respectum ad agens, transeat ant. mobilitas ipsa, nego ant. Itaquè, licèt agens ad formalitatem motûs actualis non pertineat, attamen ad ipsum spectat concomitantèr, quatenùs est principium formæ, actionis, passionis, subjecti & proprietatum rei naturalis.

QUÆSTIO III.

Quibus rebus competat ratio Naturæ?

Quamvis ex superiori quæstione sit facilè elicere, quibus ratio naturæ competat, utpotè cùm ii, qui principium passivum tantummodò admittunt, consequentèr loquantur, si dicant materiam solam esse naturam, ut Neoterici nonnulli perperàm Scoto affingunt; illi verò, qui naturam tantùm principium activum statuebant, materiam excludere debent à ratione principii, cùm hæc secundùm Aristotelem non sit activa. Asserentibus tamen, naturam involvere utrumque principium activum & passivum, non exiguæ restant solvendæ difficultates. An materiæ & formæ soli competat ratio naturæ, an verò etiam toti composito. Item, an omnibus omninò formis etiam spiritualibus, ut animæ; Deinde an etiam Angelis & ipsi Deo? quæ, ut ordinatè resolvam, Incipio ab imperfectioribus & ab iis, ad quæ negantèr me habeo. Unde I.

II. *Privationi non competit ratio naturæ.*

Dico 1. *Privationi non competit esse naturam.* Hæc est communissima & Ratio est facilis: Quia natura debet esse principium & causa rei, in quâ est, quia nec positivè influit in aliquem effectum, nèc principiat rem in facto esse, sed natura debet positivè influere, & principiare rem in facto esse; ergò privatio non est natura. Confirmatur, quia nulli per se, nec primò ineſt, sed tantùm per accidens: ergò. Sed

III. Dices: Aristoteles 1. Phys. t. 15. ait: Privationem esse naturam, ergò. R. Aristotelem velle, quòd sit natura, considerando eam sub ratione formali principii, non verò pro ente aliquo absoluto positivo, & fundamentalitèr accepto, ut dixi suprà parte prima.

IV. *Nec accidenti.*

Dico 2. *Accidens non est natura, prout de ea Philosophus agit.* Hæc etiam videtur esse extra controversiam. Et patet, nam postquàm definivisset naturam, subjungit t. 4. *hæc omnia esse substantias*, imò t. 5. ait: *Accidentia & passiones, non esse naturæ, aut habentia naturam, sed secundùm naturam*, id est naturæ convenientia. Deinde hìc definitur natura, ut potest esse objectum Physicæ, sed accidentia non ingrediuntur ad rationem formalem objecti *Physicæ*, ergò. Dixi tamen notantèr in Conclusione, *prout de ea agit Philosophus.* Quia si accidentia considerentur secundùm se, propriamq; essentiam constitutivam, tunc verè poterit ipsis competere ratio naturæ: nam eorum quidditas est causa, & principium motûs & quietis, primò & per se, respectu propriarum passionum & actionum illis correspondentium. Secundùm eandem veritatem

V. *Benè tamen Angelis.*

Dico 3. *Angeli sunt propriè natura secundùm se, licèt non Physicæ considerationis.* Hæc etiam non potest esse ambigua: & Probatur: Quia natura secundùm Physicam considerationem debet esse principium & causa motûs corporei, secundùm quantitatem, qualitatem & lationem, sed Angelus non potest habere hujusce modi motus, ergò: ma. est certa, minor etiam, consequentia est optima, quæ Confirmatur, quia, ut notavit Doctor, Aristoteles posuit Angelos planè immobiles & immutabiles. Quòd tamen secundùm se sint natura, Probatur: Quia ab eorum quidditate profluunt verè proprietates & passiones, & nova acquirunt sibi accidentia connaturalia, ut volitionis & intellectionis, motus locales, qui quàmvis videantur esse neutri, attamen, si motus cœlorum possunt dici naturales, & motus animalium, non videtur, quarè etiam Angelorum non deberent dici tales. Sed

VI. *Non tamen Deo.*

Dico 4. *Deus Optimus Maximus non est Natura.* Ratio in Promptu: Quia solus immobilis est, & immutabilis, ergò.

VII. Dices: Deus movetur ad intrà, in quantùm Divinas Personas producit: Sed R. Deum moveri ad productionem Divinarum Personarum, absq; mutabilitate cum propria sui constitutione.

Instabis: Deus movetur ad intrà per productionem, per quam non constituitur in esse Personæ, ut patet de Patre & Filio, respectu spirationis activæ. Sed quidquid sit, Dico tamen has productiones adhuc non esse motus, tum quia non sunt actus entis in potentia, prout in potentia, tum quia productiones illæ nihil constituunt in esse naturæ.

VIII. Conversa etiam ratio Objecti.

Dico 5. *Quæcunq; materia & forma materialis est natura.* Ita D. 2. d. 15. D. Thomas, Estq; Aristotelis 2. Phys. t. 10. & 5. Met. 5. dividentis naturam in materiam & formam.

Probatur Conclusio: Quia omnibus competere debet ratio naturæ, quæ possunt constituere ens naturale, sed materia & forma constituunt ens naturale; ergò ipsis competit ratio naturæ. Confirmatur: Quia materia & forma sunt principia motûs & quietis; ergò sunt naturæ; patet ant. quia materia est principium receptivum motûs naturalis, & forma habet recipiendi virtutem in composito, & etiam virtutem agendi. Sed in contrà

II. Argumentum.

Arguitur: Probando materiam non esse naturam. Ex Authoritate Aristotelis 5. Metaph. cap. 4. ubi ait: Solam formam esse naturam propriè, cætera verò tantùm metaphoricè, *& materia quia est hujus formæ susceptiva*, sed quod est naturæ susceptivum, non est natura; ergò materia non est natura: probatur minor: quia quod est in potentia ad aliquid simile, non est ipsum tale, nam, ut docet 2. Phys. cap. 1. *Quod potestate caro est, aut os, suam priùs naturam non habet, antequàm formam, quæ ejus ratio est, acceperit*: ergò. R. Aristotelem tantùm velle, formam solam dici naturam principalitèr, & ob majorem perfectionem ex eo, quòd sit activa, unde benè dicit, materiam non esse naturam tàm principalem: quia est tantùm susceptiva, unde cap. 1. t. 12. ait: Atqui hæc magis natura est quàm materies: unumquodque enim magis dicitur cùm est actu, quàm cùm potentiâ. Quarè ad probationem dico, quòd Aristoteles ibi tantùm loquatur & velit ante formam non esse naturam adæquatam, licèt non neget esse inadæquatam.

Instatur: Illud solùm est natura, per quod ens naturale distinguitur ab artificiali, sed ens naturale per solam formam distinguitur ab artificiali; ergò forma sola est natura. R. negando mi. quia etiam entia naturalia in hoc distinguuntur ab artificialibus, quòd materia entis naturalis sit vel materia prima, vel aliquod substantiale incompletum, materia verò artificialium est solummodò materia secunda & ens completum, deinde materia naturalium etiam intrinsecè concurrit, non sic materia artificiatorum. Sed ob hoc

Urgetur: Materia artificiatorum non ingreditur constitutionem entis artificialis, sed sola forma; ergò etiam materia non ingreditur intrinsecè ad constitutionem entis naturalis, sed sola forma; ergò sola forma adhuc erit natura. R. negando consequentiam; Ratio disparitatis est, quia ars cùm accidens sit, petit subjectari saltem ultimatè in substantia, natura verò est substantia, adeoq; potest competere tàm formæ, quàm etiam subjecto ejus. Item ens artificiale nihil addit super substantiam, nisi

nisi solam formam accidentalem, & sic in illa forma accidentali tota ratio artis consistit, ens autèm naturale non constat solâ formâ, sed etiam materiâ, veluti ejus intrinseca comparte, ut dictum est suprà.

Arguitur secundò: Probando omnem formam materialem non esse naturam. Animæ brutorum & plantarum non sunt natura, sed illæ animæ sunt formæ materiales; ergò omnes formæ materiales non sunt natura: probatur ma. quibus competunt diversæ definitiones essentiales, competunt etiam diversæ essentiæ, sed definitio naturæ & animæ sunt diversæ, quia anima dicitur actus corporis organici & naturalis; ergò ipsa non est natura, alioquin esset natura rei naturatæ. Sed R. negando ma. ad cujus probationem dist. mi. sunt diversæ secundùm rationem specificam, concedo, secundùm rationem genericam, nego mi. & consequentiam. Itaq; licèt diverso modo definiatur anima & natura, ratio est, quia natura definitur in communi, secundùm quod est principium motûs & quietis in ordine ad operationes: anima verò definitur per ordinem ad constitutionem totius, unde non habent diversas definitiones, cùm non sint datæ secundùm idem, sed secundùm alium & alium respectum, nec hoc mirum est, quia etiam ratio generica definitur alio modo à specie, per hoc tamen non infertur, quòd secundùm se differat genus in se & in specie.

Instatur: Anima non habet operationes easdem, quas habet natura; ergò anima non est natura: probatur ant. quia anima non habet motus, quas habet natura, ergò: probatur ant. quia motus naturæ est uniformis, & ad unum determinatè tendit, sed animæ motus non est talis imò potiùs difformis & ad plura indifferens, ut patet, cùm nullum locum potiùs magis intendat præ alio. R. negando ant. cum sua prob. cujus prob. ant. dist. si motus in rigore naturalitatis consideretur, transeat, si accipiatur in ampliori acceptione, nego ant. & consequentiam, sufficit itaq; ad hoc, ut dicatur habere motum naturalem, quòd fiat ab intrinseco principio ad bonum proprium, vel totius ordinatum, quemadmodùm cœli dicuntur moveri naturaliter, licèt non moveantur determinatè ad unum, sed circulariter, & motu quodammodo neutro, eò, quòd habeant intrinsecam habitudinem, quàmvis motus non sit naturalis rigorosè, id est, ad unum determinatè.

Urgetur: Nullus motus potest esse naturalis naturalitate etiam in ampliori acceptione, qui est violentus, sed motus animæ est violentus, ergò: probatur mi. quia motus progressivus fit per elevationem pedum, qui ex gravitate naturaliter tendunt deorsùm, sed hoc est esse violentum cùm pedes, & totum fatigatur, quod tamen non contingeret, si esset naturalis. R. dist. mi. Est violentus, secundùm quid, transeat: absolutè, nego mi. & consequentiam. Itaque, licèt motus videatur violentus progressivus respectu corporis, non est tamen respectu animæ, penes quam attenditur naturalitas, tanquam penes potentiam principaliorem, unde quòd totum defatigetur, oritur ex eo, quòd pedes, & corpus impedimentum ponant, quàmvis se simplicitèr sit naturalis.

Dico 6. *Materia & forma non sunt natura singillatim sumptæ, benè tamen copulativè sumptæ, si verò singillatim sumantur, natura dici possunt inadæquatè.* Hæc non solet ita proponi communitèr à Scotistis, est tamen Baronis, qui putat Scotum nullo modo huic sententiæ contrariæ & XI. *Quomodo materia & forma sint naturæ.*

Probatur primò universalitèr: Natura, secundùm dicta superiùs debet esse principium motûs & quietis, tàm activum, quàm passivum, sed nec materia sola, nec forma sola possunt esse principium activum & passivum; ergò non possunt esse natura, si singillatim sumantur.

Probatur secundò: Specialitèr de materia: Motus, de quibus particularitèr agit Philosophus, quòd natura sit principium, sunt secundùm quantum, quale & ubi, sed horum motuum materia sola non est principium nec activum, nec passivum, non activum quidem, quia ipsa non est Physicè activa: nec passivum, quia isti motus non subjectantur in materia, secundùm Scotistas communitèr, sed in toto; Et dicere, quòd materia sit causa mediata istorum motuum, non solvit argumentum: natura debet esse causa primò & immediatè, non verò secundariò. Confirmatur: Natura debet esse principium motûs tantummodo naturalis, secundùm Adversarios, prout naturale opponitur violento, sed materia non est principium ullius motus naturalis, ergò: probatur minor, quia materiæ nihil est naturale, ut naturale opponitur violento, ergò: probatur ant. quia si aliquid esset ipsi sic naturale, deberet etiam ipsi aliquid esse violentum, nihil autèm ipsi est violentum, ergò.

Probatur tertiò, de forma: tum quia à sola forma non emanant proprietates & passiones, nam forma ignis non est calida, forma aquæ non est frigida &c. tum quia forma non est principium passivum, ergò.

Dico 7. Totum compositum est perfectissimè natura. Ita Ruvius, Oviedo, Baro &c. XII. *Totum est natura.*

Probatur primò: Authoritate Aristotelis 1. Phys. cap. 1. ubi ait: *Natura quidem sunt animalia, partesq; ipsorum & plantæ, & simplicia corpora, ut terra, ignis & aër, & aqua, hæc enim, & hujusmodi res naturas dicimus esse* & 5. Met. cap. 4. dicit: *Quare quæcunq; natura sunt, aut fiunt jam existente, ex quo apta sunt fieri aut esse, non-dum dicuntur naturam habere, si speciem & formam non habeant, natura igitur, quod ex ambobus his est, ut animalia & partes eorum.*

Probatur secundò Ratione: Tum quia illud est natura, quod est objectum Physices: tum quia eodem modo se habet Principium Metaphysicum & Physicum ad suas operationes & emanationes, sed principium emanationum Metaphysicarum non est aliquid unum; ergò nec Physicum: major patet: probatur mi. quia emanatio propriarum passionum non est ab aliqua una parte, sed ab utraque, exempli gratiâ: risibile in homine, non est à genere solo, aliàs deberent animalia bruta esse risibi-

risibilia; nec etiam à differentia sola, verbi gratiâ, rationali, alioquin Deus & Angeli deberent esse risibiles, quia sunt rationales, cùm tamen nec ipsa anima separata sit risibilis proximè, de quâ tamen

XIII. *Anima rationalis verè est natura.*

Dico 8. *Anima rationalis verè est natura.* Hæc, præterquàm quòd sit Aristotelis, est etiam expressè magni D. Augustini lib. de natura boni cap. 1. ubi hæc habet: *Omnis spiritus & omne corpus à Deo est, & hæc omnis facta natura, omnis quippe natura aut spiritus, aut corpus est.* Et consonat D. Bernardus suprà docens: *in morte hominis non fieri destructionem aliquam partium, sed naturarum cohærentium diremptionem.*

Probatur etiam Ratione: Tum quia anima rationalis est forma corporis, sed omnis forma est natura; ergò etiam anima rationalis: tum quia anima, ut sensitiva & vegetativa, est etiam rationalis, sed ut vegetativa & sensitiva est natura; ergò etiam ut rationalis. Tertiò: Anima est principium fletûs & risûs; ergò est natura, nec dicere potest aliquis, animam non esse immediatè principium, quia fletus certè æquè primò egreditur ab anima ac à corpore. Quartò: Anima est principium intellectionis & volitionis, sed hæ sunt veri motus, ergò. Deniq; Angeli in rei veritate sunt natura; ergò etiam animæ in eadem veritate & insuper secundùm definitionem datam, quia operationes animæ etiam intellectivæ & volitivæ sunt magis Physicæ, quàm angelorum, utpotè quæ pro præsenti statu dependent à phantasmatibus, rebus videlicet materialibus, qualiter non dependent angeli. Objectiones, quæ contra hanc & præteritam conclusionem adferri solent, non sunt magni momenti, & ex dictis facilè solvi possunt, contra priorem potissima est ex Aristotelis authoritate, qui in secundo Phyl. t. 12. ait: compositum quidem natura non est, sed est & constat naturâ, ut homo. Sed facilè respondetur: Compositum non esse naturam, quemadmodùm est materia & forma, sed esse ita naturam, ut etiam in se inclusas habeat naturas duas inadæquatas.

QUÆSTIO IV.

Quid sit ars, & quomodo à Natura differat?

1. Quandoquidem Ars *naturæ simia est*, imò *æmula*, quoniam solertissimâ imitatione proximè ad naturam accedit, ideò sibi hîc locum vendicat, ut de ea agatur, maximè cùm Aristoteles naturam sumpserit suprà, non modò, prout opponitur violentiæ, sed etiam prout opponitur arti. Potest autèm Ars multiplicitèr accipi: Primò prout omnes facultates, & scientias comprehendit: Secundò pro cognitione practica, verùm in his acceptionibus ad propositum nostrum non inseruit, prout autèm de ea agendum est, duplicitèr accipitur. Primò pro habitu intellectûs cum recta ratione factivo: à D. Augustino vocatur hic habitus lib. de immort. anim. cap. 4. *Multarum Rationum cœtus*, quem paulò infrà dicit: *non solùm esse in animo Artificis, sed etiam nusquam esse nisi in animo artificis.*

Ars multiplicitèr sumitur.

Secundò accipitur Ars pro illa forma, quæ ab Artifice, secundùm Regulas artis in materiam subjectam introducta est, ut forma vel figura hominis, vel leonis in lignis, lapide, metallo &c. & de hac arte ait Arist. 12. Met. 24. sanitatem & domum ad extrà fieri ex sanitate & domo in mente, & D. Augustinus tract. 1. in Joannem: *Attendite ergò Arcam in arte & arcam in opere*: & lib. 1. Gen. contra Manichæos cap. 8. *Quod videt Artifex in Arte, hoc foris probat in opere.* Et hæc ars omnibus obvia est, ut potissimùm collaudetur & extollatur, cùm tamen plerosque lateat, quidnam sit artificialitas artefactorum, puta cultri, domûs, statuæ, ut patet ex sententiarum diversitate. Nam Nominales, post Occhamum, & cum ipsis Recentiores plurimi asserunt, formam artificialem nullo modo distingui à parte rei ab ente naturali, unde dicunt picturam nihil esse, præter colores & eorum ubicationem, statuam nihil esse, præter lignum vel lapidem, præter partium superfluarum & impedientium ablationem, quibus sublatis statim sine ulla additione remanet forma hominis vel leonis, ita quòd aliqui insuper putent, tales formas actualiter præfuisse in materia, sed per partes illas superfluas fuisse copertam, ita Auctor sex Principiorum. Econtrà verò reales docent, formam artificialem esse accidens reale absolutum, de quarta specie, qualitatis industriâ Artificis introductum, ab ente naturali distinctum. Verùmtamen supponendo artem esse aliquid, utpotè cùm per artificem producatur, si enim nihil esset, sic produci nequiret, imò si nihil esset, non deberet esse difficultas in productione artefactorum, & frustra diceretur imitari naturam, quod enim nihil est, nihil imitatur. Hoc inquam supposito.

II. *Ars in ubicatione consistit.*

Dico 1. *Ars, seu forma Artificialis non consistit in ubicationibus.* Hæc est contra primam sententiam & opinionem.

Probatur primò: Quia potest vera statua & imago fieri sine ulla prorsus mutatione ubicationis materiæ unde fit; ergò forma artificialis non consistit in ubicatione, quia si in antro & lapide aliquo montis sculperetur figura leonis, esset vera forma artificialis, & tamen nulla ibi esset variatio ubicationis, cùm iisdem partibus spatii, forma corresponderet, quibus correspondebat anteà, ergò.

Probatur secundò Ex multis inconvenientiis: Quia si forma artificialis consisteret in ubicationibus, sequeretur, quòd si aliquis portaret de loco in locum, & fortè de uno loco in oppositum, quòd variaret & mutaret statuam, sed hoc est inconvenientissimum dicere, ergò: probatur tamen sequela, quia si aliquis portaret statuam beatæ Virginis de Ecclesia ad formam & Nundinas, sequeretur, quòd non esset eadem, si aliquis de terra collocaret in summitate & pinaculo templi, quod non esset eadem, quia non essent eadem ubicatione, sed omninò oppositæ & specie diversæ. Item sequeretur, quòd bruta Animalia & venti, ac alia possent pingere & sculpere, sed hoc est planè absurdum & incredibile dictu, cùm asinus non sit ad lyram, minus ad picturam, ergò: probatur tamen sequela: Quia asinus, & quælibet alia

alia animantia, ac venti possunt unam statuam transferre de uno loco in locum alium, sed in tali casu variaret ubicationes; ergò variaret etiam figuras, & sic Effigies Helenæ ab Apelle depicta, jam esset pictura Asini, patet quoque, quòd venti moveant sedilia, projiciant imagines, dejiciant statuas, nemo tamen dicet, quòd easdem faciant. Et dicere, Physicè sic quidem esse, quàmvis in morali æstimatione censeantur eadem, est planè subscribere & manum præbere ad tàm incredibilia absurda, ita, ut ulteriori impugnatione opus non sit, cùm vix ad majora absurda quis adigi posse videatur, quàm dicere, quòd bajulans Cæsaris statuam, sculpat, & Asinus portans Minervam, pingat &c. cùm ad pingendum Ars requiratur, non verò ad bajulandum. Et absurdiùs adhuc est, quod docet Author sex Princip. quasi verò illæ figuræ, secundùm se, omnes præfuissent; nam sequeretur, quòd forma Angeli & diaboli, hominis & serpentis, piscis & aquilæ fuerint simul & semel in eadem materia, cùm ex eadem omnes istæ figuræ & formæ sculpi possint.

III. Non est qualitas.

Dico 2. *Ars, seu forma artificialis non est accidens absolutum aliquod de genere qualitatis.* Hæc est contra Parisienses & Reales communitèr. Sed Probatur: Tum quia, si ars esset aliqua qualitas, sequeretur, quòd toties, quoties aliquis ceram manibus contrectaret & complicaret, novam produceret qualitatem absolutam, quod videtur inconveniens: tum quia non est assignabile, quomodo illa nova qualitas producta in subjecto inhæreret, quia non posset dici, quòd esset tota in toto, & tota in qualibet parte, utpotè cùm esset materialis, & nulla qualitas materialis sic in subjecto recipi potest: nec posset esse etiam pars in parte divisibilitèr, quia alioquin deberet una pars, tàm benè esse denominata figurata, ac alia, quemadmodùm quælibet pars, in quâ est albedo, dicitur alba, & sic si totum esset artificiatum triangulare, quælibet pars deberet etiam dici triangularis. Dicere autèm partes esse heterogeneas, merum est effugium.

IV. Ibi est relatio proportionis.

Dico 3. *Ars, seu forma artificialis est relatio quædam ordinis & proportionis partium naturalium ad se invicem.* Ita Doctor 4. d. 12. q. 4. ubi ait: *Figuram ultro quantitatem non dicere nisi relationem partium ad se invicem vel terminorum includentium partes.* Probatur, tum ex refutatione aliarum sententiarum: tum, quia experientiâ constat, quòd ens artificiale fiat ex eo, quòd hunc novum respectum acquirat, nam cathedra nihil aliud est, nisi combinatio plurium lignorum, quorum unum directè, alterum obliquum, tertium sic, quartum verò sic collocetur, sed in tali nova combinatione nihil aliud resultat, quàm partium ad se invicem proportio & ordo; ergò in tali consistit ratio artificii. Confirmatur, quia possunt omnes partes haberi absque eo, quòd habeatur artificium, ut patet de domo; ergò artificium consistit in tali partium ad se invicem ordine & proportione. Contra hanc Conclusionem nihil potiùs objici potest, quàm quòd sequeretur motûs principium posse esse artem. Verùm nihil urget, quia, ut mox dicam, non est principium motûs simplicitèr, sed tantùm secundùm quid, id est velocioris. Et hæc puto sufficere pro prima parte tituli, pro secunda brevitèr expedienda Resolvo &

V. *Ars in quantum habitus multis modis differt à natura.*

Dico 4. *Artem, in quantùm est habitus, differre & convenire cum natura in multis.* Patet: in primis etenim differt, quòd natura sit substantia, Ars habitus accidentalis & accidens: quòd natura conveniat cum re naturalitèr producta in esse reali, ars verò cum re artificiali tantùm in esse objectivo: Item quòd natura sit principium Physicum rerum naturalium; ars verò sit tantùm principium per directionem non autèm per efficientiam. Econtrà verò conveniunt inter se, quia utraque supponit materiam in quam agit, utraque procedit ab imperfectioribus ad perfectiora, unde dicitur: *Nihil simul inventum est, & perfectum.* Item utraque non agit casualitèr, sed certis quibusdam regulis juxta illud: *Opus naturæ, opus est intelligentiæ.* Denique utraque est imitatrix: Natura imitatur artem divinam, ut vocatur, puta ideam operis faciendi, ars verò imitatur naturam, ut eò magis æstimentur artefacta, quò viciniùs accedunt ad naturam, eam exprimendo.

VI. Ars prout est forma artificialis, à natura multiplicitèr differt, naturalia etenim habeant quâ talia internum principium motûs, artificialia verò non; quia forma artificialis non est principium motûs, nec obstat, quòd figura quadrata faciat motum tardum, pyramidalis verò velocem, & quòd multa artificialia seipsis moveantur, ut horologia &c. quia forma artis non est causa per se istius motûs, sed natura, unde causa tantùm est motûs, secundùm quid, tardioris videlicet & velocioris, in quantum scilicet ars naturam modificat, quarè se potiùs habet per modum conditionis, imò frequentèr nec positivè causat motum secundùm quid, sed tantùm negativè, ut patet de forma coni vel pyramidali, quæ tantùm naturæ præstat, ut aër minùs resistat; horologiis verò & similibus pondus naturalitèr contemperatur per rotulas & occultas machinationes. Secundò differunt, quia formæ artificiales sunt tantùm in superficie, naturales verò intrinsecæ. Tertiò materia prima naturalitèr inclinatur ad formas naturales, ars verò non nisi neutralitèr. Quartò materia naturalium est quid incompletum, artificialium verò est essentialitèr completa. Quintò materia & forma naturalium faciunt unum per se, artificialium verò non.

QUÆSTIO V.

An & quæ opera Naturæ possit Ars efficere?

I. Hæc Quæstio non modò utilis est, sed & simul curiosa & jucunda, ac insuper necessaria, nam frequentissimè sub pelle ovina ingrediuntur lupi rapaces, qui se se jactitant per scientias naturalitèr acquisitas industriâ & labore mira & maxima posse efficere portenta, cùm tamen totum fiat per illusionem & artem magicam, non naturalem, quæ bona sanè est, sed diabolicam & omnibus summè execrabilem.

Quantùm ergò ad primam partem tituli quæritur, an ars possit efficere naturæ opera, & quænam sint illa? Pro quibus resolvendis

II. *Magia est duplex.*

Notandum primò: Artem, quæ opera naturæ videtur posse facere, vocari magiam, quæ duplex est, naturalis & diabolica. Magia naturalis, quæ etiam Philosophiæ naturalis consummatio appellatur, scientia est, quæ docet rerum naturalium adminiculo, & earum mutuâ opportunâ ac proportionatâ applicatione, secundùm qualitatem, quantitatem, in numero & mensura efficere opera captum vulgi excedentia, ut admirationem pariant, & miracula quodammodò censeantur, quæ proinde etiam quàm maximè viguit in Ægypto, Æthiophia, India, ubi maximè erant facultates herbarum, lapidum, animantium, astrorum influxum naturam explicantes, ita ut Plotinus dicat, magnum esse naturæ ministrum, non Artificem. Magia diabolica est Ars similitèr mirabilium factiva, ope & auxilio dœmonis per pactum implicitum, vel explicitum acquisita, estq; multiplex, nam alia est malefica, alia præstigiaria, alia ariolatio, seu divinativa, ac observantia, seu superstitio, quæ iterum in plurimas subdividuntur species, maximè ex materia, circa quam versantur, omitto huc adferre, cùm eam sibi Theologi vendicent de peccatis agentes. Pro præsenti exigentia

III. *Applicatio rerum fit secundùm sympathiam & antipathiam.*

Notandum secundò: Rerum mutuam & opportunam ad se invicem applicationem maximè oriri posse ex rerum antipathia & sympathia, quæ nomina Græca sunt, & sonant idem, quod compassio, magisq; tamen propriè loquendo nihil aliud sunt, quàm consensus, quo aliqua mutuo & occulto fœdere sociantur & devincuntur, & dissensus, quo aliqua sibi ipsis infesta sunt, & cœcis laborant discordiis, hinc est, quod Empedocles dixerit: omnia per litem & concordiam fieri: hujus autem consensûs & dissensûs rationem à priori dare, hic labor & opus est, optima mihi videtur, quam Scotus frequentèr adhibet, si ab ipso quæratur, quarè hoc vel illud tale sit, nempe *quia hoc hoc est, & illud est illud*, ut præclarè dixerit Theophrastus: *Qui de omnibus rationem quærit, simul cum ratione scientiam tollit*, & Alexander ait: *Multa esse, quorum nulla ratio reddi potest.* Et Divus Augustinus lib 21. de Civit. cap. 7. enumerans varias sympathicas & magneticas operationes, ait: *Hæc de cæteris quàm plurimis, quæ piget retexere, quibus licèt vis insolita, & contra naturam ineſſe videatur, alia tamen de illis non redditur ratio, nisi ut dicatur, hanc eorum esse naturam. Brevis sanè ista est ratio, fateor, sufficiensq; responsio.* Nihilominùs quia videtur aliqualitèr indecorum Philosopho naturali nullam adhibere rationem, ideò dico, sympathias & antipathias maximè oriri posse ex diverso & simili astrorum influxu, nam quemadmodùm astra ipsa quædam inter se magnam habent amicitiam, quædam magnam discordiam secundùm elevationem, convinctionem & domorum oppositionem, ita etiam diversos operantur effectus in sublunaribus, & hoc quàm maximè patet in Venere, quæ est amica marti, cùm tamen cæteri Planetæ eam, quàm maximè aversentur, ècontrà verò Saturnum maximè odit, & sic de aliis, quarè in hominibus & aliis animantibus similes causant operationes, ut contingat, quòd duo sese invicem amare & diligere incipiant absque eo, quod se antecedentèr noverint, ècontrà verò alias odio habeant, etiamsi nunquam ab eis læsi, imò licèt servitio placare & omnibus modis reconciliare se studeant, frustra laborent, cùm tamen ex alia parte lacessentibus vix offendi valeant; varias & miras sympathicas operationes tradunt passim Authores, ego maneo in Generalioribus &

Dico 1. *Ars de se non potest facere opera naturæ, benè tamen directivè, nempe applicando activa passivis.* Hæc est communis & II. *Ars quo do pos- sit ope- rari.*

Probatur, quoad primam partem, quia ars sive consideretur, ut habitus, sive consideretur, ut forma artificialis, non est activa & productiva operum naturalium, quia utrumque est purum accidens, unum respectivum, & licèt alterum absolutum sit, nihilominùs de se non potest attingere effectum aliquem naturalem, qui est multò perfectior, quàm ipsa sit. Quoad alteram partem est Divi Augustini 3. de Trinit. cap. 9. ubi ait: *Multi homines noverunt, ex quibus herbis, aut carnibus, aut quarumcunque rerum quibuslibet succis, aut humoribus, vel ita positis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, quæ animalia nasci soleant. Quid ergò mirum, si quemadmodùm potest nosse quilibet nequissimus homo, unde illi vel illi vermes nascantur, ita mali angeli pro subtilitate sensûs in occultioribus elementorum seminibus norunt, undè ranæ, serpentesquè nascantur*, & paulò infrà subdit: *Adhibere forinsecus causas accidentes, quæ tametsi non sunt naturales* (internæ) *tamen secundùm naturam adhibentur, ut ea, quæ secreto naturæ sinu abdita continentur, erumpant & foris creentur* (id est producantur) *quodammodò explicando mensuras & numeros, & pondera sua, quæ in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in mensura, & numero & pondere disposuit, non solùm mali angeli, sed & mali homines possunt.* Similia habet in Genesi lit. lib. 8. cap. 8. in Quæstionibus supra Exodum, & alibi.

Probatur secundò: Multis experientiis, quia, si herba basilica conteratur minutissimè, & inter duos lateres contrita in loco humido reponatur, convertitur in scorpionem, si fetæ caudæ equinæ suffodiantur in subputridam & fimosam aquam, post breve temporis spatium convertuntur in vermes oblongos, utràque extremitate caput habentes, similitèr si anas comburatur, & pulvis illius in loco humido inter patinas asservetur, maxima generatur rana. Addè quòd sine Gallinæ incubitu, ex ovo generari possit pullus, si in hominis sinu debitè foveatur. Item ex capillis menstruatæ fœminæ generantur vermes, & ex ipso menstruo ranæ si in fimo absondantur, est namque fimus pro generatione similium aptissimus, nam ut ait Joannes Porta: *Est namque naturalis*

naturali calori similimus, nec spernendam retinet putrefactionis vim mirabilium rerum parens, totq; genera animalium ex putrefactione proveniunt, quot ea, quæ putrefiunt, ubi etiam docet, ovum excludi posse sine matris incubitu, si infimum includatur, & singulis senis diebus novum apponatur, & plurima alia, quæ videri possunt apud ipsum: interim

V. Posse fieri aurum.

Dico 2. *Non implicat, posse fieri aurum verum per eandem applicationem activorum ad passiva.* Hæc est Chymicorum, & plurium Philosophorum. Et

Probatur: Quia possunt homines applicando activa passivis producere viventia; ergò etiam possunt producere aurum, probatur consequentia, ex illo communi axiomate; In rebus sibi subordinatis, & ejusdem rationis, qui potest facere illud, quod majus est, potest etiam, quod minus, sed majus est, facere viventia, cùm omne vivens, quàmvis minutissimum, sit multò perfectius, quàm quodcunque non vivens maximum, sed &c. ergò. Confirmatur: Quia saltem angeli, sive boni, sive mali, optimè nôrunt, Auri temperamentum, & quæ influentiæ ad illius productionem requirantur; ergò possunt hoc etiam aliis manifestare, & consequentèr non implicat, quo minùs per artem possit confici aurum. Attamen

VI. Fatear nullum adhuc hoc fecisse.

Dico 3. *Quodammodò certum esse, nullum adhuc extitisse, qui verum & proprium aurum per artem confecisset.* Hæc est contra Chymicos D. Thomæ 2. d. 7. q. 3. qui etiam ait, nec quidem fieri posse. Sed

Probatur: Quidquid hactenùs per artem chymicam productum fuit, nunquam verè fuit aurum, ergò: probatur ant. quia non potest jactitari verum aurum, cui non competunt omnes proprietates auri, sed massis à chymicis productis non competit auri proprietatum collectio, ergò: probatur mi. nam imprimis non habet vim mendicandi, sicut habet aurum verum: deinde dicitur, quòd non sit ductile in laminas: Iterum colorem non habet inamissibilem. Denique est aurum, quod per ignem probari nequit, nam ut asserunt nonnulli: non potest vim ignis, & calidarum aquarum sustinere: ergò non convenit auro chymico, quod habet aurum verum. Confirmatur: Illud non est aurum verum, quod in humanis comerciis, sine fraude, exponi nequit, sed aurum chymicum est tale, ergò: probatur mi. quia Joannes 22. præterquàm quòd hanc artem damnaverit eò, quòd facilè subrepat implicitum pactum, & familiaritas dœmonum, & multi in perniciem Reipublicæ in summam paupertatem redacti fuerint, obligavit omnes obtrudentes aurum chymicum pro auro vero ad restitutionem.

VII. Investigatio per eandem non damnanda.

Dico 4. *Investigatio auri per virgam corili bissidam, si superstitiosis careat cæremoniis in abscissione & tentione, damnanda non est.* Hanc sic propositam puto tutissimam, &

Probatur: Quia etiam in lapidibus plurimæ sunt similes magneticæ operationes, nam de aliquo legitur, quòd fures prodat, alii flumina & tempestates sistunt, alius sitim extinguit, alii morbos pellunt, alii ad imminentia pericula immutantur & expallescunt, alii alia operantur; ergò etiam non implicat, quin sit in corilo occulta vis, & virtus magnetica ad demonstrandum latens aurum, nam ut ait D. Aug. lib. 21. de Civit. cap. 7. sicut de calce quæ fervet in aqua, in oleo frigida est; de magnete lapide, quòd nescio, quâ sorbitione insensibili stipulam non moveat, & ferrum rapiat; de carne non putrescente pavonis, cùm tamen putruerit Platonis: de palea sic frigescente, ut fluescere nivem non sinat, sic calente, ut matureſcere compellat poma &c. aliud dici nequit, nisi hanc eorum esse naturam. Dixi, *si superstitiosis careat cæremoniis in abscisione & tentione*, quia si quis eam virgam abscindere deberet in aliquo sancto die, ex eo præcisè, quia dies sanctus est, nudo corpore, circulo facto, aversâ facie, &c. omninò puto illicitam esse similem investigationem, si tamen requiratur, quòd abscindatur certo tempore, certa horâ etiam certis minutis, non est superstitiosum, nam patet, quòd etiam ligna certis diebus cædi debeant, ut iterum crescant & certis, ut radicitùs extirpentur, quia humores certi non sunt, nisi certis temporibus, & certis astrorum influxibus, quos observare nihil est bonis moribus contrarium. Quòd autèm certo modo teneri debeat, præterquàm, quòd dicatur, id solummodò fieri ad faciliorem detentionem virgæ illius, non verò quòd de ratione necessaria sit, potest etiam excusari, nam acus compassi, non nisi certo modo attactæ in magnete rectè Septentrionem aspiciunt, si verò contrario modo terantur, nequaquam eundem præstant motum, & licèt hoc non sufficeret, puto sufficere, quòd se possit quilibet accommodare sententiæ & opinioni tot Authorum, etiam piorum sic sentientium. Hinc

VIII. *Signa quando non fiunt naturaliter.*

Dico 5. *In quibuscunq; operationibus producentibus effectus miros, adhibentur cæremoniæ inutiles sessionis, stationis, nuditatis, elevationis manuum, membrorum, respectionis ad certam mundi partem, verba, signa, & characteres peregrini nullam connexionem Physicam habentibus, non fiunt magia naturali, sed diabolica.*

Probatur: Quia magia naturalis nihil aliud requirit, quàm ut activa passivis debitè & opportuno modo applicentur, sed illæ cæremoniæ nihil conferunt ad opportunam applicationem, quia sessio, statio, adversa & aversa facies, non videntur addere aliquam vim activam, nec ullam habent connexionem, sicut nec verba, & characteres peregrini, ergò. Idem dicito de omnibus aliis, quæ Physicam & naturalem connexionem non videntur habere, ut si quis levitèr flando omnes feras aperiret, lac fustigaret, ut vacca fœcunda & lactifera efficiatur, si ad cognoscenda abdita quæcunq; alibi fieri, etiam in occultis & distantissimis locis speculum tantummodò inspiciat, vel inverso modo aspiciat. Dixi, *si Physicam connexionem non habeant*, per quod tamen non reprobo ea, quæ habent connexionem moralem, ut contingit in sacris cæremoniis Ecclesiasticis, quarum intuitu Deus concurrit ad producendos miros effectus, sicut etiam piè adhibentur sacra nomina, sacræ imagines, sacræq; reliquiæ, nisi eadem in non

debitum usum ex pacto implicito vel explicito adhibeantur, ut etiam fieri solet cum ipsa Sacro Sancta Eucharistia. Itaque ulteriùs

IX. *Angelus malus non potest immutare bestias & homines.*

Dico 6. *Angelus malus non potest mutare bestias in homines & homines in bestias.* Hæc est doctrina magni Divi Augustini lib. 18. Civit. cap. 16. ubi hæc habet: *Non itaq; animum, sed nec corpus quidem ullâ ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasticum hominis, & cùm corpus non sit, corporum tamen similes miraceleritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse produci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multò gravius atq; vehementiùs, quàm somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisq; homo etiam sibi videatur, sicut talia sibi videri possit in somnis, & portare onera, quæ onera si vera sint, portantur a dæmonibus, ut illudatur hominibus partim vera onerum corpora, partim jumentorum, falsa cernentibus.* En doctrinam pulcherrimam, quâ non solùm negat Diabolum immutare posse corpora, sed solummodò illis illudere, & phantastica subtituere impressis fortitèr speciebus ac si homines verè sub tali specie fuerint, & talia onera fecerint: ex quo etiam infero, sagas nostras non transportari sic, nec se immutare in varias formas & figuras, sed solùm penes viros in lectis & stragulis dormientibus illudit, & tales species in somnis repræsentat, ac si verè in tali vel tali loco fuerint, talia vel talia egerint, equitaverint, per aërem volaverint, in arboribus saltaverint, solemnibus conviviis interfuerint, vacuo stomacho & appetitu aucto.

Probatur secundò: Ex Concilio Ancyrano, quod sic habet de sagis & maleficis mulieribus: *Quòd quædam sceleratæ mulieres Dæmonum illusionibus seductæ, nocturnis horis, cum innumera multitudine mulierum credunt se equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia pertransire, quæ falsa opinione deceptæ, vera esse credunt, & credendo a recta via deviant. Ideò sacerdotes per Ecclesias commissas sibi populo prædicare debent, hæc omninò esse falsa, & a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari: Siquidem Satanas transfigurat se in angelum lucis, & cùm mentem cujusq; mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illicò transformat se in diversarum personarum species, atq; similitudines & mentem, quam captivam tenet, in somniis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, & per devia quæq; deducit, & cùm solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore opinatur evenire.* Verba certè clara sunt, ut aliam non patiantur, nisi quam præ se ferunt, explicationem. Ideò

Probatur tertiò, ratione: Tum quia Diabolus nequit unum corpus replicare in duobus locis, nec duas quantitates, ut se penetrent; ergò nequit facere, quòd corpora hominum mutentur in corpora bestiarum & è contrà: probatur consequentia, plùs est convertere homines in bestias & bestias in homines, quàm ponere unum corpus in duobus locis, & quòd duæ quantitates sese penetrent; ergò si nequit facere primum, quod est assumptum, nec poterit secundum, quod est illatum: tota vis argumenti consistit in probando antecedente, quod sic præsto: In tali transmutatione Diabolus necessariò deberet vel destruere speciem & formam priorem hominis, vel cum illa componere formam posteriorem bestiæ: Si dicatur secundum, sequitur, Diabolum posse duas formas ponere simul in eadem materia: si dicatur primum, veram faciet transsubstantiationem, imò si prior forma hominis & corporis est destructa; ergò eam reproducendo veram faciet resurrectionem, & sic consequentèr posset dœmon suscitare mortuos, quæ omnia Opera sunt, quæ Dominus operatur solus. Pro majori hujus doctrinæ elucidatione placuit mihi ex Divo Augustino subnectere aliquas historias in terminis, cum solutione ejusdem Sancti Doctoris quorundam sic factorum, spero legenti rem futuram non ingratam. Itaque cap. 16. cit. suprà sic narrat: *Nam quidam nomine Præstantius, Patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud per caseum in domo sua sumeret* (alibi narravit etiam in Italia fuisse fœminas, quæ per caseum, venenum viatoribus darent, quo accepto & poto in bestias versi fuerunt, & operâ perfunctâ iterum rediisse ad priorem statum) *& jaceret in lecto suo, quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari, post aliquot autem dies, cùm veluti evigilasset, dicebat & quasi somnia narrasset, quæ passus esset, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur Retica, quoniam ad retia deportatur, quod ita, ut narravit, factum fuisse compertum est, quæ tamen ei sua somnia videbantur. Iudicavit & alius se domi suæ per noctem, antequàm requiesceret, vidisse ad se quendam venientem Philosophum sibi notissimum, sibiq; exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus, exponere noluisset. Et cùm ab eodem Philosopho quæsitum fuisset, cur in domo ejus fecerit, quod in domo sua petenti negaverat? Non feci, inquit, sed me fecisse somniavi. Ac per hoc alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis. Hæc ad nos non quibuscunq; qualibus credere putaremus indignum, sed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non existimaremus fuisse mentitos. Proinde quòd homines dicuntur, mandatumq; est literis, a diis vel potiùs a Dæmonibus, Arcades in lupos solere converti, & quòd carminibus Circe socios mutavit Ulyssis, secundùm istum modum mihi videtur fieri potuisse, quem dixi, si tamen factum est. Diomedeas autem volucres* (dicuntur tales ex eo, quòd Diomedis socii perhibeantur in eas conversi, qui Græcis blandiuntur in Apulia ad Garganum montem, alienigenas verò persequuntur) *quandoquidem genus earum per successionem pro paginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factos, sed subtractis credo fecisse suppositos, sicut cervam pro Iphigenia, Agamemnonis filia. Neq; enim Dæmonibus judicio Dei permisso hujusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt, sed quia illa Virgo viva post modum reperta est, suppositam pro illa cervam esse, facile cognitum est. Socii verò Diomedis, quia nusquam subitò comparuerunt, & post modum nullo loco apparuerunt, potentibus eos angelis malis, in eas aves, quæ pro illis occulte ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perductæ sunt, ac repente suppositæ, creduntur esse conversi. Quòd autem Diomedis in templum aquam*

nostris

nostris afferunt & aspergunt, & quòd blandiuntur Græcigenis, alienigenas persequuntur, mirandum non est, fieri dæmonum instinctu &c. Et aliis in locis similia plura habet, quæ diabolis facere posse concedit Deus, ad fallendum fallaces, vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent. Sed pro Complemento hujus quæstionis

Quæres: Quibus modis ergò operetur dæmon tàm mira & rara? R. Eum id facere primò per summam velocitatem & celeritatem, motumque localem, per quem de loco in locum transfert res insperatas & insolitas, ut rosas in hyeme, botros in vere, nives in æstate &c. secundò, potissimùm per illusionem phantasticam, quam facit per ejus turbationem, & variarum specierum productionem, item ex colorum & luminis artificiosa commixtione, ut sagarum sunt convivia, si tamen ad locum simul aliquem comportentur, quod fieri posse quidem non implicat, nam scitur, hunc mille artificem columnam Româ Pragam detulisse, nunc & de facto puto, sicut suprà dixi, magis fieri per illusiones, & hoc patet inde, cùm viris accumbant in lectis, & alibi choreas ducere nequeunt, nisi replicentur, quod dæmonum virtuti negatum est absolutè; tertium denique artificium est applicatio activorum passivis.

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

Quàm pulchrum, jucundum, & utile sit de causis agere, ex eo patet, quòd nihil frequentiùs, tàm in Philosophia, quàm Theologia audiatur, quàm causarum cum effectibus dependentia, causandi modus, prioritas, subordinatio &c. ut proinde ipse D. Augustinus in Enchridio cap. 15. tritum illum versum Virgilii Georgicorum 2. recommendet, dicens: Quæ cùm ita sint, quando nobis maronis ille versus placet. Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas, *quarè etiam materiam subsequentem de causis non modò in communi, sed etiam in particulari sedulò & animosè pertractandam censeo. Sit igitur*

QUÆSTIO I.

Quid sit causa, & quæ ejus causalitas?

I. *Aristoteles non definivit causam.*

Aristoteles magis supposuit definitionem causæ, quàm aliquam tradiderit, utpotè tempore illo, cùm omnis abesset difficultandi ratio, quæ nobis tamen fide innotuit, quà credimus generationem verbi in Divinis, in quam Pater verè influxit gignendo ejus personalitatem, & tamen neque Patri æterno nomen causæ, neque Filio nomen effectûs tribuere volunt Sancti Patres, Latini præcipuè existimantes per effectum naturam limitatam, finitam, & aliquando incipientem significari, quarè onus incumbit Philosopho Christiano, ita definire causam in communi, ut nec Patri æterno definitio causæ conveniat, nec Filio definitio effectûs; Circa quam materiam varii diverfimodè opinantur & frequentèr plùs nominetenùs discrepant, quàm in re: Baro existimans, non posse unam omnibus placentem afferri, assignavit quatuor, attamen non multùm inter se differunt, igitur ad quæstionis p. p.

II. *Definitur causa creata.*

Dico I. *Causa creata in communi describitur, quòd sit principium per se positivè influens in aliud defectibiliter.* Hanc bonam esse explicando probo: Dicitur itaque *Principium*, quod rationem generis habet, & convenit latiùs pluribus, quàm causæ, nam ad principium sufficit, quòd principiatum dicat intrinsecam habitudinem aliquam, ut possit dici ab illo oriri, sic Pater in Divinis dicitur principium Filii, non causa, sic etiam privatio rei naturalis est principium, non tamen causa &c. dicitur, *Per se*, per quam particulam excluduntur causæ per accidens, ut cùm Musicus est Architectus, per accidens enim est, quòd sit Musicus, nec Musica concurrit ad ædificandam domum, ut dicat Aristoteles *Musicus per accidens ædificat.* Item excluduntur conditiones, quæ vel necessariò requiruntur ad causandum, vel ad facilius, ut sunt approximatio &c. quæ tantùm concomitanter se habent, ponitur *positivè*, ad excludendam generationem, quæ neque in generationem positivè, nec in rem genitam *influit*: per *Tò influens* autèm intelligo idem, quod dans & communicans esse, per influxum vero, accipe tàm Physicum quàm moralem & metaphoricum, ut comprehendas etiam causam finalem: dicitur *Esse in aliud*, ad denotandum, quòd illud, quod est causatum, in natura & essentia debeat esse distinctum à causa, per quod excluditur generatio verbi in Divinis, quia verbum æternum non accepit per eam essentiam & naturam distinctam à Patre, quod etiam ordinariè importat *Tò aliud* neutraliter sumptum, unde etiam Concilia Ephesinum, Toletanum, & Lateranense cap. *Damnamus* de sum. Trinit. admittunt in Deo *Alium* & *Alium*, non tamen *aliud* & *aliud*. Et licèt etiam dici possit in Divinis esse adhuc *Aliud* & *aliud*, scilicet suppositum, ut proinde videatur adhuc debere admitti ratio causæ, nihilominùs non est *aliud* simpliciter, ad rationem autèm causæ requiritur, quòd simpliciter effectus debeat esse aliud, Imo Generationis verbi Divini terminus nec secundùm quid potest dici: *Aliud*, tum quia deberet esse partialis, talis autèm non est aliud, quod probo, quia terminus partialis sequitur rationem termini totalis, sed terminus totalis in Divinis non est aliud; ergo nec terminus partialis, patet ma. ex creatis, in quibus non generatur natura in abstracto, verbi gratiâ humanitas, sed hic homo: tum etiam, quia causa debet esse

naturâ prior suo effectu, sed in Divinis non est una natura sic prior, ergò. Verum, licèt sic explicatum *Tò aliud*, sufficientèr excludat verbum Divinum à ratione effectûs, nihilominùs ad eliminandam omnem difficultatem, addidi in definitione: *defectibiliter*, alii ponunt *contingenter*, per quam particulam simpliciter excluditur verbum Divinum, quia illud non est productum defectibilitèr, sive etenim consideretur ex parte Patris Æterni, sive ex parte Filii, nulla est defectibilitas, quia generatio activa identificatur cum Patre, & passiva cum Filio, ac utraque cum Essentia Divina, quæ de se simplicitèr indefectibilis est, adeoq; etiam ipsi identificata, quod Confirmatur ex ratione Doctoris, qui dicit: Omne causabile esse contingens, adeoq; quod causatur, non esse à se, omne autèm, quod in Divinis est, habet esse à se necessariò, & non contingentèr, ergò. Hinc patet, gratis ab aliquibus addi adhuc particulam illam *cum dependentia hujus ab illo*. Sed

III. Dices: Si Deus per possibile, & impossibile necessariò, & ab æterno produceret aliquam creaturam, ad quam producendam necessitaretur, in tali casu Deus influeret indefectibilitèr in talem creaturam, sed illa creatura verus esset effectus, & Deus vera esset causa; ergò indefectibilitas non facit, quo minùs adhuc verbum debet dici effectus, & Pater causa: probatur minor: quia illa natura esset adhuc finita, limitata & imperfecta, ergò. Verùm R. dist. ma. influeret indefectibilitèr ad extrà, concedo ma. ad intrà, nego ma. & concessâ mi. distinguo similitèr consequens; ergò influere indefectibilitèr non eximit Deum à ratione causæ, ad extrà, transeat, ad intrà, nego consequentiam. Itaq; Notandum, duplicem esse defectibilitatem, unam intrinsecam, seu ad intrà & alteram extrinsecam, seu ad extrà, defectibilitas intrinseca provenit ab ipsa rei entitate, quæ ex ipsa rei natura indifferens est ad existendum, vel non existendum, & hæc defectibilitas est de intrinseca ratione constitutiva effectûs: defectibilitas extrinseca est, quæ provenit ex causa, quæ ex se indifferens vel libera est, ut producat vel non producat. Similitèr indefectibilitas duplex est, intrinseca una, altera extrinseca: Indefectibilitas intrinseca est, quæ ex ipsa rei entitate provenit, quando aliquid ex se habet, ut deficere non possit, & hanc habet verbum æternum: Indefectibilitas extrinseca est, quæ non provenit ab ipsa entitate rei, sed ab aliquo extrinseco, & sic illa creatura, quæ necessariò produceretur, intrinsecè esset defectibilis, & extrinsecè indefectibilis. Sed contra particulam *aliud* adhuc

IV. Dices 2. Particula illa in *aliud* in definitione causæ, omninò est superflua; ergò est mala: probatur ant. quia potest aliquid seipsum causare; ergò non est necesse, ut influat in aliud & consequentèr particula illa superfluit. Sed R. negando ant. cum sua probatione, quæ omninò falsa est, ut infrà demonstrabo, quòd scilicet nihil omninò seipsum producere & causare possit, nisi quis vellet destruere tum Philosophorum, tum fidei principia, nam ideò Philosophi colligunt dari Deum, quia viderunt aliqua causari & existere dependentèr ab alio, si autèm posset aliquid existere à se, hoc nequaquam colligere possent, ergò. Deinde quâ ratione posset quid se ipsum causare, posset etiam dici Patrem, dum dicitur genuisse Filium, vel uterq; spirâsse Spiritum, non aliam quampiàm personam genitam & processisse, sed ipsum Patrem se genuisse, adeoq; tolleretur Trinitas personarum, nec esset, nisi plurium nominum nuncupatio, quod destruit fidem.

Instabis: Defactò in creatis materia & forma sunt causæ, nec tamen producunt aliquid distinctum à se; ergò non implicat adhuc producere aliquid se ipsum; Imò finis etiam causæ dicitur, qui tamen non aliud, quàm se ipsum producit, ergò. Sed R. materiam & formam si sumatur sine unione, tunc causare aliud, nempe totum compositum, si verò sumatur materia & forma unita, tunc non causant totum compositum, sed sunt ipsum. Vide dicta suprà. Ad alterum de fine dico, finem quoque non causare seipsum, sed semper aliud, & licèt actus bonus cognitus moveat voluntatem ad ponendum se ipsum, id tamen non facit immediatè, nam priùs movet voluntatem ad amorem, vel ad media, quo amore, vel mediis posteà ponitur mediatè ille actus bonus. Hæc pro prima parte sufficiant. Pro secunda

V. Dico 2. *Causalitas causæ in actu primo est ipsa entitas causæ, quatenùs potens est causare effectum, quæ potentia includit relationem transcendentalem identificatam*: ita Scotistæ communitèr contra Hurtadum, Arriagam & Recentiores communitèr.

Probatur primò: Authoritate tum Aristotelis 5. Met. 20. dicentis, relationes secundi modi fundari supra potentiam activam & passivam, sed relationes secundi modi sunt causæ & effectus, ergò fundantur supra potentiam activam: tum Doctoris 1. d. 7. q. un. l. ubi significat, quòd virtus absoluta in causa, non est ei ratio agendi, nec eam constituit in actu primo potentem agere, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum.

Probatur etiam ratione, primò: Quia causa in actu primo idem sonat, quod causa potens causare & agere, sed potentia & virtus causandi important directè relationem transcendentalem, ergò.

Probatur secundò: Si causa constituentur inesse causæ in actu primo per aliquid aliud, esset maximè actio possibilis, sed hæc non est, ergò ma. est Adversariorum, probatur mi. tum quia quælibet causa est causa in actu primo per aliquid sibi intrinsecum & identificatum, sed actio possibilis est quid extrinsecum & distinctum; ergò per actionem possibilem causa non potest constitui causa in actu primo: probatur mi. quia actio existens est quid realitèr distinctum à causa, sed actio possibilis est ipsa quæ existit, ergò: probatur minor principalis. Secundò: Quia illa actio possibilis vel invenit causam potentem causare, aut facit eam potentem, si primum, ergò ex se jam erat potens causare, si facit eam, tunc est aliquid realitèr,

realitèr distinctum, & consequentèr non potest esse causalitas in actu primo, quæ debet esse identificata causæ. Sed

VII. Dices: Quemadmodùm se habet causa in actu secundo, ita se habet causa in actu primo ad suam causalitatem, sed causa in actu secundo constituitur in esse talis per actionem existentem, ergò causa in actu primo per actionem possibilem. Verùm R. negando ma. Disparitas est, quia causa in actu primo non est talis, ex eo, quòd accipere debeat primò aliquid, ratione cujus dicatur causa in actu primo, sed jam habet illud, quod ipsam denominat causam in tali actu, nempe virtutem sufficientem productivam.

Instabis: Causa in actu primo constituitur in esse talis per respectum ad effectum, sed non actualem, ergò ad possibilem: subsumo, sed effectus possibilis non potest respicici, nisi actione possibili, ergò causa in actu primo constituitur per actionem possibilem. R. concedendo argumentum, ad subsumptum R. dist. illud, effectus possibilis non potest respici, nisi actione possibili, tanquam exercitio, concedo, tanquam virtute exercendi, nego subsumptum, & consequentiam. Itaquè causa in actu primo non constituitur per exercitium, sed per virtutem productivam. Sed quæres, quomodò hæc virtus respiciat effectum, quem producere potest, an omnes in abstracto, an verò singularibus? R. causam non respicere effectum in communi, sed in singulari omnes, non tamen collectivè sumptos, sed divisim. Patet, quia causa potest producere suum effectum non tantùm, quia effectus est, sed etiam quia talis est, verbi gratiâ, Ignis producit calorem, non tantùm secundùm rationem specificam, non tamen omnes collectivè, quia omnes effectus collectivè sumpti non sunt terminus adæquatus causæ, sed tantùm divisim sumpti, quarè, licèt implicaret unus effectus, non cessaret ratio causæ, dummodò essent producibiles adhuc alii, quemadmodùm dixi de potentia materiæ, quæ respicit omnes formas non sub tota collectione, sed divisim.

VIII. *Causalitas causæ in actu primo aliquid superadditum.*

Dico 3. *Causalitas causæ in actu secundo formaliter sumpta, superaddit aliquid entitatibus causæ & effectus.* Hæc est Scoti in 2. d. 1. q. 2. & Scotistarum communitèr contra Occamum.

Probatur primò: Quia actus secundus superaddit aliquid actui primo, sed causalitas causæ formaliter sumpta accedit causæ, sicut actus secundus actui primo, ergò aliquid superaddet.

Secundò: Quia possunt à parte rei existere entitas agentis & entitas effectûs etiam approximatè, ut Ignis *A* & ignis *B*, & tamen ignis *B* non dependere, vel produci ab igne *A*, ergò Ignem *B* produci ab igne *A*, est aliquid plus, quàm hæc existere etiam approximatè, & consequentèr causalitas aliquid superaddet. Quare non valet dicere, ignem *B* produci ab igne *A*, non esse aliud, quàm eum existere, & non dependere ab alia causa, tum, quia ista non dependentia, cùm sit aliqua negatio, debet esse alicujus positivi negatio, & consequentèr dependentia, cujus illa est negatio, debet esse aliquid positivum: Tum, quia malè aliquis diceret, Petrum esse filium, formalitèr aliud non esse, quàm non esse Paulum, Joannem, nec alium quempiam ex hominibus, ergò similitèr malum erit dicere, ignem *B* produci ab igne *A* esse ignem *B* non dependere ab alia causa. Verùm tamen in Contrà

Arguitur: Omnis causa potens causare, virtualitèr, & immediatè continet suum effectum, ergò ut eum producat, non requiritur aliquod superadditum, R. distinguendo ant. Causa continet immediatè suum effectum, ita ut nulla forma intercedat intermedia, quæ constitueret ipsam in ratione principii productivi, concedo ant. ita ut non requirat actualem influxum, qui ipsam denominet formalitèr, & actu causantem, nego ant. & consequentiam. IX. *Argumentum in contrarium.*

Instatur: Illud superadditum vel deberet esse aliquid absolutum, vel relativum; neutrum dici potest, ergò nihil est. probatur mi. tum ex responsione, tum, quia causalitas non potest concipi, nisi per ordinem ad aliud: nec secundum, quia omnis relatio sequitur sua extrema, non sic autèm causalitas, quæ debet præcedere, ergò. R. negando mi. ad probationem dico, esse aliquid relativum, quod tamen non præcedit causam & effectum, licèt sic præcedat causalitas fundamentalis. Hinc

Dico 4. *Causalitas, à qua causa dicitur formalitèr causare, non est quid absolutum, nec respectivum præcedens naturâ effectum, veluti aliquod medium inter causam & effectum, sed est relatio posterior causæ ad effectum, ubi talis pullulare nata est.* Hæc est Doctoris suprà ubi ait: *Fallit nos imaginatio, dum putamus relationem causalitatu mediare, veluti viam inter causam & effectum, quia reverà sequitur, sicut universalitèr nulla relatio ponitur, nisi positis extremis.* X. *Causalitas est quid relativum.*

Probatur quoad primam partem: Illud absolutum medium deberet esse ens creatum, & de novo productum, sed omne absolutum, quod de novo producitur, debet mediante aliquâ actione produci, ergò & illud absolutum, sed actio, per quam produceretur, iterum esset aliquod absolutum, ergò iterum per aliud absolutum produci deberet & sic in infinitum, cùm non sit potior ratio de uno absoluto, quàm altero, nam si esset aliqua, maximè, quòd actio essentialitèr dependeat ab hac determinata causa, quia etiam ignis, quando producitur ab alio igne ita determinatè dependet ab eo, ut non possit produci ab alia causa, & tamen, ut producatur ab igne, debet produci per actionem distinctam, ergò etiam illud absolutum, non obstante hâc determinatâ dependentiâ, deberet sic produci per aliam actionem.

Probatur secunda pars: Illud respectivum medians deberet participare rationem relationis, ergò non potest esse aliquod medians inter causam & effectum: probatur consequentia: Omnis relatio debet terminari ad aliquid, & habere correlationem, sed si mediaret, nõ terminaretur ad aliquid, nec haberet XI.

corre-

correlationem, ergò relatio non potest esse aliquod medians. Probatur minor: quia in illo signo priori esset relatio, & tamen non esset terminus, ad quem referretur, nec sibi haberet correlationem, quæ debet esse in termino, qui pro illo priori nondum esset, ergò non posset terminari ad ipsum, cùm nondum sit, nec consequentèr erit correlatio; per quod patet ad illud, quod aliqui dicunt relationes inesse quieto & permanenti tantùm exigere, ut extrema sint, non verò in esse successivo, ut sunt actio, unio &c. quia est de essentia relationis ut sic, ut sit ad aliud, & ut simul naturâ sint.

XII. **Dices:** Relationem posse adhuc terminari ad effectum non productum, sed quem actu producit. Sed Contrà, vel effectus etiam in fieri sequitur causationem ipsam, vel præcedit, si hoc posteriùs, ergò debet terminari ad effectum jam productum; si verò primum dicatur, tunc sequitur, quòd in aliquo priori sit causatio, in quo non est effectus, ad quem tunc non poterit terminari, cùm nondum sit, & consequentèr si præcedit, terminabitur ad aliquem terminum, qui nondum est.

Probatur ultima pars, tum, quia causa, ut formaliter causa, est concretum relativum respiciens pro termino effectum: Tum, quia Deus dicitur causa formaliter rerum omnium ad extrà per terminationem essentialis dependentiæ rerum omnium ad ipsum, ex eo, quòd sit incapax relationis mutuæ, ergò in causis creatis relationum capacibus causalitas formaliter consistere debebit in relatione subjecta in causa, & terminata ad effectum. Sed in contrà

XIII. *Argumentum in contrarium.* **Arguitur:** Omnis via, per quam aliquid acquiritur, debet esse prior & mediare, antequàm sit illud, ad quod est via, sed causalitas est via, quâ mediante acquiritur effectus, ergò causalitas non poterit esse quid posteriùs sequens effectum. Probatur minor ex Scoto q. ult. prologi. §. *Contra Istud*, ubi dicit, voluntatem elicere praxim mediâ elicitione, ergò. R. dist. mi. causalitas est via, quâ mediante acquiritur effectus, causalitas fundamentaliter sumpta, concedo mi. formaliter sumpta, nego mi. Itaquè causalitas fundamentaliter sumpta dicitur prior suo effectu, sicut albedo dicitur prior esse relatione, nam secundùm eundem Doctorem via est duplex, una *quo*, altera *per quam*, prior sequitur, posterior præcedit.

Instatur: Omnis ratio fundandi relationem debet esse prior suâ relatione, sed causalitas est ratio fundandi relationem inter causam & effectum, ergò debet esse prior, quàm sit relatio causæ ad effectum: probatur mi: quia secundùm Aristotelem 5. Met. 20. relationes secundi modi fundantur super actionem, seu causalitatem, quæ actio, licèt sit causæ efficientis, est tamen eadem ratio de ipsa, ac de alia causalitate. R. negando mi. licèt enim dicatur referri causa ad effectum, quia in ipsum influit, non intelligitur tamen influxus formalis, sed fundamentalis; unde nego ejusdem minoris probationem, quia relationes secundi modi non fundantur super actionem & passionem, sed super potentiam activam & passivam, dicuntur tamen fundari super actiones, quia actiones & passiones concurrunt veluti dispositiones & conditiones necessariò requisitæ.

Urgetur: In omni instanti, quo causa causat, debet habere causalitatem formalem, sed pro primo instanti naturæ, ante effectum non potest haberi relatio, ergò causalitas non consistit in relatione: probatur major, quia alioquin sequeretur, quòd causa causaret sine novo superaddito. R. dist. ma. pro omni instanti temporis, concedo ma. pro omni instanti, seu signo naturæ, nego ma. ad ejus prob. dico, etiam in ipso signo naturæ posse notari aliquod superadditum, seu aliquam variationem causæ, quia ubi in toto tempore constat in potentia remota, ad hunc effectum, propter absentiam passi, in eo signo dicitur esse in potentia proxima, & veluti proximè determinata ad hunc effectum, in quantùm jam habet omnia requisita ad causandum, & sic etiam in illo signo naturæ potest habere aliquod superadditum, quàmvis non ipsam causalitatem formalem.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit causarum Genus?

Extiterunt olim nonnulli Platonici, qui nullum aliud causarum genus, præter efficientis admiserunt, cujus opinionis etiam nunc putârunt quidam fuisse Divum Augustinum, verumtamen perperàm, nam pluribus in locis clarè docet, dari causas, unde ex quo, & quarè aliquid fiat, quæ nihil aliud denotant, quàm causam materialem, formalem, & finalem, unde etiam in hac quæstione quæritur, an causa ut sic benè dividatur in quatuor vulgata causarum genera, materialem nempe, formalem, efficientem & finalem, ad quod utpote cùm sit res facilis & trita, resolutivè

Dico: *Benè & adæquatè dividitur causa, ut sic in mox prælegata quatuor genera. Est Doctrina hic q. 7. & communis.* Antequàm in forma probem, suppono quòd omnia composita non fiant ex nihilo, aliàs creatura posset creare; ergò debent fieri ex præexistente materia, seu subjecto, quod non potest esse aliquod compositum, alioquin esset compositum, antequàm fieret; ergò datur aliqua causa materialis. Deinde nullum compositum sublunare est Physicè simplex, & materia nullum habet actum Physicum formalem; ergò datur aliquid, quod actuat materiam, & intrinsecè constituit compositum, quod est causa formalis: Tertiò: Nihil seipsum efficit; ergò debet ab aliquo alio fieri & esse aliud, quod illud faciat, sed hoc dicitur causa efficiens. Denique omnia agentia, intellectualia quàm maximè non agunt temerè, inordinatè, sed ex causa; ergò debent finem aliquem habere, & consequentèr datur causa finalis, quo supposito

Sic probo Conclusionem: Tot sunt genera causarum, quot sunt diversi influxus in quodlibet compositum generatum, sed isti influxus sunt quatuor; ergò etiam sunt quatuor

quatuor causarum genera: probatur mi. ex supposito facto & præmisso, & etiam ulteriùs, quidquid influit, aut influit extrinsecè, aut intrinsecè, si hoc, vel per modum subjecti, vel per modum formæ, seu per modum actûs & potentiæ, primum est causa materialis, alterum est causa formalis, quæ sunt duæ causæ: Iterum si extrinsecè, vel influit realiter, vel metaphoricè alliciendo ad sui productionem, si hoc, est finalis, si primum, est causa efficiens; ergò benè dividitur causa, ut sic in quatuor allegata membra: probatur hæc consequentia, quia non est alia assignabilis, quæ non haberet rationem aliquam ex illis, ergò: probatur ant. si esset aliqua, maximè instrumentum, Idea, exemplar & objectum, sed hæ ad priores reducuntur, ergò: probatur mi. tum ex dicendis, tum quia omnia reduci possunt ad causam efficientem, ergò. Confirmatur Conclusio: Quia illa est bona divisio, quæ fit in membra diversa, & inter se realiter distincta, sed hæc est talis, ergò: probatur mi. tum quia in entitate inter se differunt, tum quia habent diversum causandi modum; nam materia concurrit recipiendo, forma informando, finis movendo & excitando efficientem, efficiens denique dando esse, nec recipiendo, nec informando, nec movendo, ergò.

III. Etquamvis prædicta divisio bona sit & communi antiquorum placito adhærendo benè defendatur, non est tamen secundùm exactas regulas divisionum, nam imprimis debet fieri in pauciora membra, ita ut si fieri potest, sit bimembris & in magis immediata, quòd tamen hìc non observatur, unde existimo ordinatè procedendo causam ut sic, Primò dividi posse in *primam & secundam*; *Prima* est Deus super omnia benedict⁹ ob omnimodam independentiam in sua entitate ab ulla alia causa. *Secunda* verò est omnis causa creata propter maximam dependentiam à causa prima, tàm benè, quoad entitatem, quàm etiam quoad operationes, quæ nihil agere & causare potest, nisi Deo concausante. *Causa secunda* iterum subdividi potest in universalem & singularem: Universalis est, quæ ad plures effectus concurrere potest & sunt Astra, Cœli, Sol, &c. dixi *ad plures*, quia Causa universalis, quæ ad omnes effectus concurrit, non est secunda, sed prima: singularis est, quæ tantùm producit determinatos effectus, ut ignis ignem, calorem, &c. *Causa singularis* tertiò subdividitur; in *intrinsecam* & *extrinsecam*, illa essentialiter & intrinsecè rem constituit, tanquam pars ejus, & sic corpus & anima constituunt hominem: extrinseca, quæ non ingreditur ad constitutionem intrinsecam alicujus rei, ut ignis, dum producit alium ignem, & universaliter omnis causa efficiens & finalis.

IV. Causa efficiens Iterum multiplicitèr dividitur: Nam alia est *immediata*, alia *mediata*. Prima dicitur illa, à quâ effectus immediatè producitur, ut calor à calore. Secunda verò, à quâ effectus tantùm mediatè producitur, uti Adam dicitur causa omnium hominum, &c.

V. Secundò dividitur in *Causam per se*, & *causam per accidens*; *Per se* est, quæ ex natura sua habet virtutem producendi effectum, sic Musicus cantat, Architectus ædificat; *Per accidens* ea est, quæ, licèt denominetur producere effectum, ex se tamen non est ordinata ad productionem ejus, sic Musicus ædificat, & Architectus cantat &c.

VI. Tertiò in *Physicam & moralem*: *Physica* est, quæ verè per actionem influit in effectum, ita ut secundùm influxum Physicum abipsa dependet; *Moralis* est, quæ quidem Physicè non influit, sed est in causa, ut alia causa Physicè eum attingat, unde judicio humano ei effectus attribuitur, sic dicitur causa moralis homicidii, qui consentit, suadet, jubet &c. aliæ sunt posteà tales ex libera institutione hominum vel Dei, sic chyrographum causat solutionem, sacramenta gratiam. *Physica & moralis.*

VII. Quartò in *causam principalem & instrumentalem*; Prima propriâ suâ virtute ab ipsa egrediente effectum producit. Instrumentalis est, quæ non propriâ virtute effectum producit, sed per virtutem communicatam ab alio, ut se habeat purè veluti instrumentum, sic sancti faciunt miracula virtute Divinâ. *Principalis & instrumentalis.*

VIII. Quintò in causam *totalem & partialem*: *Totalis* est, quæ se solâ, ad minùs in suo genere, effectum producit, ut ignis applicatus ad stupam, est totalis causa combustionis ejus, quia talis est in genere causæ efficientis, licèt etiam aliæ concurrant cum prima. *Partialis* est, quæ producit tantùm unam partem effectûs, si est divisibilis, si verò sit indivisibilis, producit totum effectum, sed non sola, sed cum concursu alterius causæ ejusdem speciei & rationis cum ipsa, ut si duo ignes simul & semel applicentur ad comburendam stupam, unde dicitur hic effectus totalitèr adhuc à qualibet dependere totalitate effectûs, non verò totalitate causæ, quia non dependet ab una sola causa, sed à duabus. *Totalis & partialis.*

IX. Sextò potest causa efficiens dividi in *liberam & necessariam*: *libera* est, quæ positis omnibus requisitis, potest se, sine ullo impulsu spontè determinare ad agendum, vel non agendum: *Necessaria* est, quæ positis omnibus requisitis non potest non agere; Utraque est immanens, vel transeuntèr agens, prima talis dicitur, quòd effectum in se productum recipiat, altera verò non. *Libera & necessaria.*

Ultimò dividitur in causam *univocam & æquivocam*; *univoca* est, quæ producit effectum secundùm eandem rationem similem in entitate, ut calor calorem, æquivoca, quæ dissimilem producit.

QUÆSTIO III.

De Conditionibus ad causandum requisitis.

I. Plures requiri conditiones adhoc, ut causæ causent suum effectum, indubitatum est, certum namq; est, requiri frequentissimè ablationem impedimentorum, & qualitates disponentes ad formas oppositas, requiritur etiam, ut sit legitima approximatio, & denique quòd existat causa, dum causat & alia plura. De approximatione inter causam materialem & formalem *Plures requiruntur conditiones ad causandum.*

malem nemo controvertit, unde particularis est de efficiente difficultas, an ipsa debeat esse ita approximata, ut non possit agere indistans, quod in suo etiam examinabo loco. Potissimum quod hîc explicandum venit, est: An causa, ut causet, debeat esse ita existens, ut pro nullo instanti possit causare pro quo non est, in qua re Thomistæ plurimi putant, non requiri actualem existentiam, sed sufficere quòd in priori instanti extiterit. Secundò controvertitur, an causa ita debeat esse priùs, antequàm causat, ut tempore effectum præcedat, an verò sufficiat, ut tantùm præcedat natura? Pro quo resolvendo supponendum ex sæpè dictis: Causam dupliciter considerari posse, nempe formaliter & materialiter, formaliter consideratæ sunt relationes, seu potiùs relativa, materialiter verò consideratæ sunt ipsæ entitates. Itaque his præmissis

II. *Nihil causare potest nisi existat.*

Dico 1. *Nulla causa potest aliquid causare nisi sit existens.* Hæc est communior contra Thomistas: &

Probatur primò: Si non requireretur existentia causæ ad hoc, quòd causet, sequeretur non posse ex his, quæ facta sunt, probari existentia, sed hoc est contra fidem, quia Divus Paulus ad Romanos 1. ait: *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, ut sint inexcusabiles, ergò: probatur sequela: quia, licèt Deus non esset, posset omnia producere; ergò ex eo, quòd produxerit, non potest demonstrari ejus existentia.

Probatur secundò: Nemo dat alicui esse, quod non habet, sed causa non existens nullum habet esse; ergò non potest dare alteri esse, quod est causare, nec juvat dicere, causam paulò antè habuisse esse, atque adeò ratione illius potest adhuc dare alteri, quia si nunquam extitisset, non posset dare esse; ergò nec ex eo, quòd extiterit paulò antè, quòd enim extiterit, nihil plus Physicè habet, quàm si nunquam fuisset, tum, quia in decimo vel duodecimo instanti suæ non existentiæ, non potest ampliùs causare; ergò nec in primo instanti suæ non existentiæ, cum æquè parum habeat in primo instanti non existentiæ, ac habet in decimo. Confirmatur: Causa non potest denominari causans, nisi per causalitatem sibi superadditam, sed quod non est, non potest habere causalitatem superadditam, ergò ma. patet: probatur minor, quia causalitas est vera relatio, nulla autèm relatio potest esse in non existente, utpotè cùm essentialiter subjectum requirat.

Probatur tertiò: Si causa non existens pro primo instanti postquàm fuit, posset causare, sequeretur, quòd etiam posset causare pro ultimo instanti, quando non est, & immediatè pòst erit, sed in isto ultimo instanti suæ non existentiæ nequit causare; ergò nec in primo ab omnimoda paritate: probatur sequela, quia æquè distant ultimum non esse, & primum non esse: minor etiam patet, quia alioquin posset aliquid seipsum producere, etiam quoad primum suum esse.

Probatur quartò: Quia nihil potest causare aliquid in genere causæ materialis, quod non existit; ergò nec etiam in genere causæ formalis, aut efficientis, ant. patet, quia nulla forma sive substantialis, sive accidentalis, potest esse etiam pro unico instanti sine subjecto, consequentia clara est ex paritatis ratione:

Dices: Ut una res agat in aliam, non requiritur, ut sint in uno, eodemque indivisibili loco, sed sufficit, ut sint contigua, & nihil mediet inter ipsa; ergò etiam, ut aliquid causet aliud, non requiritur, ut sint in eodem temporis instanti, sed sufficiet, ut nihil mediet inter esse unius & esse alterius. R. negando consequentiam; Quia res, quæ antè extitit & non est modò, perinde se habet, ac si nunquam fuisset, quod si verò nunquam fuisset, nihil posset Physicè producere; ergò nec illa, quæ modo non est, licèt antè fuerit; Quòd verò causa posset adhuc producere, licèt non sit in eodem indivisibili loco, est, quia non tollitur productiva virtus, nec desinit continere in se effectum, minùs ipsa existentia vel essentia, quando autèm causa corrupta est, nec existentiam habet, nec continet in se ampliùs virtutem productivam alicujus effectûs. III.

Dico 2. *Causa formaliter sumpta non est prior suo effectu.* Ita Aristot. 2. Phys. 37. & 5. Met. cap. 2. ubi ait: *Causam in actu & effectum in actu simul esse, sed causam in actu esse, nihil aliud est, quàm causam actu causare & effectum in actu, quàm actualem terminare influxum, ergò.* Deinde Probatur etiam ex communi regula Prædicam. Quæ docet, relativa esse simul, sed causa & effectus sunt relativa; ergò debent esse simul, & consequentèr causa formaliter sumpta sub relatione non est prior effectu. IV. *Cadem est mens Aristotelis.*

Dices: Dantur multa relativa, quæ non sunt simul, sed neque simul esse possunt; ergò ex hac regula nihil deducitur; probatur ant. quia omnia, quæcunque sunt priùs & posterius dicuntur relativè, sed prius & posterius non possunt esse simul; ergò relativa non possunt esse simul. R. Negando ant. cujus probationis minorem distinguo, prius & posterius non possunt esse simul, formaliter considerata, nego mi. materialiter considerata, concedo mi. & nego consequentiam. Itaque quando aliquod unum est prius altero, debet jam esse illud, quo dicitur prius, quia nihil dicitur esse prius se ipso, sed alio, quod si non est, non erit eo prius. V.

Dico 3. *Causa materialiter sumpta debet esse prior suo effectu, non tempore, sed naturâ.* Hæc est communis Scotist. & Recent. contra Thomistas. VI. *Materia sumpta prior.*

Probatur primò: Authoritate tum D. Augustini lib. 7. Civit. cap. 9. ubi ait: *Semper prior est res, quæ facit, quàm illa, quæ fit, sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur, ut fiat, quod non faciens causa præcesserit*: tum Aristotelis id sæpè docentis, unde regula illa post-prædicamentalis: *Et Causa effectu dicitur esse prior.*

Probatur autèm secunda pars primò: Quia dantur defactò multæ causæ, quæ produ-

producunt suos effectus, & tamen non extiterunt tempore ante suos effectus ; ergò id non requiritur, quàmvis contingere possit, ut sic præcedant, sicut dicendum est de Deo, respectu creaturarum: probatur ant. quia sol verè producit lumen, ignis calorem &c. Sed nec sol, nec ignis tempore extiterunt, antequàm producerent suos effectus, ergò: probatur mi. quia sicut dicit D. Augustinus : Si sol esset ab æterno, etiam lumen esset ab æterno ; ergò nunquam extitit sol, antequàm produceret lumen, alioquin lumen etiam non foret ab æterno. Secundo: Quia causa non est causa, nisi pro illo priori instanti, pro quo causat, quia anteà tantùm causa in actu primo, seu potens causare ; ergò in ratione causæ non exigit prioritatem temporis.

Probatur tertia pars : Quia quod causat aliud, debet esse prius illo, quod causatur ab eo, sed non debet esse prius tempore ; ergò ad minùs prioritate naturæ : probatur ma. Omne independens est prius alio dependente, & omne dependens est posterius, sed omne, quod causat aliud, est independens & quod causatur, est dependens ; ergò illud, quod causat, debet esse prius illo, quod causatur. Confirmatur: Illud est prius, à quo non valet subsistendi consequentia, sed ab existentia causæ non valet subsistendi consequentia ad existentiam effectûs ; ergò causa est prior effectu. Valeat confirmatio, quantùm potest, melior est vis probationis. Sed in Contrà

Arguitur : Omnis causa, ut causet, necessariò debet habere existentiam, ut dictum est in prima Conclusione, sed quidquid habet existentiam, debet habere durationem realem ; ergò etiam causa, ut producat durationem reali, debet præcedere effectum tempore, & non tantùm naturâ : probatur min. quia omne, quod existit, debet posse mensurari, sed instans naturæ mensurari nequit, ergò. R. dist. ma. debet habere existentiam tempore præcedentem, nego ma. naturâ prius intelligibilem, reverà inter causam & effectum cum fundamento repertam, concedo ma. & mi. nego consequentiam. Itaq; licèt verum sit, quòd illa, quæ simul tempore existunt, mensurari nequeant, sic est causa & effectus, qui tantùm naturâ est posterior, potest adhuc tamen intelligi, quod unum existat ab alio, qui ordo essentialis dependentiæ cùm sit realis & non fictus, necessariò infert inter extrema prioritatem & posterioritatem aliquam realem, ordo enim semper dicit prius & posterius, & in hoc sensu dicitur causa esse prior suo effectu, licèt sint in tempore simul. Sed

Instatur : Illæ causæ debent existentiam habere tempore præcedentem, quæ plura requirunt instantia, ut suum effectum ponant, sed causæ liberæ requirunt plura instantia ; ergò ad minus causæ liberæ, ut producant suos effectus, debent habere existentiam tempore præcedentem : probatur mi. quia causæ liberæ debent habere potentiam ad operandum & non operandum, sed operari & non operari posse, requirunt plura instantia. R. negando mi. Ad cujus probationem dico, quòd in eodem instanti, quo causa libera operatur, intelligitur priùs naturâ habere potentiam ad actum & posteriùs naturâ elicere illum actum, & in illo priori habet indifferentiam, seu potentiam ad eliciendum vel non eliciendum, non quidem conjunctim, sed divisim, & sic operatio & non operatio sunt possibiles in eodem instanti disjunctim, quòd autèm habeat causa libera talem potentiam ad oppositа disjunctim, ex eo patet, quia immediatè ante instans temporis, quo habet actum, habet hujusmodi potentiam & in eodem instanti temporis, quo operatur, retinet adhuc eandem potentiam, ut est prior naturâ ipsâ operatione.

DISPUTATIO III.

DE CAUSA MATERIALI & FORMALI.

IN primo libro sufficienter explicui entitates & naturas harum causarum, restant tamen adhuc aliqua solvenda & elucidanda de ipsis, secundùm quod habent rationem causæ, quam habere suppono certissimum : licèt enim non efficiant aliud, constituunt tamen aliquid, ratione cujus constitutionis adhuc causæ dici debent, unde etiam nomen materiæ paulò latiùs sumam, ut etiam comprehendat subjectum completum, seu materiam secundam. Sit igitur

QUÆSTIO I.

De Effectibus Materiæ & Formæ.

Supponi deberet hæc quæstio ex dictis, effectum materiæ & formæ aliud non esse, quàm totum compositum ex iis resultans, cùm sint partes ejus essentialiter ingredientes & constituentes illud, verùmtamen quia non videtur esse effectus adæquatus, ideò quæritur hìc, an præterea sint alii ? ad quod

Dico 1. *Materiæ primæ effectus, præter to-*

tum compositum, possunt esse adhuc forma, unio & generatio, ut mutatio est. Hæc colligitur ex D. [illegible] q. 5. d. 1. & d. 12. q. 1. Et totum compositum esse effectum, non vocatur in dubium.

Probatur ergò de forma : Illud verè debet dici effectus alicujus, quod fit ab alio cum dependentia hujus ab illo, sed forma materialis (de hac enim tantummodò sermo mihi est) fit à materia cum dependentia ab illa in esse & conservari ; ergò forma verè erit effectus ejus. Confirmatur, quia omnes formæ materiales

riales educuntur de potentia materiæ, sed quæ sic educuntur, verè causantur ab ea in genere causæ materialis, ergò.

III. Dices: Materia debet esse causa intrinseca rei, cujus est causa, sed materia non est intrinseca formæ; ergò materia non est causa formæ; patet ma. quia est principium, quod primò, & per se inest rei, & si resolvitur, in hoc abit ultimum; ergò: probatur etiam minor, quia alioquin forma non esset actus Physicè simplex. R. dist. ma. debet esse causa intrinseca, respectu rei completæ, concedo ma. respectu rei incompletæ, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam, ad probationem dico, quòd in definitione materiæ addatur quidem illa particula *cùm primò & per se insit*, hoc tamen esse respectu totius compositi, propter quod respicit etiam formam, cujus tamen causa est, tum ex hoc, tum ex eo, quòd forma ab ea in fieri & conservari dependeat, ita ut connaturalitèr esse non possit sine materia.

Instabis: Illum effectum non competere materiæ, quâ materia est, sed quâ efficiens est; ergò: probatur ant. à paritate de intellectu, qui, licèt in se recipiat intellectionem, ut causa materialis, tamen intellectio non est effectus, nisi efficientis; ergò idem dicendum de materia. R. negando ant. ad probationem ejus, nego similitèr consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia harum formarum dantur aliæ causæ effectivæ sufficientèr, absque eo, quòd materia ad eas effectivè concurrat, quales non dantur respectu intellectionis: tum quia nemo dicit, materiam efficere etiam partialitèr formam; nec est iste modus loquendi in usu, unde quàmvis non posset ostendi aliquo argumento efficaci, quòd non concurrat efficientèr materia, quia tamen neque potest ostendi, quòd sic concurrat, à communi non est recedendum.

IV. Probatur Conclusio etiam de Unione & Generatione: Quia hæ à materia dependent in fieri & conservari; ergò erunt effectus materiæ; probatur ant. quia materia est subjectum generationis, sicut etiam propriè unionis, quâ connectitur cum forma, ergò: probatur ant. quia generatio & unio sunt accidentia respectiva; ergò necessariò petunt subjectum, non aliud, quàm materiam ex quâ componuntur, non tanquam ex parte, sed tanquam ex subjecto; ergò.

V. Dices: Generatio & unio sunt viæ, per quas aliquid fit; ergò non sunt effectus: probatur ant. quia generatio est mutatio, & transitus alicujus à non esse ad esse, & unio est ratio ad medium, quo aliquid factum & constitutum est, ergò. R. negando consequentiam, licèt enim generatio & unio viæ sint, per hoc tamen non excluduntur à ratione effectûs, sicut forma, licèt causa sit, non excluditur à ratione effectûs, cùm fiat, ut terminus partialis & quô, sufficit ipsis itaque, ut dicantur effectus, quòd à materia dependeant.

VI. *Effectus formæ.* Dico 2. *Effectus formæ præter compositum, primarius est actuatio, informatio & completio materiæ, secundarius verò est expulsio alterius formæ ab eodem subjecto.*

Probatur quoad primam partem, quia subjectum effectum & informatum à tali forma, dependet à tali forma, secundùm suum esse completum; ergò aliqualitèr erit effectus ejus, quia accedit nova denominatio esse informati, actuati, &c.

Probatur etiam secunda pars: Quia quando una forma expellit aliam ab eodem subjecto, illa expulsio fit in genere causæ formalis; ergò est effectus ejus: probatur ant. quia illa expulsio fit mediante suâ informatione, sed quod fit mediante informatione, fit in genere causæ formalis; ergò: quarè expulsio in genere causæ efficientis spectat ad agentia introducentia formas incomposibiles. Sed quid videtur difficile conceptu? quomodo si forma expellit aliam, tantummodò seipsam collocando in subjecto, expulsio illa contingere possit? si expellit eam, quando est, sequitur, quòd duæ formæ sint simul, si verò expellit, quando non est, tunc nihil expellendum restat. Ideò pro declaranda difficultate & solvendis instantiis

Quæres: An priùs introducatur forma nova, vel priùs expellatur forma antiqua? R. in eodem instanti reali, quo introducitur una forma substantialis (idem est de accidentalibus in gradibus, in quibus sunt sibi contrariæ) expellitur alia, introductio tamen novæ formæ est prior naturâ expulsione antiquæ. VII.

Probatur prima pars: Ex opposito sequeretur, duas formas substantiales non subordinatas, verbi gratiâ, ignem & lignum, item calorem & frigus, peccatum & gratiam, naturalitèr esse in eodem subjecto, aut saltem naturalitèr materiam esse sine omni forma substantiali, sed hoc dici nequit, ergò: probatur sequela, si non expellitur forma illo instanti, quo altera introducitur; ergò vel destruitur in instanti præcedenti vel sequenti, si primum; ergò per unum instans reale materia erit sine forma, si secundum; ergò per unum instans materia est sub duabus formis.

Probatur secunda pars: Quia hæc causalis est vera, ideò corrumpitur forma ligni, quia introducitur forma ignis & non è contrà. Deinde expulsio formæ est effectus secundarius; ergò debet præsupponere effectum primarium, sed primarius est introductio formæ, ergò. Sed in contrà.

Arguitur: Forma antiqua est impedimentum, ne forma nova introducatur, sed priùs debet tolli impedimentum introductionis; ergò priùs debet tolli forma. R. dist. mi. debet tolli pro aliquo priori naturæ, nego mi. pro posteriori, concedo mi. & nego consequentiam.

Instatur: Hinc sequeretur, quòd si sufficeret, ut tollatur pro posteriori naturæ, quòd priùs aliquis ingrediatur portam, quàm eam aperiat, sed hoc ridiculum est, ergò. R. concedendo sequelam, nec hoc ridiculum est, imò quàm maximè necessarium, quia ingressus hominis in locum portæ est causa, cur locum illum

porta

porta relinquat, causa autèm est prior suo effectu, cum hoc tamen stat, quòd ingressus hominis, & apertio portæ sint in eodem instanti temporis realis.

QUÆSTIO II.

De Causalitate materiæ & formæ.

I. Multi examinant causalitatem formæ respectu materiæ, cùm tamen omnem negent influxum in eam, quarè suppono, quòd tàm materia, quàm forma duplicem exerceat causalitatem, unam respectu sui invicem, alteram respectu compositi, utraq; examinanda est, quid sit? & in quo consistat? Pro cujus rei clariori intelligentia

II. Notandum primò: In qualibet causa tria potissimùm considerari debere. Primò est res ipsa, quæ dicitur causa: secundò conditio, sine quâ non: tertiò causalitas, quæ, ut suprà dictum est, relatio est causam denominans formaliter causantem: quæ tria inter se distincta esse, patet in qualibet causa, nam ignis, secundùm suam entitatem, est res ipsa, quæ denominatur causa, applicatio & approximatio rei combustibilis est conditio, & causalitas est relatio ex eo orta quòd sit aliquid, quod habeat esse ab ista causa, & cùm ante & post productionem possit esse ipsa entitas sine tali relatione, sequitur, quod sit quid distinctum ab ipsa.

III. Notandum secundò: In unico instanti reali temporis causari formam, unionem & compositum, ut plurimùm, adeoq; etiam simul sunt horum causalitates, ita tamen, ut diversa habeant instantia naturæ, quia in primo instanti est entitas absoluta formæ, ab entitatibus absolutis efficientis & materiæ simul: In secundo instanti resultat duplex relatio causalitatis passivæ ad utrumque, & è contrà, causalitatis activæ in causis ad illam. In tertio producitur unio inter materiam & formam. In quarto producitur compositum, ad quod resultant, relationes causalitatis materialis, formalis & efficientis, in materia, forma & efficiente ad compositum, & è contrà causalitatis passivæ in composito ad illas. De his ergò controvertitur, in quibus constat causalitas cujuslibet causæ, ad quæ resolvenda

IV. Dico 1. *Causalitas formæ, respectu materiæ, consistit in unione, quâ unitur materiæ.* Hæc colligitur ex Doctore 4. d. 13. q. 1. & est etiam communis.

Probatur: Quia illa est formaliter causalitas, quâ posità ponitur effectus, & causa denominatur formaliter & actualiter causans, sed posità unione in forma habetur effectus formæ, scilicet materiam esse informatam & actuatam, & forma denominatur formaliter & actualiter informans; ergo, unio erit causalitas formæ, respectu materiæ. Intellige conclusionem secundùm frequentèr dicta, quoad esse specificum & completum, quod ab ea extrinsecè recipit.

V. Dices: Causalitas cujuscunque causæ est respectus intrinsecùs adveniens, sed unio non est respectus intrinsecùs adveniens; ergò unio nequit esse causalitas formæ respectu materiæ. Sed R. dist. ma. Causalitas cujuscunque causæ effectum novum reverà producentis, concedo ma. non sic producentis novum effectum, sed tantùm extrinsecè denominantis, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam. Itaque causa referri potest, tàm ad subjectum, in quo producit effectum, quàm quoad ipsum effectum, si referatur ad ipsum effectum, resultat causalitas & relatio intrinsecùs adveniens, si verò referatur ad subjectum, in quo producit, non resultat relatio & causalitas aliqua propria, quarè etiam forma cùm non causet materiam, secundùm suum esse, sed tantùm secundùm esse extrinsecum & adventitium, in quantùm eam facit esse informatam, ideò non resultat relatio intrinsecùs, sed tantùm extrinsecùs adveniens.

VI. Dico 2. *Causalitas materiæ, respectu formæ, non consistit in receptione actionis agentis, nec in simplici receptione formæ, nec in unione ad eam, sed in concursu eductivo explicato per habitudinem, ex quo aliud.* Ita Doctor suprà & in 2. d 1. q. 5. Mastrius & plures alii contra Pontium. *Assignatur in quo consistat causalitas materiæ.*

Probatur quoad primam partem: Quia quæcunq; causa refertur ad suum effectum per propriam causalitatem, sed materia, ut recipit actionem agentis, & ab eo patitur, non refertur ad formam, sed ad agens; ergò ejus causalitas non potest consistere in tali receptione actionis agentis. Confirmatur, quia in quantùm recipit actionem, habet rationem passionis; ergò non potest esse ejus causalitas; probatur consequentia, quia deberet esse passio, sed passio nequit esse, cùm sit respectus extrinsecùs adveniens, causalitas autèm materiæ respectu formæ, est intrinsecùs adveniens, ergò.

VII. Dices: Materia concurrit passivè & potentialitèr ad formam, sed concursus causæ passivæ & potentialis est pati ab agente; ergò concursus non est aliud, nisi receptio actionis, agentis; probatur consequentia, quia pati non est aliud, quàm recipere actionem agentis, ergò. R. negando consequentiam, cum sua probatione; nam concursus materiæ dicitur passivus etiam præciso ordine ad agens, unde si forma posset seipsam unire materiæ, adhuc concursus ejus esset passivus, quia esset per modum receptionis & sustentationis.

VIII. Probatur Conclusio quoad secundam partem: Quia recipiens ut recipiens, non dat verum esse illi, quod recipit, sed materia dat verum esse formæ; ergò causalitas ejus nequit esse simplex formæ receptio: patet ma. quia recipiens potiùs extrinsecè mutatur, & ab eo, quod recipit, esse aliquod accipit; ergò recipiens ut recipiens non dat verum esse ulli rei. Confirmatur: Quia anima rationalis recipitur verè in subjecto, scilicet corpore, sed corpus non dat ipsi aliquod esse; ergò neque materia formæ, ex eo, quòd in se recipiat ipsam, adeóque causalitas nequit esse talis receptio, cùm per causalitatem causa debeat denominari saltem formaliter causans.

IX. Probatur tertia pars primò: Authoritate Doctoris suprà asserentis relatio-

nem eductionis ad eductum, qualis est causalitas materiæ respectu formæ, esse intrinsecùs advenientem; ergò unio non est causalitas respectu formæ, cùm sit relatio extrinsecùs adveniens. Nec valet dicere, Doctorem loqui de relatione inductionis, quæ se tenet ex parte agentis; Quia non est potior ratio, quarè hæc esset intrinsecùs adveniens, & non relatio eductionis ad eductum, nam quemadmodùm agens extrinsecum per verum influxum formam educit de potentia materiæ, ita etiam materia in suo genere concurrit, per verum influxum ad educendam illam, cùm æque dependeat ab ea in fieri & conservari. Denique uni tam benè competit descriptio relationis intrinsecùs advenientis, ac alteri, ergò.

x. **Probatur eadem pars, secundò:** Deus potest supplere causalitatem materiæ respectu formæ; ergò unio non est causalitas materiæ: probatur consequentia, quia Deus nequit supplere unionem: probatur etiam ant. quia potest Deus totum formæ dare & præstare quod præstabat ei materia, sed hoc est supplere causalitatẽ ejus, quam tamen nequit supplere respectu unionis, quia Deus non potest facere aliqua esse unita sine unione eis superaddita.

Tertiò Potest haberi unio materiæ ad formam, absque eo, quòd materia causet illam materialitèr; ergò unio non est causalitas materiæ; consequentia optima est, quia quæ separari possunt, idem esse nequeunt: probatur ergò ant. quia datur defactò unio ad animam rationalem in materia absque eo, quòd anima causetur à materia, sicut etiam in materialibus formis contingere potest, nam si Deus produceret extra subjectum aliquam formam, verbi gratiâ, lapidis vel ignis, sicut non implicat, & postea illam uniret materiæ, in tali casu materia verè uniretur formæ, & tamen eam non causaret materialitèr; ergò unio nequit esse causalitas materiæ.

Nec valet dicere, aliquam unionem non esse causalitatem, esse tamen alias, quia est eadem ratio; nam inprimis unire & causare sunt disparata, ergò etiam unio & causa, & consequentèr nunquam possunt coincidere; patet ant. quia uniri significat passivè, causare verò significat influxum in effectum activè. Deinde patet illam impertinenter haberi, quia datur unio sine dependentia & influxu causativo, ut in anima rationali, & è contrà datur dependentia, & influxus causativus sine unione, ut contingit in causa efficiente & finali.

Probatur ultima pars, tum ex Authoritate Aristotelis sæpè & potissimùm 2. Phys. & 5. Met. asserentis: materiam esse *ex quo* aliquid fit, atqui particula *ex* melius exprimit causalitatem eductivam materiæ ad formam, quàm particula *in*, cùm non omne quod est *in* materia, fit *ex* materia, ergò: tum Ratione, quia per illud benè explicatur causalitas causæ respectu causati, per quod formalitèr absolutum causæ influit in absolutum causati, & virtute cujus nequit intelligi absolutum causæ, quin præintelligatur tanquam naturâ præcedens absolutum causantis, sed per respectum illum *ex quo*, tanquam ex subjecto, forma educitur, verè intelligitur subjectum influere esse in formam, & ex vi illius eductionis implicat intelligere absolutum formæ, quin præintelligatur tanquam naturâ prius absolutum subjecti, ergò &c.

QUÆSTIO III.

An Deus possit supplere causalitatem materiæ & formæ & quomodo?

Quæstio procedit tàm de causalitate, quam materia & forma exercent respectu compositi, quàm respectu sui invicem; unde I.

Dico 1. *Deus in nullo genere causæ potest supplere causalitatem materiæ vel formæ, respectu compositi.* Ita Doctor 1. d. 2. q. 2. n. 10. & post eum communis sententia. Et II.

Probatur primò: Authoritate D. Bernard. Lib. 5. de consid. cap. 7. ubi dicit: *Neq; enim subjectum fieri potest forma enim est.*

Probatur secundò: Materiam & formam causare compositum, nihil est aliud, nisi concurrere ad constitutionem ejus per modum partis, sed Deus in nullo genere potest concurrere per modum partis; ergò non potest supplere causalitatem earum; probatur minor, quia concurrere per modum partis, arguit simplicitèr imperfectionem, quæ in Deo ne quidem cogitari debet.

Probatur tertiò: Supplere materiæ causalitatem respectu compositi, nihil est aliud, nisi in composito habere rationem materiæ, vel esse materiam, sed Deus nequit esse materia, aut materiale quid, ergò: probatur mi. quod habet rationem materiæ debet esse principium mutabilitatis & mutationis, sed Deus non potest esse principium intrinsecum tale, cùm sit infinitus, ergò. Idem dicito de forma, nam habere rationem formæ, ejusq; causalitatem supplere, est esse formam & partem quidditativè constituentem compositum, & determinantem materiam ad certam & determinatam speciem, quæ Deo nullâ ratione convenire possunt.

Dices: Omnis causa secunda dependet à Deo in essendo & causando; ergò cum quacunque concurrit juxta specialem modum causandi ejus: subsumo, sed quidquid facit Deus cum causa secunda, potest se solo facere, ergo, &c. negando consequentiam, quia Deus non semper concurrit in eodem genere causæ, si causa secunda imperfectionem involvat, quia tunc concurrit in genere aliquo eminentiori, scilicet in genere causæ efficientis: quarè dist. subsumptum: Potest se solo facere in genere causæ efficientis, aut alterius eminentioris, quæ imperfectionem non involvat, concedo subsumptum, quæ involvit imperfectionem, nego subsumptum & III.

Dico 2. *Deus in nullo genere causæ potest supplere causalitatem formæ, nec materiæ in proprio genere, bene tamen in genere causæ efficientis.* IV.

Probatur prima pars: Effectus istius causalitatis non distinguitur entitativè à forma

forma in subjecto existente, ut lignum esse calidum formalissimè aliud non est, quàm habere calorem, sed talis effectus nequit præstari à causa efficiente, vel in genere causæ efficientis; ergò in nullo genere potest Deus supplere: ma. patet, quia non est assignabilis alius modus, quo subjectum denominaretur tali denominatione extrinsecâ: probatur mi. modus causandi causæ efficientis fit per productionem effectûs ab ea realitèr distincti, sed effectus causæ formalis non potest sic fieri; ergò: probatur mi. quia fit per communicationem suæ entitatis subjecto.

V. Probatur secunda pars: Quia causalitas materiæ est eductio & sustentatio formæ, sed hæc nequit fieri, nisi per subjectionem sustentantis ad rem sustentatam, sed Deus nequit in se recipere & sustentare formam; ergò nequit supplere hanc causalitatem.

Probatur tertia pars: Quia in Eucharistia existit quantitas, & tamen non subjectatur in materia, ergò. Deinde potest Deus conservare formam sine unione ad materiam, solâ actione conservativâ, quâ antecedentèr conservabat in materia.

Dices contra prima pars: VI. Forma unitur materiæ unione, quæ est in materia; ergò potest Deus se ipsum unire subjecto, sine mutatione & imperfectione receptionis, per solam terminationem materiæ inexistentis. R. negando ant. Quia forma non potest uniri subjecto sine aliqua mutatione sui, & hæc mutatio non fit, nisi per receptionem unionis, quâ intrinsecè formalitèr dicitur unita subjecto, quod debet informare.

DISPUTATIO IV.

DE CAUSA EFFICIENTE CREATA.

Dari causam efficientem res de facto non vertitur amplius in dubium, quàmvis nonnulli olim, teste Averoë, opinati sint, nullam causam creatam dari, quæ aliquid produceret, sed Deum tantummodò ad præsentiam caloris producere calorem, ad præsentiam ignis ignem, ad præsentiam nivis frigus & sic de cæteris. sed hæc deliria fuisse veterum, probat tum fides ex Concilio Tridentino damnante omnes eos Sess. 6. Can. 4. qui dicunt liberum arbitrium nihil omninò agere, sed habere se passivè & mortuo modo, *& ex ipsa Sacra Scriptura, quæ varios effectus rebus, & causis creatis adscribit, ut sunt omnia merita & demerita, probat item ratio, quia videtur inconceptibile, quòd non ego hanc scriptionem faciam, sed Deus solus ad præsentiam manus meæ, cùm illa chartæ & calamo sit sæpè præsens, nullam tamen scriptionem faciat, imò non apparet, cur natura providerit de tot tamq; diversis organis & instrumentis hominum, brutorumq; ad producendos diversissimos effectus, & sibi proportionatos, si Deus ad præsentiam nudam eos produceret, cùm posset ad præsentiam auris producere visionem, & ad præsentiam oculi auditionem; si enim ipse est, qui omnia operatur, non potest demonstrari, cur ad præsentiam hujus potius producat effectum, quàm alium. Et licèt censeri posset, præmittendam disputationem, vel de causa in communi, vel de causa efficiente prima, quia tamen nihil causæ in Deo, & creatura potest esse commune, sicut nihil est esse, ideò de causa creata disputationem inchoandam putavi, ut quemadmodum natura, ita etiam doctrina, ab imperfectioribus progrederetur ad perfectiora, imò perfectissimum Deum, ideò pro nunc sit*

QUÆSTIO I.

Quid sit causa Efficiens?

I. Aristoteles plures tradidit causæ efficientis definitiones, vel potiùs descriptiones, tum in Metaphysica, tum Physica. Prima est: Causam efficientem *esse primum principium per se, à quo procedit actio, vel motus atq; effectus*; Altera, quam habet 5. Metaph. t. 2. est, *quòd sit principium primum mutationis & quietis*, quæ definitiones à nonnullis recipiuntur veluti bonæ & adæquatæ; ab aliis è contrà rejiciuntur, veluti insufficientes & non abs re, nam prout in terminis jacent, neutra unquam mihi arrisit, graves etenim patiuntur difficultates, inprimis enim non explicatur satis ejus causandi ratio, cùm aliis conveniat, ut fini, tempori, loco, &c. quibus reverà competit, nam finis est primum principium, & quidem magis primum, quàm sit efficiens, cùm finis efficientem moveat, materia item primum principium est omnis mutationis, & sic de aliis. Denique certum est, naturam esse primum principium mutationis & quietis ejus, in quo est, si ergò causa efficiens etiam est tale principium, quomodò igitur inter se differunt? Propter has & similes difficultates Authores passim recedunt ab Aristotele, quàmvis non negem, quin posset etiam commodè salvari & explicari. Itaque ut meam mentem & descriptionem proponam, notandum, quòd non intendam aliam descriptionem dare, quàm causæ efficientis ad compositum Physicum, prout est una ex quatuor causarum generibus, non verò, ut comprehendat efficiens creativum, quod causare & efficere potest sine motu & mutatione. Unde ad quæstionem, quam brevitèr expediam,

II. *Describitur causa efficiens.*

DICO: *Causa efficiens propria, Physica & principalis benè describitur, quòd sit causa extrinseca, per se realitèr influens esse in effectum, ipsum ex ratione*

tione causalitatis non sustentando. Hanc, ut probem, declaro omnes ejus particulas. Dicitur itaque: *Causa extrinseca*, per quam particulam excluditur materia & forma, & convenit cum causa finali, nam materia & forma, licèt concurrant ad compositum Physicum, non tamen extrinsecè, sed intrinsecè seipsas communicando: dicitur *per se*, per quod excluduntur causæ per accidens & instrumentales, quæ non in virtute propria & per se agunt, sed tantùm in virtute communicata; excluduntur etiam conditiones sine quibus non &c. Particula *realiter* excludit causam finalem, quæ non nisi intentionaliter & metaphoricè movet ad agendum. Dicitur *influens esse in effectum*, supple distinctum, per quod iterum excluduntur materia & forma, & adstruitur vera ratio causæ efficientis, quia nulla alia causa dat per se realiter esse effectui distinctum, præter efficientem, nam ut communis docet, & esse quoque de mente Scoti, superiùs probavi, materia & forma ut unitæ, non causant compositum, sed sunt ipsum compositum; Nec refert, quòd materia etiam videatur dare esse alicui distinctum, seu influere in effectum distinctum, scilicet in formam, quia ejus influxus per ultimam particulam sufficienter rejicitur, scilicet *ipsum*, id est effectum, *ex ratione causalitatis suæ non sustentando*, quia materia ex sua ratione formali, quâ influit in formam, petit etiam eandem sustentare, cùm in tali naturali sustentatione consistat ejus causalitas, quarè licèt etiam quandoq; efficiens suum effectum sustentet, hoc non facit ex ratione suæ causalitatis, sed aliunde, exemplum sit de voluntate, quæ suam volitionem sustentat, non tamen ratione efficientis, sed quia est causa materialis ejusdem volitionis, & sic est quoque de intellectu. Per particulam *esse in effectum* suprà positam, excluditur etiam causa corrumpens compositum, quæ potiùs dici deberet deficiens, quam efficiens. Item subjectum, respectu passionum, & relationum sibi identificatarum, quæ non per efficientiam, sed per emanationem procedunt. Contra datam definitionem non invenio particularem aliquam difficultatem, quarè propero ad alia.

QUÆSTIO II.

De Causalitate Causæ Efficientis.

I. *In quolibet efficiente tres sunt respectus.*

Pro resolutione hujus quæstionis, Notandum ex Doctore, in quocunque Efficiente creato tres reperiri respectus: Primus est ad terminum totalem & principalem, qui dicitur productus, & sine addito dicitur respectus producentis ad productum, verbi gratiâ ignis *A* ad ignem *B* à se productum. Secundus est educentis vel inducentis ad eductum vel inductum, estque respectus, quo respicitur terminus *quo*, seu forma producta, ut ignis *A* respiciens formam ignis *B* à se de potentia materiæ eductam. Tertius est respectus, quem dicit ignis generans ad subjectum formæ ignis generati, quod vocatur passum vel transmutatum, unde dicitur respectus transmutantis ad transmutatum. Primi duo respectus dicuntur, & sunt intrinsecùs advenientes, tertius verò extrinsecùs adveniens ex eo, quòd non resultet necessariò positis extremis, quemadmodùm resultant priores, potest namq; transmutans & transmutatum esse absq; eo, quòd resultet ulla relatio; Omnes tamen isti respectus communiter, vocabulo actionis exprimi solent, quàmvis non omnes actiones ad idem prædicamentum spectent, non priores spectent ad quartum, posterior ad quintum, ut docui in Logica, ubi id ipsum fusiùs adnotavi, sicut etiam quàm multipliciter *Tò Actio* capi possit; unde ex ibidem dictis

Suppono primò: Actionem, quæcunque demum illa sit, non subjectari in passo, sed in agente: Quia actio est in illo, quòd denominat agere, sed non denominat passum agere; ergò, non erit in passo veluti in subjecto; patet major, nam hoc est commune omnibus formis, tàm substantialibus, quàm accidentalibus, tàm absolutis quàm relativis, ut subjectum denominent, cùm illi inhæreant, & sese communicent. II. *Actio in agente.*

Suppono secundò: Ex dictis suprà agendo de causis in communi, quamcunq; causalitatem non dicere aliquid absolutum, neque relationem aliquam mediam, inter causam & effectum, quia illud absolutum deberet esse vel ipsa entitas agentis, vel aliquid de novo productum, non primum, quia agens per actionem formaliter denominatur agens, nec secundum, quia omnis relatio præsupponit sua extrema, & consequenter nec actio erit aliquid absolutum, nec respectivum, medians inter causam & effectum. His præmissis

Dico 1. *Causalitas causæ efficientis in actu primo, est virtus, à quâ habet aliquid posse influere esse in effectum distinctum.* III. *Affirmativa.*

Probatur: Quia illa est causalitas in actu primo, à quâ res habet, ut denominari possit causa in tali actu, licèt nihil producat, sed à virtute illa denominatur res formaliter causa in actu primo; ergò virtus illa erit ejus causalitas: ma. patet, quia in hoc distinguitur causalitas in actu primo, à causalitate in actu secundo, quòd illa denominet causam, etiamsi nihil producat, hæc verò non nisi dum actu producit: probatur mi. quia ex eo, quòd res habeat talem virtutem, potest vocari causa, quam si non haberet, non posset sic vocari, ergò.

Dico 2. *Causalitas causæ efficientis in actu secundo, est actio, si referatur ad causam producentem, & terminum productum de novo, intrinsecùs adveniens relatio, si consideretur autem respectu subjecti transmutati in ratione transmutantis, relatio est extrinsecùs adveniens.* Hæc colligitur ex Doctore in 4. d. 13. q. 1. & in 2. d. 1. q. 2. & alibi. IV. *Actio est relatio.*

Probatur primò: Illa est causalitas in actu secundo, quâ positâ & præciso omni alio, causa denominatur actu causare, sed positâ actione, præciso omni alio, causa efficiens denominatur actu causans, ergò: probatur mi. quia positâ actione in igne *A* denominatur formaliter causans ignem *B*, & transmutans subjectum, ergò.

Probatur secundò: Quodlibet abstractum debet explicari per aliquod abstractum, sed

sed causalitas est aliquod abstractum; ergò ipsa debet explicari per aliquod abstractum, sed in causa efficiente nihil melius dicitur, quàm efficientia, seu actio; ergò actio erit causalitas causæ efficientis: probatur subsumptum, quia si esset aliquod, esset *agere* vel *efficere*, sed hoc non potest esse, ergò: ma. est Adversariorum: probatur mi. Non benè exprimitur, album est qualitas; ergò nec benè dicitur, causalitas est agere vel efficere, ex eo, quòd unum sit concretum & alterum abstractum, & ècontrà sicut benè dicitur, albedo est qualitas, ita benè dicetur, causalitas est actio, ergò. Sed in contrà

V. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Nequit dici, quòd causa efficiens habeat aliquam causalitatem respectu ejus, in quod non influit esse, sed non influit esse in subjectum; ergò non potest dici, quòd habeat aliquam causalitatem respectu ejus. Sed R. dist. mi. non influit esse intrinsecum & absolutum, concedo mi. non influit esse extrinsecum & secundùm quid, nego mi. & consequentiam. Itaque licèt subjectum præsupponatur simpliciter agenti, nihilominùs sicut materia dicitur effectus formæ extrinsecus, ex eo, quòd accipiat ab ea esse specificum, & determinatum in genere causæ formalis, sic quoque subjectum accipit esse ab efficiente, non quòd producatur, sed quia transmutatur, ratione cujus transmutationis habet aliud esse nunc, quàm antè habuerit. Sed

Instatur: Ab omnibus causalitatibus debet posse abstrahi aliqua ratio communis, sed ab eo, quod est secundùm quid tale & ab illo, quod est simpliciter tale, non potest abstrahi aliqua ratio communis; ergò nec dici debet, causalitatem causæ efficientis esse aliam ad subjectum, aliam ad terminum productum. R. negando mi. quia illud, quod est secundùm quid tale & illud, quod simpliciter est tale, possunt habere aliquam rationem communem, si non specificam, saltem genericam & universalem, ut patet in pluribus aliis: & sic causalitas causæ efficientis, ut sic dici poterit actio præscindens à termino simpliciter producto, & à termino secundùm quid producto, quia differentia illarum causalitatum erit specifica, non generica. Imò dici potest, licèt non possit abstrahi conceptus communis simplex, poterit conceptus communis compositus disjunctivus, verbi gratiâ relatio, unde aliud productum est, vel transmutatum.

Urgetur: Ab eo, quod est effectus & quod est causalitas, nequit abstrahi aliqua ratio communis generica, cùm sint diversorum generum, sed actio una est effectus; ergò nequit esse communis cum altera, quæ est causalitas: ma. patet, probatur minor, quia actio transmutantis est ipse effectus, cùm aliàs nihil producatur, imò utraque dici potest effectus, cùm ab ipsa causa utraque dependeat. R. dist. mi. est effectus Physicè productus, nego mi. per emanationem, concedo mi. & similiter dist. probationem ejus, est namque utraque actio effectus per emanationem, verùm ista dependentia non arguit effectum propriè dictum.

QUÆSTIO III.

An Causa secunda Creata aliquid efficienter producat?

In Ingressu ad hanc disputationem prænotavi quidem aliqua, tanquam certa, quòd causa creata non merè passivè se habeat, sed etiam efficienter concurrat ad suos effectus producendos, videtur nihilominùs materiæ utilitas exigere, ut res paulò fusiùs examinetur, supponendo itaque inania fuisse deliria antiquorum, Deum omnia producere ad præsentiam causarum creatarum, I.

Dico: *Causæ secundæ in hoc sublunari mundo verè Physicè efficiunt & producunt suos effectus.* Hæc est Catholicorum omnium, & II. *Causæ secundæ verè aliquid producunt.*

Probatur primò: Ex Sacra Scriptura 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patiendi & clauserit viscera sua ab eo. Si enim fratrem suum, quem videt non diligit, Deum, quem non videt, quomodo diligere posset*: & Matth. 25. Prædicit Salvator, quomodo Filius hominis, cùm venerit in Majestate sua, exprobrabit Peccatoribus, quòd opera bona neglexissent facere: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me, quia non fecistis uni ex minimis meis, nec mihi fecistis.* Et alibi plura similia comminatoria & exprobratoria. Ex quibus sic argumentor: Si Deus omnes omninò effectus causarum secundarum producit, ita, quòd illæ nihil præstent, præter solam præsentiam, non haberet rationem, cur unos collaudaret de factis operibus bonis & meritoriis, & aliis exprobraret omissionem istorum operum, ergò: probatur ant. quia tàm boni, quàm reprobi exhibuerunt tantummodò præsentiam suam, nec in virtute eorum fuit, ut ipsi producerent suos effectus; ergò gratis exprobraretur ipsis, cùm nihil omiserint, quod in ipsis fuit, & si Deus solus producit effectus, solus illa causa est, quarè hìc sint producti, & illinc sint omissi.

Probatur Conclusio secundò, III. Authoritate Sanctorum Doctorum nostrorum Augustini lib. 5. de Civit. cap. 9. ubi docet: *Humanas voluntates humanorum operum causas.* Serm. 38. de verbis Dom. cap. 10. ait: *Homo hominem generat, equus equum, & pecus pecudem*: & 3. Trinit. cap 8. dicit: *Sicut Matres sunt gravidæ fœtibus, ita ipse mundus gravidus est causis nascentium*: ac denique lib. 9. cap. 17. universaliter docet: *Naturam à Deo creatam esse ad suos certos effectus.* D. Bernardi de Vite mystica cap. 32. ubi ait: *Charitas ergò, quæ otiosa esse non potest, ubicunq; est, operibus se ostendit, sicut beatus Gregorius dicit: Probatio dilectionis exhibitio est operis*: & Epist. 84. de castigationis ratione & discretione habenda scribens ait: *In similibus factis causa dissimilis simile recusat judicium*: Et de Convers. ad Clerum cap. 8. adscribit opera nostra nobis dicens: *Nec enim opera*

transeunt, ut videntur, sed temporalia quæq;, veluti æternitatis semina jaciuntur. Et alibi sæpè similia.

III. Probatur Conclusio tertiò Ratione, tum cujuslibet experientiâ, quâ scit se operari, loqui, scribere, ambulare, comedere, sed istæ operationes non proveniunt à Deo, sed ab ipso operante, ergò: probatur min. quia hæ, & similes operationes requirunt intrinsecum principium, sed Deus non est intrinsecum principium, ergò: patet ma. probatur mi. intrinsecum principium debet esse pars constitutiva veluti ratio *quo* agendi constituens agens *quod*, sed Deus non est, sed nec esse potest tale principium, ergò. Confirmatur: Ex operationibus immanentibus visionis, intellectionis, quæ requirunt idem principium productivum, quod est earum receptivum, sed si provenirent ab aliqua extrinseca causa, non possent dici immanentes; ergò, nec refert, quòd Aristoteles doceat, *intelligere esse quoddam pati*, quia tantùm vult, quòd fiat formaliter intelligens per passionem, seu receptionem, non verò, quòd non producat eandem etiam efficienter, quod de potentiis externis clarissimè liquet, quæ frequentissimè recipiunt species objectorum absq; eo, quòd se advertant videre, adeoq; non sufficit sola receptio visionis, sed etiam requiritur efficientia.

IV. Probatur quartò: Si Deus omnia agit, & causæ secundæ requiruntur tantummodò, veluti conditiones, ad quarum præsentiam effectus producit, sequitur, Deum inconsultò, improvidè, & superfluè creâsse totius universi motum, influxum astrorum, temporum variationem, terrarum dispositiones, sed hoc asserere impium est & blasphemum, cùm Deus omnia in pondere & mensura sapienter & suaviter disposuerit, & ordinaverit omnia, ne quidquam superfluè agendo, ergò: probatur sequela. Quia si Deus producit plantam, aut viventia se solus, non videtur, quòd requiratur terra fertilis & fructuosa, pinguis, pluvia frequens, semen, granum, calor, &c. cùm possit illa se solo absque præsentia tot tamq; diversarum rerum producere, ergò: superfluè & inconsultò hæc omnia creâsset & fecisset.

V. Dices: Deus se solo conservat omnes effectus causarum secundarum; ergò etiam se solo producit eos: probatur consequentia, quia non plùs requiritur ad productionem, quàm ad conservationem, ergò: probatur etiam ant. Quia quando semel ignis productus est, non concurrit amplius causa secunda ad ejus conservationem, sed Deus solus eum conservat, ergò. R. 1. Negando ant. Quia dantur multi effectus, qui planè nequeunt conservari à solo Deo, sed necessariò requirunt causas secundas, quales sunt omnes relationes, quæ nullo modo queunt conservari sine subjecto, & non modò in respectivis hoc contingit, sed etiam in probabili Scotistarum sententia in absolutis, qui totum substantiale distinguunt à suis partibus simul sumptis & unitis, quod tamen Deus, nec per potentiam absolutam, conservare potest sine partibus. Deinde sol producit lumen & lucem, quæ tamen requirit continuum concursum & influxum solis ad ejus conservationem. R. 2. dist. Deus se solo conservat omnes effectus eodem influxu, quo produxit in substantia, concedo, in modo, nego ant. & consequentiam, & dist. similiter probationem consequentiæ. Itaq, quando conservat, videtur magis concurrere, quàm quando producit, quia tunc se solo præstat influxum, in productione verò concurrit etiam causa secunda. Deinde dici potest, quod quàmvis effectus causæ non conservetur ab ipsa, conservatur tamen per seipsum etiam partialiter, quod patet ex eo, quòd resistat contrariis sese destruere conantibus.

Dices secundò: Vel Deus est potens se solo producere effectum, vel non est, si primum; ergò non requirit ullo modo concursum causæ secundæ, cum tunc potiùs se oneraret & concursus multiplicare deberet: secundum verò dicere est impium, & etiam quia si se solo nequit facere, per concursum causæ secundæ non acquiret majorem virtutem. R. Deum quidem se solo esse sufficientem ad producendos quoscunque effectus, ex hinc tamen non licèt inferre, quòd defactò eos sic producat, quia alioquin gratis tribuisset causis secundis virtutem activam, imò gratis invitaret præmiis ad operationes amoris & dilectionis, gratis clamaret: præbe mihi fili, cor tuum, si non vellet vel suavitèr ordinâsset, ut causæ secundæ etiam cooperentur, cùm sibi ipse totum cor rapere posset & omnem effectum, actumq; amoris producere, quem cor producere deberet. Deinde sequeretur, quòd vel instrumentum, vel principalis causa nihil ageret, quia deberet uni tantummodò adscribi effectus. VI

QUÆSTIO IV.

An Substantia sit productiva substantiæ, an verò accidentia?

Titulus Quæstionis non est, an una substantia possit aliam producere ex nihilo sui & subjecti, de quo infra, quando examinabo, an creatura possit elevari ad creandum, sed an substantiæ creatæ habeant virtutem, ut possint dependenter à subjecto producere aliam substantiam, per suam essentiam, tanquam per principium *quo* principaliter attingat productionem alterius substantiæ, an verò omnes substantiæ ab accidentibus producantur. Circa materiam præter Platonica deliria & Avicennæ somnia, qui omnem effectum in Ideas & Intelligentias referebant, ut suprà adnotavi agens de forma: Triplex alia solemnis in Scholis est sententia, duæ extremæ, una media. Prima est Thomistarum, quæ asserit, omnem substantiam produci per accidentia, ita docet D. Thomas 1. p. q. 45. art. 1. & art. 8. quem sequuntur Thomistæ communiter, ut proinde plures non sit necesse citare, ipsi tamen in duas abiêre vias, nam aliqui docent, accidentia producere substantiam in sua propria virtute, quatenùs scilicèt accidens est; alii econtrà & potiori ex parte asserunt, accidens attingere quidem substantiæ productionem, non verò in propria, sed in virtute substantiæ, ajunt enim, accidens duplicem habere agendi modum, unum

unum secundùm se, quatenùs est accidens, & hunc appellant in virtute propria, sic dicunt calorem non posse producere nisi calorem; alterum in virtute substantiæ, cujus est virtus & instrumentum, sic calor, licèt non habeat virtutem, nisi producendi calorem, tamen in quantùm est naturale instrumentum animæ & generantis, potest producere carnem & ossa. Altera sententia est Doctoris subtilis in 1. d. 31. & 4. d. 12. q. 3. quem, præter suos, sequuntur Nominales, Recentiores communiter, Durandus, Hurtadus, Arriaga, Oviedo &c. qui omnes unâ voce clamant: Accidens non posse producere substantiam, sed omnem substantiam produci à substantia. Tertia sententia conatur duas priores reconciliare, unde patet, nec substantiam solam, nec accidens solum producere substantiam, sed tàm unum, quàm alterum concurrere per modum unius causæ ad productionem alterius substantiæ, ita Suaretz, Comptonius &c. Sed frustra, nam cùm semel concedant, ut fatentur, substantiam immediatè & sine accidente habere virtutem producendi substantiam, non est ratio, cur non semper id faciat, cùm semper sit proportionata. Antequàm autèm ad quæstionem resolvendam progredior

II. *Substantia spiritualis non producit alteram.*

Suppono tanquam certum, nullam substantiam spiritualem esse productivam alterius substantiæ, quod exinde clarum est, quia vel posset producere spiritualem vel materialem, sed neutram potest; ergò nullam, non spiritualem, quia hæc, cùm non sit Physicè composita, petit simpliciter à Deo creari: nec etiam materialem, quia eam deberet producere per intellectum & voluntatem, cùm alia virtus in ipsis non sit assignabilis, sed intellectus & voluntas nullam possunt producere substantiam, cùm sint tantùm productivæ intellectionis & volitionis, quæ sunt mera accidentia. Itaq;

III. *Una substantia non producit aliam.*

Dico 1. *Una substantia naturalis est immediatè productiva alterius substantiæ.* Ita secunda sententia, &

Probatur primò, Authoritate Sanctorum Doctorum, Augustini lib. 12. Civit. cap. 25. ubi ait: *Alia verò* (id est species vel forma substantialis,) *quæ intrinsecùs efficientes causas habet, de secreto & occulto naturæ viventis atq; intelligentis arbitrio, quæ non solùm corporum naturales species, verùm etiam ipsas animantium animas, dum non sunt, facit,* & lib. contra secundi: cap. 3. *Si genuit ea, cur non æqualia generanti?* & alibi sæpè, ex quibus apertè colligitur, illud, quod generatur, æquale esse debere generanti, unde cap. 4. dicit: *Si de aliquo fecit, utiq; aut de seipso, aut non de seipso; si de seipso, non ergò fecit, sed genuit, cur igitur inferiora genuit?* D. Bernardi, Serm. 10. de verbis Domini, ubi hæc habet: *Ego sum vitis vera, non illa, quæ versa est in amaritudinem, quæ ut faceret uvas, expectabam, fecit autem agrestes labruscas, Ego sum vitis odorifera, pulchritudinis miræ, floribus fœcunda, dans botrum dulcissimum cunctis palmitibus meis manentibus in me:* & Serm. d. S. Benedicto ait: *In vallibus pinguedo est, ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, juxta illud: valles abundabunt frumento:* ubi clarè & fusiùs adstruit arboribus & viti activitatem & fructificationem.

Probatur Conclusio secundò ratione, quam desumo ex authoritatibus D. Augustini supra: Dantur generationes viventium; ergò una substantia naturalis est productiva alterius: probatur consequentia, omne, quod generatur, debet esse simile generanti, ut patet ex Augustino & insuper, quia generatio definitur, quòd sit productio viventis à vivente, sed substantia una non produceret aliam, nulla daretur talis generatio, ergò: probatur min. quia nullum accidens est vivens, nec ulla substantia constituitur in esse viventis, per aliquod accidens: ergò.

Probatur secundò ratione: IV.
Dantur productiones substantiales univocæ; ergò una substantia producit aliam; patet: quia illæ dicuntur productiones univocæ, quando causa aliqua sibi in natura producit similem effectum: probatur ergò consequentia, quia si non produceret, nec producere posset una substantia aliam, nullæ darentur productiones univocæ, sed &c. ergò: Probatur sequela ma. Accidens & substantia ad se invicem comparatæ non sunt univoca; ergò nec actiones accidentis & substantiæ; probatur ant. plùs differunt substantia & accidens, quàm una species substantiæ viventis, ab alia specie substantiæ viventis, sed duarum talium specierum actiones sunt æquivocæ, ergò: probatur ma. quia actio æquivoca esset, si bos generaret asinum & è contra; ergò à pari erit quoque æquivoca actio substantiæ & accidentis.

Probatur Conclusio tertiò: V.
Unum accidens potest producere aliud accidens; ergò etiam una substantia aliam ant. patet, quia calor producit alium calorem &c. probatur consequentia, quia tàm similis & proportionata est una substantia alteri substantiæ, quàm unum accidens alteri; ergò tàm benè substantia poterit producere substantiam, quàm accidens accidens, cùm non videatur conceptibile, quomodò natura substantiæ tribuisset perfectius esse, & non tribueret etiam operari, quod semper esse consequitur & potiùs videtur, quòd natura debuisset substantiæ providisse de activitate, quàm accidenti.

Dico 2. *Accidens non potest suâ potestate & virtute, tanquam causa principalis producere ullam substantiam.* Hæc consequitur ex priori; & VI. *Accidens non potest producere substantiam.*

Probatur primò: Authoritate D. Augustini lib. de immort. anim. cap. 8. ubi ait: *At si quod dicitur, factum est corpus, aliquo faciente factum est, nec eo inferiore, neq; enim esset potens ad dandum ei, quod faceret, quidquid illud est, quod est, quod id faciebat:* sed accidens est multò inferius substantiâ; ergò nullum accidens, tanquam causa principalis, potest producere aliquam substantiam.

VII. Probatur secundò Ratione Scoti: Nullum imperfectius potest producere perfectius, omnis substantia est perfectior accidente quocunque ejusdem ordinis & naturalitatis quoad entitatem; ergò nullum accidens potest producere aliquam substantiam, patet totum argumentum & major, de quâ solâ potest quæri subterfugium, quàmvis de se videatur clara, attamen adhuc probatur triplicitèr: Primò: Quia omnis causa debet in se virtualitèr continere suum effectum, nullum imperfectius potest continere illud, quod est perfectius; ergò nullum imperfectius potest producere perfectius. Secundò: Nihil potest dare alteri, quod non habet, nullum imperfectius habet illud, quod est perfectius; ergò nullum imperfectius potest producere perfectius, cùm producere aliud non sit, quàm dare & communicare alteri esse. Tertiò: Si imperfectius posset producere perfectius, sequeretur, quòd protervus quicunque negare posset infinitam perfectionem in Deo, tanquam primâ causâ ex ratione causationis, quia imperfectius potest producere perfectius, imò dici posset, quòd totum hoc universum factum sit à musca, aut scarabæo, quæ omnia sunt absurda. Et hoc principium Scoti, ut ait Oviedo cont. 9. Phys. punct. 4. *Magni est momenti*, & nunquam satis solutum, ut fatetur alius quidam, quod inde patet, quia Adversarii per tàm diversas responsiones ad angustiam redacti sunt. Nam

VIII. *Variæ responsiones & imprimis Rubionis.* Rubion putat hoc principium esse tantùm verum de causa *ut quod*, non verò *ut quo*, unde dicit imperfectius posse producere perfectius *ut quo*, licèt non, *ut quod*; verùm non evadit difficultatem, quia Causa ut *quod* in tantum causat, in quantum habet virtutem causandi, ita ut si non haberet virtutem talem, omninò causare non posset, seu, Causa in actu secundo ita causat, in quantum potens est in actu primo, sed actus primus est ratio causandi *ut quo* & non *ut quod*; ergò in tantum causabit in actu secundo, in quantum erat potens in actu primo; ergò etiam in actu primo, seu in ratione *qua* causandi debet esse causa perfectior suo effectu, vel saltem æque perfecta, cùm operationes sint specierum, & non suppositorum, nisi veluti conditionum & ut *quod* principiantium.

IX. *Morisani.* Morisanus negat etiam principium hoc, & Scoti rationem esse universalem, sed aliâ viâ, quia dicit: Materia prima est causa compositi, sed materia prima est imperfectior, quàm sit compositum; ergò aliquod imperfectius potest producere perfectius. Hæc responsio negotium facescit Scotistis distinguentibus totum à suis partibus, unde dicunt, materiam esse causam intrinsecam compositi, principium autèm illud currere de causa extrinseca, verùm non videtur ratio, quarè causa intrinseca posset esse imperfectior suo effectu, & non posit etiam esse extrinseca & dicere, hoc esse ideò, quia intrinseca non est causa adæquata, nihil est dicere, quia sic etiam dicam, causa extrinseca non est adæquata, & quemadmodùm illi, præter intrinsecam, extrinsecam requirunt, ita etiam ergò dico, præter extrinsecam intrinsecam esse necessariam. Unde qui totum non distinguo à suis partibus, cum Barone faciliùs respondeo, materiam non esse imperfectiorem composito, in quantum est unita, qualitèr dicitur habere rationem causæ, licèt sit imperfectior sejunctim, & non sub ratione causæ, unde materia & forma ut unitæ, non sunt causæ totius, sed ipsum totum.

X. *Pererius.* Pererius dicit: Accidens esse quidem substantiâ imperfectius in entitate, sed non in activitate, unde ad argumentum concedit ma. & negat mi. Verùm nec hic evadit, aut eludit argumentum, nam operari sequitur ad esse; ergò quò perfectius est esse, perfectius erit etiam operari. Deinde ipse adversarius non distinguit virtutem agentis, sive illud substantia sit, sive accidens, nisi solâ ratione ab ipsa entitate, & non nisi formaliter; ergò accidens nequit esse nobilius in agendo, quàm in sua entitate, & consequenter dum concedit accidens in entitate esse imperfectius, concedit etiam implicitè illud esse imperfectius, in agendo, substantiâ. Denique

XI. *Thomistæ.* Communis Thomistarum evasio est, accidens non posse producere substantiam in virtute propria, benè tamen in virtute aliena, unde volunt, quòd imperfectius possit producere perfectius in virtute aliena, accidens nempe substantiam in virtute substantiæ. Sed Contrà primò, vel intelligunt Thomistæ accidens agere in virtute substantiæ, quòd ab ea accipiat aliquam virtutem, quâ mediante agere possit, vel quòd nihil accipiat? si hoc posterius dicunt, non subsistunt, si enim nihil accipit, non est ratio, quarè dicatur agere potiùs in virtute substantiæ, quàm quantitatis vel relationis, aut hircocervi: si primum? tunc de illo iterum quæro, illa virtus à substantia acquisita vel est substantia, vel accidens? si est substantia, tunc intentum habeo, quòd substantia immediatè attingat aliam substantiam producendam: Imò quâ ratione dicunt, quòd hæc substantia acquisita possit producere aliam substantiam, possum etiam adstruere primam substantiam aliam efficere posse, jam utrobique par sit ratio. Denique non est conceptibile, quomodò illa substantia possit in accidente recipi. Si verò virtus illa acquisita est accidens, non plus poterit præstare, quàm primum, quia æque erit minus perfectum, quàm sit substantia, unde gratis acquiri diceretur. Contrà secundò: Multi dantur casus, ubi accidentia non possunt agere in virtute substantia, quæ tamen videntur substantiam producere, secundùm Adversarios, nam in Eucharistia nulla est substantia, & tamen accidentia Eucharistica, secundùm ipsos, possunt producere substantiam. Item in motu velocis sagittæ, & fricatione duorum lignorum producitur ignis, & tamen tunc non est substantia ignis, in cujus virtute, motus & fricatio, quæ accidentia sunt, producerent alium ignem. Sed contra hoc

XII. *Cajetan.* Cajetanus dicit, accidens agere in virtute substantiæ, non quasi aliqua virtus fluiliter derivata in accidens, sed ideò, quia ipsum accidens est virtus substantiæ. Sed reverà nihil dicit, quàm, quòd accidens agat in virtute accidentis, quod dicitur virtus substantiæ, in quâ virtute producit etiam accidens aliud, & tamen tunc

tunc non dicitur agere in virtute substantiæ, sed in virtute propria, si autèm agit in virtute substantiæ, aliquid debet à substantia accipere, alioquin gratis dicetur in ejus virtute agere.

III. **Dices:** Accidens nihil aliud accipere, quàm, quòd sit cum tali vel tali substantia, nam, ut patet experientiâ, quando calor est cum igne, alium producit effectum & alium, quando est in vivente, hic nimirum concoctionem, ibi non. Sed nihil hoc obest, quia calor non facit efficienter concoctionem, sed tantùm dispositivè. Quòd si tamen urgeas, quarè calor hîc disponat & non disponat ibi. Sed respondeo facilè, hoc ideò esse, quia calor animalis, & calor ignis sunt diversæ speciei, quòd autèm sint, probo brevitèr (quia de hoc agam in libris de generet: ex proposito) tum, quia, quæ sunt ejusdem speciei, debent habere easdem operationes; tum, quia omnia accidentia specifica ita sequuntur speciem, ut non possint esse in alio individuo, quod non esset ejusdem speciei, sed calor, qui est in igne & in animali, sunt in diversis specie individuis; ergò etiam ipse calor erit diversæ speciei. Sed contra Concluſ.

XIV. *Opponitur & ſentit Ariſtot.* **Opponitur** Authoritas tum D. Augustini 5. de Civit. cap. 9. ubi ait: *Corporeæ causæ non debent inter efficientes connumerari*: tum Aristotelis de Sens. & Sens. cap. ubi docet, actiones esse inter contrarias qualitates, & ignem non agere, ut ignem, sed ut calidum. Sed R. & infero ex primo; ergò nec accidentia poterunt producere substantiam, cùm etiam sint causæ corporeæ. Sed veriùs dico, D. Augustinum ibi agere de causis corporeis agentibus liberè, unde dicit, causas corporeas non debere inter efficientes liberè connumerari, id est, bruta & reliqua corpora naturalia. Ad Aristotelem R. eum loqui de actione contraria propriè dicta, unde ignis non agit, nisi ut calidus in frigus, & ad producendam calefactionem, ad ignitionem verò agit, ut ignis est & non ut calidus, nisi dispositivè.

Instatur: Semen non concurrit ad generationem animalis dispositivè, sed virtus seminis est accidens; ergò substantiæ non agunt per accidentia dispositivè tantùm: ma. patet, quia semen efficienter producit ad minus corpus, vel formam corporis organici: Ad hanc instantiam & replicam multiplices solent adferri responsiones, verùm respondeo negando mi. quia semen sive animalis, sive plantarum, probabiliter habet vim aliquam substantialem & in viviparis, quæ fiunt per commixtionem, non modò semen maris concurrit, verùm etiam fœminæ, quæ non modo organizationem, sed etiam animationem, (præterquàm in homine) attingit. Sed

Urgetur: Semen ab Aristotele 2. de An. t. 10. appellatur instrumentum, sed nullum instrumentum attingit immediatè terminum principalis agentis; ergò nec semen. R. Semen appellari instrumentum improprio modo, in quantum scilicet est res aliqua instituta à natura, ad supplendas vices generantis, non verò, quòd sit causa instrumentalis, cùm reverà sit causa principalis, & substantialis secundum illas partes subtiliores, quæ agunt posteà in crassiores, est enim probabiliter ens aliquod heterogeneum, quàmvis Scotus videatur etiam alicubi docuisse, esse homogeneum & consequenter non esse activum, hoc enim fecit ex mente aliorum, & non ex propria. Sed ex ratione in contrà

Arguitur primò: Quidquid potest corrumpere substantiam, potest etiam eandem producere, sed accidens potest substantiam corrumpere; ergò potest etiam eam producere. Major patet, tum, quia unius corruptio, est generatio alterius, tum, quia eadem est causa substantiæ corruptæ, & substantiæ genitæ, ut potest demonstrari pluribus experientiis: probatur mi. Quia calor ignis generantis corrumpit frigus ut octo in aqua, & producit calorem ut octo, sed calor ut octo est incompatibilis cum aqua, patet mi. tum, quia corrumpit omnes gradus frigoris, & consequenter ipsam aquam, quæ connaturaliter existere nequit sine qualitate sua connaturali, tum, quia ubicunque est calor ut octo, ibi debet esse ignis, & consequenter non erit ibi aqua: probatur ergò ma. Calor ignis corrumpit alios gradus frigoris in aqua, sed isti gradus sunt omnes ejusdem rationis cum gradu octavo; ergo corrumpit etiam gradum octavum, quia agens potens in unum individuum ejusdem speciei, quoque potest in quodlibet aliud. R. negando mi. cum probationis ma. cum suæ probationis consequentia, ratio disparitatis est, quia, licèt octavus gradus sit ejusdem rationis cum aliis ejusdem speciei, hic tamen non potest corrumpi, nisi à potente corrumpere substantiam, quia substantia aquæ determinat aliquem gradum frigoris sine quo nequit connaturalitèr existere, qui à nullo accidente corrumpi potest, nam cùm substantia aquæ sit perfectior calore, fortiùs agit conservando seipsam, & qualitatem sibi connaturalitèr necessariam, quàm accidentia agant corrumpendo, & sic quamdiu substantia aquæ conservat sua accidentia, non possunt à debiliori agente corrumpi. XV. *Argumentum ex ratione primâ.*

Instatur primò: Hinc sequeretur, quòd si ignis posset sine isto gradu conservari, posset & produci, & consequenter posset produci sine calore in summo, sed hoc est inconveniens, ergò. R. negando sequelam ma. Quia aliquando plùs requiritur ad productionem, quàm ad conservationem, requiritur etenim existentia causæ producentis, vel generantis ad productionem filii, non tamen ad conservationem.

Instatur secundò: Si ratio suprà data valeret, probaret, quòd calor nullum omninò gradum frigoris corrumperet, sed hoc est contra experientiam, ergò: probatur ma quia substantia est fortior in conservando quemlibet gradum frigoris, quàm calor in destruendo R. negando sequelam ma. cum sua probatione. Ratio autèm, quarè substantia fortiùs agat in conservando octavum gradum, quàm alios, hæc est, quia substantia aquæ ex natura sua non exigit conservare omnes gradus qualitatis connaturalis, sed solùm illum gradum, sine quo nequit existere, imò ex natura sua est capax ali-

cujus gradus contrarii, cùm sit substantia, quæ est capax contrariorum, & proinde accidens fortiùs agit istos gradus corrumpendo, quàm substantia aquæ eos conservando, cùm non sibi determinaverit hos gradus, sed octavum.

Urgetur: Si octavus gradus frigoris non corrumpitur à calore, non potest ostendi, à quo corrumpatur; ergò debet corrumpi à calore: probatur ant. non à substantia ignis, quia frigus non dependet ab illa in ullo genere causæ, & ipsi non contrariatur, substantia enim non habet contrarium. R. dist. ant. non potest ostendi, à quo directè corrumpatur, transeat ant. à quo consequutivè corrumpatur, nego ant. & consequentiam. Itaque octavus gradus frigoris corrumpitur ex eo, quòd per substantiam ignis corrumpatur aqua immediatè, quia tunc desinit habere subjectum, sine quo connaturalitèr conservari nequit, sed quasi ad idem

XVI. *Secundum.*

Arguitur secundò: Si accidens non posset corrumpere substantiam, sequeretur, quòd si calor, qui est in toto mundo, applicaretur ad unicam guttam aquæ, quòd eam non posset corrumpere, neque octavum gradum frigoris ejus, sed hoc non videtur credibile & conceptibile, ergò. R. concedendo ma. & negando mi. Ratio est, quia accidentia non possunt corrumpere illam guttam, nisi introducendo aliam formam substantialem in materiam ejus, quæ connaturalitèr nequit esse sine omni forma substantiali, unde, ut prior expellatur, nova pro aliquo priori debet introduci, quarè postquàm à substantia ignis introducatur nova forma, destruitur & aqua, & octavus gradus frigoris.

Instatur: Ponatur casus, quòd calor ille applicetur uni guttæ aquæ, sine substantia ignis, in illo casu non est credibile, quòd non posset destruere & aquam, & octavum gradum, cùm sit multò majoris activitatis, quàm ille unicus gradus, ergò. R. quod in tali casu illa gutta corrumpetur vel à cœlo, vel à Deo aliisq; causis universalioribus, neque hoc est mirum, quia Deus, tanquam causa universalissima, supplet omnem defectum causæ secundæ deficientis, maximè quando in passo ponuntur tales dispositiones, ad quas connaturalitèr nata est sequi aliqua forma substantialis, prout contingeret in casu, ubi ad intensum calorem deberet sequi forma ignis.

Urgetur: Si poneretur frigus ut octo in quantitate aliqua separata à substantia, tunc posset calor illud destruere, secundùm omnes gradus; ergò potest etiam illud corrumpere, quando est substantiæ aquæ conjunctum, sed si corrumperet illum ultimum gradum, deberet etiam desinere substantia; ergò eam quoque corrumperet. R. negando consequentiam; disparitas est, quia dum frigus est separatum à substantia aquæ, tunc nullum est fortius agens impeditivum corruptionis, quàm sit calor corrumpens, quia nullum est subjectum, quod vel activum esset, vel cui connaturalitèr talis gradus frigoris deberetur, & consequentèr tunc calor, utpotè magis activus destrueret ipsum frigus, quando autèm est cum substantia conjunctum, tunc substantia est fortior in conservando octavum gradum, quàm calor corrumpendo.

Dico 3. *Nullum accidens potest producere substantiam, neq; tanquam causa partialis.* Hæc est etiam Authorum suprà. Et XVII. *Accidens non potest producere substantiam.*

Probatur primò: Tum, quia nulla ratio suadet oppositum, tum, quia nulla necessitas urget tribuendi accidenti activitatem, respectu substantiæ, quando substantia adest; ergò nullum accidens producit substantiam, nec partialitèr quidem; nec juvat paritas de intellectu, qui cum qualitate materiali concurrit ad productionem intellectionis, cùm tamen illa qualitas sit intellectione imperfectior, non juvat, inquam, quia ratio disparitatis est ex eo, quòd intellectus ex se sit indeterminatus, non sic autèm est substantia.

Probatur secundò: Quia omnis causa etiam partialis in virtute sua, saltem partialitèr, debent continere suum effectum, sed accidens nullo modo continet in se substantiam, ergò: ma. patet: probatur mi. quia accidens in virtute sua non continet nisi accidens, ergò: probatur ant. quia si in virtute sua contineret substantiam, posset eam virtutute sui propriâ producere, & sic posset etiam eam producere, quando est à substantia separatum, quod tamen adversarii non admittunt.

Probatur tertiò: Si accidens posset partialitèr producere substantiam, deberet eam producere cum substantia, quando illa agit, sed tunc nequit eam producere, ergò: ma. patet mi. prob. Ita se habent causæ secundæ in operari, quemadmodum se habent in esse, sed substantia in esse, prior est, quàm accidens; ergò est etiam prior in operari, & consequentèr accidens nullo modo operabitur, quia cùm effectus in unico instanti producatur, quando accidens accipit esse, tunc jam substantia operabitur, & consequentèr accidens nihil producat.

Dices: Sicut se habet substantia creata ad esse, ita se habet ad operari, sed esse connaturalitèr nequit sine accidentibus; ergò neque operari poterit. R. dist. non potest esse sine accidentibus, tanquam rationibus formalibus constitutivis, nego mi. tanquam conditionibus, & dispositionibus necessariò requisitis, concedo mi. & similitèr dist. consequens, non potest operari sine illis, tanquam causis productivis, nego consequentiam, tanquam dispositionibus necessariis præviis, concedo consequentiam. Itaque accidentia non sunt quidem data substantiæ purè ad ornamentum ejus, sed etiam ad producendas dispositiones, quarè, licèt quælibet substantia sit determinata ex se, ad producendam talem substantiam, verbi gratiâ ignis ignem, tamen non incongruè dicitur, quòd determinetur per accidentia, tanquam per dispositiones.

QUÆSTIO V.

An Substantia sit immediatè productiva accidentium?

Quemadmodùm in superiori quæstione examinatum fuit, an substantia producat proprias substan-

substantiam immediatè, an verò eam producant accidentia, ita hic ècontra quæritur, an substantia producat accidentia, an accidens ita producat accidens, ut illud substantia non posit attingere. Quæstio verò duplicitèr moveri potest, primò, an substantia sit productiva accidentium in se ipsa? secundò, an sit productiva eorum in subjecto alieno? Quoad primum, Thomistæ negant, substantiam in seipsa posse producere aliquod accidens, sed cujuslibet accidentis productionem attribuendam esse accidenti, putant enim substantiam in creatis nihil operari. Circa secundum putant nonnulli Recentiores cum Scotistis quibusdam, substantiam, quæ potest actione immanenti in se producere accidentia, posse eadem producere quoque in alieno subjecto, seu transeuntèr. Ita Mastrius, Hurtadus, Arriaga & plures alii. Sed ad primum progrediendo

I. *Substantia potest producere accidens.*

Dico 1. *Substantia ex sua ratione habet virtutem productivam accidentis immediatam & intrinsecam in se ipsa.* Hæc est Doct. in 2. d. 16. & in 4. d. 12. q. 3. quam probat Doctor ex 7. Met. t. 31. & 32. ubi Aristoteles ait: *Cæterum ex hu proprium substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ faciat, ut puta animal, si animal sit, quale verò, aut quantum non est necesse* (ut præexistat scilicet) *nisi potentiâ solùm*: ergò aliquid, quod non est quantum vel quale; ergò substantia id poterit, cùm hæc de se ex ratione formali nec quanta sit, nec qualis. Hæc authoritas non solùm præsentem conclusionem benè probat, verùm etiam præteritam quæstionem optimè confirmat, dum asserit, ut substantia esse accipiat, necesse sit substantiam præexistere. Sed

Probatur Conclusio ratione ab experientia, quæ, licèt communis sit, est tamen bona, quia videlicet videmus aquam calefactam se reducere ad pristinum frigus, sed non per aliquod accidens; ergò per substantiam; probatur min. si esset aliquod accidens, maximè esset gradus ille frigoris, qui, ex superiùs dictis, dicitur remanere cum aqua, vel aliquod aliud, sed neutrum est, ergò: ma. est communior, probatur minor, non aliquod aliud à gradu frigoris, quia tale non est assignabile, & recurrere ad occultam qualitatem non valet, cùm enim occulta sit, adferri nequit, tanquam manifesta & vera determinata causa: nec etiam ille prior gradus frigoris remanens, quia ille gradus deberet intendere seipsum, nec simile agit in simile, imò remissius, & minùs perfectum non potest producere magis perfectum, sed ista omnia sequerentur, si ille gradus remanens produceret reliquos, ergò: probatur min. primò, quia se intenderet ex eo, quòd acquireret plures gradus, secundò ultimus gradus ageret in proximum, qui est similis ultimo, denique magis perfectum est frigus ut sex vel octo, quàm ut unum, saltem perfectione extrinsecâ; ergò ille ultimus gradus remanens non potest producere reliquos gradus frigoris. Toletus recurrit ad aërem circumstantem, sed gratis, nam aër frequentèr est tepidus, & tamen aqua reducit se ad frigus, quod aquæ in summo competit, non aëri, ut infrà dicetur, adeoq; nequit aër producere illud frigus, alioquin daret, quod non haberet.

Dices: Accidentia Eucharistica se reducunt ad pristinum frigus, verbi gratiâ, species vini consecratæ calefactæ, si sibi relinquantur, sensim iterum frigefiunt; ergò ex eo, quòd aqua reducat se ad pristinum frigus, non provenit à substantia aquæ, alioquin ubicunque fieret talis reductio, deberet dici, quòd ibi sit substantia, quod repugnat fidei in Eucharistiæ sacramento. Sed R. In Eucharistia illam reductionem fieri à Deo, vi prioris miraculi supplente omnem defectum substantiæ, ad celandum tantum mysterium, quod etiam contingit in corruptione specierum, ubi Deus materiam novam vel antiquam reproducit. Sed II.

Probatur Conclusio secundò: Intellectio & volitio sunt vera accidentia, imò reliquis perfectiora, sed intellectus & voluntas, quæ sunt substantiæ, realitèr eas producunt; ergò substantia potest producere in seipsa aliquam accidentia. III.

Probatur tertiò: Substantia concurrit materialitèr ad productionem quantitatis, & aliorum accidentium sibi connaturalium; ergò etiam potest concurrere efficientèr, probatur consequentia, quia non minor requiritur virtus ad influendum materialitèr, quàm ad influendum efficientèr, sed materialitèr influere potest; ergò etiam efficientèr. Hinc infero substantias producere in seipsis in primo instanti, quo producuntur, qualitates suas connaturales (quæ emanare dicuntur, quæ emanatio non impedit veram actionem Physicam, cùm illæ qualitates realitèr distinguantur, licèt impediat in illis, quæ non sic distinguuntur) si enim habent virtutem productivam earum, debet illis potiùs adscribi productio, quàm aliis causis. Nec obstat, quòd generanti id communitèr adscribatur, quia hoc tantùm verum est de productione mediata, non verò de productione immediata, id est, quatenùs ab ipso generante substantia producitur, à quâ in eodem instanti producuntur illa accidentia.

Dico 2. *Substantiæ aliquæ possunt producere accidentia in alieno subjecto.* Ita Doctor 2. d. 9. q. 92. n. 15. Hurtado, Arriaga & plures alii. IV. *Substantiæ possunt producere accidens in alieno subjecto.*

Probatur Conclusio primò, Authoritate & ratione Scoti proximè citati, ubi hæc habet: *Quod sufficienter est in actu primo, respectu alicujus effectûs, potest illum causare in receptivo proportionato approximato*, sed aliquæ substantiæ sunt in actu primo, respectu aliquorum effectuum; ergò possunt illos producere in quocunque subjecto proportionato: probatur min. quia sol, piper, vinum &c. causant calorem, sed non per alium calorem; ergò per seipsa, probatur min. tum, quia sol &c. non est formalitèr calidus; tum quia non est assignabilis alia aliqua qualitas, ergò.

Probatur secundò, possunt substantiæ producere aliqua accidentia in se & immanentèr, ergò etiam transeuntèr & in alieno subjecto: probatur consequentia, quia nec est disparitas ex parte agentis, nec ex parte termini produ-

producti, quia actio transiens tàm perfecta est, ac immanens & è contrà, & calor, verbi gratiâ, productus in se, vel in alieno subjecto. Verùm quidquid sit de hac re

V. *Accidentia similia producuntur ab accidentibus.*

Dico 3. *Accidentia similia accidentibus substantiæ operantis non producuntur immediatè ab ipsa substantia, sed ab accidentibus illius.* Hæc est etiam communis inter Scotistas & Neotericos: &

Probatur primò: Illa debet alicujus effectûs dici immediata & vera causa, quæ effectui est magis proportionata, sed illa accidentia similia sunt magis proportionata accidentibus, quàm substantiæ; ergò illa debent dici causa: ma. patet, probatur mi. quia similia sunt sibi magis proportionata quàm dissimilia, sed illa sunt similia, ergò. Confirmatur hæc ratio, quia natura, & quæcunque causa semper intendit sibi assimilare effectum.

VI. Probatur secundò: Illa debet assignari alicujus effectûs vera & immediata causa, quæ eundem ubique æqualitèr producit, sed calor, verbi gratiâ, ignis & frigus aquæ, calorem & frigus æqualitèr producunt independenter à subjecto cui insunt; ergò illa accidentia sunt productiva aliorum similium: probatur mi. quia calor sive sit in ferro, lapide & aqua, semper calefacit & calorem producit, tàm benè, ac quando est in igne, sed in ferro, aqua, lapide &c. non concurrit ipsa substantia lapidis, aquæ &c. ergò producit independentèr à subjecto, cui inest: probatur mi. quia lapis, & aqua nullam habent vim & virtutem calefaciendi.

VII. Probatur tertiò: Si subjectum accidentium produceret, aut concurreret ad productionem accidentium, sequeretur, quòd aqua summè calefacta posset, imò frigefaceret, sed hoc est contra manifestam experientiam; ergò substantia non concurrit ad productionem similium accidentium, quæ in ipsa sunt: probatur sequela ma. tunc potest produci frigus, quando adest ejus legitima causa productiva, sed in aqua summè calefacta adest causa legitima productiva frigoris, nempe ipsa aqua; ergò aqua poterit illud producere, imò debebit & necessitabitur ad ejus productionem, cùm sit causa connaturalitèr agens.

QUÆSTIO VI.

An causa efficiens creata possit elevari ad producendos effectus supra naturam? Seu, an detur Potentia Obedientialis tàm activa, quàm passiva?

I. *Variæ controversiæ.*

Plurimæ & maximæ sunt circa præsentem quæstionem controversiæ, quæ potissimùm oriuntur ex ambiguitate & difficultate quæstionis de nomine, nam aliqui dicunt potentiam obedientialem, non esse aliud, quàm non repugnantiam creaturæ ad obediendum Creatori: verùm hìc loquendi modus planè non subsistit, si illa non repugnantia pro formali accipiatur, nam quemadmodùm omnis potentia dicit aliquam virtutem, ita etiam obedientialis dicere debet, omnis enim ratio generica speciebus convenire debet. Alii dicunt Potentiam obedientialem esse qualitatem infusam; Attamen nec hoc valere potest, quia sicut creatura immediatè recipit illam qualitatem infusam & supernaturalem, ita etiam immediatè actus vel habitus supernaturales recipere potest, qui elevant ad operandum obedientialitèr, & consequentèr potentia obedientialis non consistet in tali qualitate, vel dabitur processus in infinitum, quia ad illam qualitatem iterum debebit dari alia, & ad illam alteram tertia & sic deinceps. Alii alitèr loquuntur. Verùmtamen ad rem ipsam explicandam moveo manum: Unde ad tollendam omnem æquivocationem

Notandum: Per Potentiam obedientialem me aliud non velle intelligere, quàm virtutem aliquam inchoatam & partialem in creatura ad agendum vel patiendum, ita ut nequeat compleri in ratione causæ ab aliquo agente creato, sed tantùm ab increato concurrente cum illa creatura, non quomodocunque, seu cum concursu generali, quem Deus, velut Author naturæ, præstat omnibus rebus creatis, sed speciali, qui ex ratione & natura sua creaturæ est indebitus, ita tamen, ut creatura cum illo concursu non habeat rationem præcisæ causæ instrumentalis, sed principalis suo modo, nam de ratione instrumenti est, ut non attingat terminum principalis agentis, quem si adhuc attingeret, non facit propriâ virtute, potentia autèm obedientialis debet propriâ virtute, saltem inchoatâ attingere terminum principalem, nam effectus, quem illa potest attingere, debet habere cum illo, quem naturalitèr attingit, saltem aliquam proportionem, analogiam & similitudinem, ut non differant plus, quàm perfectum ab imperfecto, vel minùs perfecto, idque vel intra eandem speciem, vel si alterius speciei & altioris ordinis, habeat tamen aliquem ordinem ad causam productivam, ut non petat ab alia causa produci, Exemplum primi est in Beatissima semperq; Virgine Maria, quæ, licèt supernaturalitèr conceperit Christum, qui verus homo est, habebat tamen potentiam naturalem ad concipiendum: Exemplum secundi est in cognitione abstractiva & intuitiva Dei, prima est naturalis, altera supernaturalis, adhuc tamen habent talem ordinem, analogiam & proportionem ad intellectum, ut non petant ab alia causa produci; hinc patet, non sufficere quamcunque convenientiam in genere vel specie, alioquin ignis posset producere aquam & calor frigus, quia hæc conveniunt in proximo genere tangibilis qualitatis, quarè vel debet effectus supernaturalis respicere talem causam, vel in substantia esse ejusdem speciei cum naturali, licèt in modo sit supernaturalis.

Hoc prænotato Circa præsentem quæstionem triplex solemnis est sententia: Prima est communior Thomistarum, qui adstruunt in creaturis nullam dari potentiam hujusmodi obedientialem, ita ut etiam Cartagena dicat disp. 3. de Sacram. diff. 2. cap. 7. Nec inter veteres, nec inter Recentes Scriptores, uno Suario excepto, reperiri, qui hanc potentiam admittant. Aft dura est ista censura, nam post Suarium, Hurtadus, Arriaga, Comptonius, & plu-

& plurimi alii Recentiores, imò potiori ex parte non modò potentiam obedientialem passivam, per quam quodlibet potest elevari ad quodlibet, in se suscipiendum & sustentandum, sed etiam activam, per quam quodlibet ad quodlibet producendum elevari potest, admittunt. Tertia sententia est media, quæ potentiam obedientialem non modò passivam, verùm etiam activam admittit, non tamen in qualibet re ad quodlibet producendum, sed tantùm aliquos effectus, qui cum causa aliquàm proportionem habent, ut suprà dixi. Ita Morisanus, Coning, Turrianus, Mastrius & plures alii tàm Scotistæ, quàm Neoterici, quæ sententia omnium est probabilior, unde etiam amplectenda. Itaque

IV. Datur potentia obedientialis passiva in qualibet re.

Dico 1. *Datur potentia obedientialis passiva in qualibet re ad quamlibet formam, quæ non dicit actualem, & essentialem dependentiam ad determinatum subjectum.* Hæc est communis &

Probatur: Quia non videtur esse major improportio alicujus subjecti ad aliquam formam, quàm naturæ humanæ ad unionem hypostaticam, sed in natura humana est talis potentia obedientialis, ut est de fide; ergò in qualibet re erit; dixi: *Quæ non dicit essentialem & actualem dependentiam ad determinatum subjectum*, propter relationes, quæ ad sua subjecta essentialem ordinem dicunt, ut nec divinitus unum subjectum alterius subjecti possit recipere relationes. Item species intentionales, quæ non nisi à determinato objecto sunt producibiles, alioquin posset albedo *A*, producere speciem albedinis *B*, & sic albedo *B* videretur ab oculo & non videretur; videretur quidem, quia sua species concurreret ad producendam visionem, non videretur quoque, quia nullam produxisset sui speciem. Sed

V. Opponitur & solvitur Scotus.

Opponitur Authoritas Doctoris subtilis 4. d. 1. q. 3. ubi ait, spirituale non posse recipi in corporeo: & alibi dicit, lapidem non posse recipere sapientiam, nec angelum albedinem. Sed R. Doctorem in primo loco intelligendum, quòd spirituale nequeat recipi in corporeo, modo extenso & divisibili, benè tamen indivisibilitèr, ut patet de anima Rationali. Quantum ad secundum, Doctor tantum dicit, quòd albedo non possit recipi in Angelo, sic, ut denominet Angelum album, nec sapientia in lapide, sic, ut lapidem denominet sapientem, & ratio est, quia albedo non denominat subjectum, nisi extensum, nec sapientia subjectum, nisi illud sit potens sapienter agere.

VI. Datur etiam potentia obedientialis activa in homine & angelo.

Dico 2. *In homine & angelo datur potentia obedientialis activa ad diversos effectus supernaturales producendos.* Hæc est conformitèr ad tertiam sententiam, & eam utique indubitantèr tenent Authores primæ sententiæ.

Probatur Conclusio primò: Authoritate Sanctorum nostrorum Doctorum Augustini lib. 10. Civit. cap. 12. *Quæcunq; miracula sive per Angelos, sive quocunq; modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius cultum, religionemq; commendent, ea verè ab eis vel per eos, qui nos secundùm veritatem, pietatemq; diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est.* D. Bernardi lib. 5. de consid. cap. 5. ubi postquàm cap. 4. multa de cœlestibus spiritibus mellitè scripsisset, omnes gratias & operationes in Deum benignissimum refundit, tanquam in Authorem & gratiarum Datorem, nam ipse ita inquit: *Ardent Seraphim, sed igne Dei, vel potiùs igne Deo, quod præcipuum in eis inest; Amant, sed non quantum Deus, nec quomodò. Lucent Cherubim & scientiâ eminent, sed participio veritatis, ac per hoc non veritas, nec quantum. Sedent Throni, sed insidentis beneficio. Dominantur dominationes, sed sub dominio dominantur & servunt pariter. Quid hoc ad summum, sempiternum singulareq; dominium: Præsunt Principatus & regunt, sed reguntur & ipsi, ita ut regere jam non norint, si regi desierint. Præcellunt in potestatibus fortitudo, sed cui debent, quòd fortes sunt, & aliter est fortis & plùs, nec tam fortis, quam ipsa fortitudo est. Virtutes pro suo ministerio & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum innovatione signorum, Virtus verò in eis manens ipsa facit opera, faciunt & illæ, sed in comparatione ejus non faciunt. Deniq; tantùm interest, ut quasi singulariter Propheta dicat ad eum, Tu es Deus, qui facis mirabilia & idem de eo: Qui facit mirabilia magna solus.* Viden', quàm exactè tribuat Malleus Doctor virtutem operandi diversos effectus supernaturales Angelis, quos tamen sine concursu speciali facere & elicere non posse, clarè asserit, ut patet dum agit de virtutibus, ubi etiam docet, non modò, ut instrumentæ agere, sed etiam ipsas principalitèr agere, quàmvis non ita, sicuti DEUS, ut nihil desit, nisi dicere, hæc fieri per potentiam obedientialem.

Probatur item authoritate Doctoris subtilis, qui clarè docet, beatissimam Virginem habuisse potentiam innatam, quâ potuit concurrere ad generationem Filii, eam tamen fuisse elevatam, ut potuerit concurrere, cooperante Spiritu Sancto, ad formationem corporis instantaneam, quod vires naturales excessit. Verba ejus in 3. d. 4. q. un. L. E. hæc sunt: *Sicut igitur Natura, ad quam, ut ad formalem terminum, erat ista generatio, tantùm erat in potentia obedientiali, ut uniretur verbo, ita illa Mater tantùm habuit potentiam obedientialem, ut esset Mater verbi.* Et sub Lit. G. ait: *Propter istam potentiam activam naturalem, quâ operabatur, potest dici naturalis Mater Christi, & tamen propter modum exequendi actum hujus potentiæ duplicem non naturalem, potest dici non naturaliter, sed miraculosè genuisse.*

Probatur Conclusio secundò VII. Ratione: Quia tam Angeli in statu viæ, quàm homines elicuerunt, & eliciunt actus fidei, spei & charitatis, ut docent Sancti Patres, & est de fide, sed ad illos eliciendos tam voluntas, quàm intellectus angelicus & humanus, ex se, est improportionatus; ergò non possunt connaturali virtute elicere, & consequentèr habent potentiam obedientialem, ma. est certa: probatur mi.

quia illi actus sunt supernaturales in substantia; ergò ad illos eliciendos sunt improportionati.

VIII. **Dices:** Potentias Angelicas & humanas non elicere illos actus, nec immediatè ad eliciendos illos concurrere, sed produci à solis habitibus supernaturalibus. Ita respondent Thomistæ. Sed Contrà primò: Si habitus supernaturales tantummodò sine concursu, & activitate potentiarum producerent illos actus, sequeretur, quòd intellectus & voluntas non plùs concurrerent ad eos producendos, quàm aqua cum calore ad producendum alium calorem, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: probatur sequela, quia sicut calor est tota ratio producendi calorem, sic etiam essent habitus, & sic quemadmodùm non nisi denominativè producit calorem, ita etiam sic produceret suos actus intellectus & voluntas, & consequenter nihil agerent, sicut aqua nihil agit. Probatur etiam min. ex Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 4. anathematizantis eos, qui negant voluntati ad actus meritorios activitatem his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, veluti inane quoddam nihil omninò agere, mereq; passivè se habere, anathema sit.* Contrà secundò: Si voluntas & intellectus nihil omninò ageret, sequeretur, quòd si habitus illi, qui dicuntur causæ totales, & solæ actuum supernaturalium, conservarentur extra animam vel angelum, quòd possent actus supernaturales producere, sed hoc est inconvenientissimum ergò: probatur sequela. Calor separatus ab igne, & conservatus absque omni subjecto, posset producere alium calorem, sicut defactò producunt accidentia Eucharistica qualitates consimiles; ergò etiam habitus illi possent producere actus supernaturales, ab omnimoda paritate rationis. Nec refert, quòd uniantur cum voluntate, quia unio illa non sufficit, ut dicatur habitus operari liberè. Contra tertiò: Illa potentia verè & realitèr concurrit propriâ virtute ad producendum aliquem effectum, cui correspondet aliqua formalitas in effectu, sed actibus fidei, spei & charitatis, correspondent formalitates, quæ non correspondent habitibus; ergò etiam verè, & realitèr propriâ virtute concurrunt; probatur mi. quia illi actus sunt vitales, habitus non sunt vitales, actus charitatis sunt liberi, habitus charitatis non sunt liberi, quia non sunt indifferentes ad agendum vel non agendum, quia habitus ille ex se non potest se pro libitu determinare.

IX. **Instabis:** Si intellectus concurreret propriâ virtute ad illos habitus eliciendos, sequeretur, quòd homo & angelus naturalitèr Deum videret; imò, quòd beata Virgo naturalitèr verbum Divinum concepisset, sed hæc dici nequeunt, ergò: probatur sequela. Quia ille concursus, quo Deus concurrit ad visionem beatificam, & conceptionem cum beata Virgine, esset non minùs naturalis & debitus ex lege communi, sicut illa virtus activa esset naturalis: ergò. R. negando sequelam cum sua probatione, quia cum visio beatifica sit actus supernaturalis in substantia, etiam requirit aliquem concursum supernaturalem. Ad id, quod de beata Virgine dicitur, concedo esse virtutem naturalem Virginis in concipiendo, quantùm ad substantiam actûs, non verò quoad modum, qui fuit miraculosus, adeòque etiam requirebatur concursus extraordinarius.

Urgebis: Hinc sequeretur illam potentiam esse naturalem & supernaturalem simul, sed hoc implicat, ergò: probatur sequela: Esset naturalis, quia innata Virgini; supernaturalis verò, quia modo supernaturali concurreret. R. dist. ma. sub eadem ratione, nego: secundùm diversam, concedo. Itaq; illa potentia esset naturalis intrinsecè, extrinsecè verò esset supernaturalis, sic etiam anima est intrinsecè naturalitèr receptiva gratiæ, recipiens verò extrinsecè, propter supernaturalitatem gratiæ adnexam.

Arguitur: Contra Conclusionem principalitèr, probando, nullam dari potentiam obedientialem in intellectu. Nulla potentia potest elevari ad actus supra se & superiores se producendos; ergò nec in homine, nec in angelo datur potentia obedientialis: probatur ant. Nulla potentia materialis potest elevari ad producendum actum spiritualem; ergò nulla potentia intellectualis ad producendum actum supernaturalem: probatur consequentia, plùs differunt Potentia naturalis, & Actus supernaturalis, quàm potentia materialis & actus spiritualis, quia sunt diversorum magis generum, sed potentia materialis non potest producere actum spiritualem, ergò nec potentia naturalis actum supernaturalem, sed R. negando ant. cum conseq. prob. & paritate, quia intellectus habet virtutem, saltem incompletam & inadæquatam, ad attingendos illos actus, potentia autèm materialis nullo modo habet inchoatum principium ad actus spirituales eliciendos, adeoq; non potest illos elicere, unde illi actus non dicuntur extra latitudinem objecti adæquati esse, sed tantùm extra latitudinem objecti naturalis attingentiæ, ideoq; per supernaturale comprincipium elevari & adjuvari potest. Sed

Instatur: Illa potentia obedientialis inchoata, dum completur ad actum supernaturalem producendum, vel aliquid superadditur ipsi vel nihil, si hoc, ergò modò non erit magis potens, quàm antè fuit: si primum, tunc ad illud aliud superadditum iterum aliud superadditum dari debebit in infinitum, quod semper cavendum est. R. Illam potentiam intrinsecè non compleri per aliquod superadditum, sed tantùm extrinsecè in quantum videlicet habitus, vel aliud auxilium supernaturale concurrit ad producendos illos actus.

Urgetur: Si nihil additur, præter auxilium & particularem concursum DEI, sequitur, illum concursum non esse supernaturalem, sed connaturalitèr ei debitum, sed hoc dicendo tollitur suppositum de potentia obedientiali, ergò: probatur sequela: Quia omnis potentia ex natura exigit, quòd

quòd ad actus quos producere potest, ei communicetur sufficiens auxilium; ergò illi erit debitum. R. negando sequelam, cujus probationis ma. dist. Omnis potentia exigit sibi connaturaliter auxilium & particularem concursum, si potentia sit adæquata & completa, concedo, si sit inchoata tantùm & incompleta, nego ma. Itaque verum quidem est, quòd auxilium potentiæ completæ & totaliter dispositæ, ac ex se sufficienti, ad producendos aliquos effectus, debeatur, non tamen incompletæ. Nec refert, quòd habeat tàm benè inclinationem ad illos actus, quàm ad eos, quos potest elicere, ut potentia completa, quia non statim est ei debitus concursus ex eo præcisè, quòd habeat inclinationem, quia habet etiam intellectus inclinationem ad beatitudinem, nec tamen ex communi lege debetur ei concursus ad beatitudinem habendam.

XI. *Datur in aliis rebus potentia obedientialis ad quodlibet producendum.*

Dico 3. *Datur etiam in aliis rebus potentia obedientialis activa, non tamen in qualibet re ad quodlibet producendum.* Ita Authores pro tertia sententia cit.

Probatur prima pars: Authoritate D. Bernardi, in Cant. Serm. 35. ubi expendens illa verba Marci 14. *Melius ei fuerat, si natus non fuisset homo ille, ait, non utiq; si natus non fuisset omnino, sed si natus non fuisset homo, sed verbi gratiâ, aut pecus, aut alia quæpiam creatura, quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium.* Ergò ex mente D. Bernardi poterant elevari parentes illi, ut ex ipsis nasceretur pecus, aut alia creatura, & consequenter datur potentia obedientialis. Ex hinc desumo argumentum à ratione, &

Probo Conclusionem secundò: Datur potentia obedientialis in homine, & angelo ad varios actus supernaturales eliciendos; ergò etiam datur in aliis rebus: probatur consequentia, quia sicuti angelus, & homo possunt elicere actus, qui habent proportionem, analogiam & similitudinem, ad eos, quos naturaliter elicere valent, respectu quorum sunt veluti potentiæ incompletæ, ita etiam aliæ res habent analogiam ad plures actus, respectu quorum possunt esse potentiæ incompletæ: ergò.

Probatur tertia pars: Authoritate Doctoris subtilis 4. d. 1. q. 1. §. ad quæstionem, ubi ait: *Etsi enim absolutè Deus posset creare frigus, non tamen per calorem, ita quòd calor sit causa activa in aliquo ordine, respectu frigoris.*

XII. Probatur secundò ratione: Unum contrarium nequit per potentiam obedientialem elevari ad producendum aliud contrarium, ut frigus ad producendum calorem; ergò non datur potentia obedientialis in qualibet re ad quodlibet producendum: probatur ant. Nulla essentia habet ex natura sua intrinseca potentiam ad destruendum se, quia illa potentia deberet emanare ab ejus essentia, & illi ex natura sua competere, quod implicat, cùm quælibet res appetat sui conservationem, non verò destructionem.

Probatur tertiò: Si quodlibet posset elevari ad producendum quodlibet, deberet musca posse producere gratiam sanctificantem, sed hanc nequit producere, ergò quodlibet non potest elevari ad quolibet producendum: probatur mi. Nulla res potest attingere terminum creationis, sed gratia sanctificans est terminus creationis; ergò musca eam nequit producere. Similiter deberet posse homo elevari ad faciendum veram transsubstantiationem, quod tamen omnes Theologi in quarto negant, & plura alia similia. Ex quibus

Probatur eadem pars quartò: Si quodlibet posset elevari ad quodlibet producendum, sequeretur, brutum posse intelligere & velle, lapidem ratiocinari, accipere beatitudinem, frui DEO, oculum audire, aurem videre &c. sed hæc omnia sunt contra ipsos adversarios; ergò: quia si quodlibet potest elevari ad quodlibet producendum, poterunt etiam enumerata, cùm sint aliqua ex quibuslibet.

Dices: Ut possit elevari quodlibet ad producendum quodlibet, debere esse proportionem aliquam, inter causam & effectum, quæ in proposito casu enumeratorum non est. Sed Contrà, licèt inter recensita non sit proportio naturaliter, poterit tamen esse proportio supernaturaliter, quemadmodùm est inter frigus & calorem. XIII.

Dices: Disparitatem esse, quia Deus potest supplere concursum extrinsecum causæ efficientis, non verò causæ formalis. Sed Contrà: Quando produceret brutum intellectionem, vel tunc Deus suppleret totaliter causalitatem causæ efficientis illam intellectionem, vel tantùm partialiter; si totaliter, ergò brutum tunc merè passivè se tantùm haberet; si partialiter, ergò brutum habet naturaliter virtutem producendi intellectionem saltem partialiter, sicut intellectus habet virtutem producendi visionem beatificam, & consequenter sicut intellectus elevatus ad producendam visionem beatificam denominatur beatus ex sola illa productione, ita etiam brutum ex productione intellectionis deberet dici intelligens. Sed

Opponitur Authoritas Magni Divi Augustini lib. 5. de Gen. ad Litteram cap. 17. ubi, postquàm rerum naturalium vim descripsisset, ait: *Super hunc autem motum, cursumq; rerum naturalem potestas Creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quàm earum seminales rationes habent, non tamen id, quod in iis posuit, ut de his fieri vel absq; alio possit:* in quibus verbis clarè docet, naturam creatam posse elevari ad effectus producendos, quos secundùm suam rationem formalem producere nequeunt. Verùmtamen R. Sanctum & magnum nostrum Doctorem per hoc non velle, quòd creatura possit producere effectus, quos ex natura sua non erat incompletè & inchoatè potis producere, sed tantùm tales, quos ex natura nobis nota non videbatur posse producere, unde illam virtutem & potentiam inchoatam, *semen occultum* vocat, non quòd XIV. *Opponitur & explicatur D. Augustinus.*

nullum sit, sed quod occultum sit. Deinde verum, quòd creatura posset producere varios effectus supernaturales, malè tamen infertur; ergò quodlibet potest elevari ad quodlibet producendum. Imò quantum Divus Augustinus voluerit, ipse sequentibus se declarat, nam loco citato paulò infrà textum allegatum subdit: *Horum & talium modorum rationes, non tantùm in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ, atq; concreatæ. Ut autèm lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra & aqua repentè floreat & fructum gignat, ut per iuventam sterilis fœmina in senectute pariat, ut asina loquatur, & si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex iis & hæc fieri possent.* In quibus verbis clarè insinuat & loquitur vel de potentia passiva, vel de inchoata, ut est de sterili fœmina & seni, quæ ex natura sua habet, ut parere possit, quamvis defectu humorum in senectute nequeat, non tamen dicit, quamlibet creaturam quodlibet posse producere: unde lib. 16. contra Faustum cap. 3. dicit: *Deus creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit, id enim erit cuiq; rei naturale, quod ipse fecerit, a quo est omnis modus, numerus & ordo naturæ.* Et lib. 21. Civit. cap. 8. hæc habet: *Omnia portenta contra naturam dicimus esse, sed non sunt, quomodo enim est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cùm voluntas tanti utiq; Conditoris, conditæ rei cujusq; natura sit? Portentum ergò fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura.* Sed ex ratione etiam in contrà

XV. *Argumentum ex ratione.*

Arguitur: Datur potentia obedientialis in intellectu, ut posit elevari ad producendam visionem beatificam; ergò datur etiam potentia obedientialis in igne ad producendam aquam, in calore ad producendum frigus, & consequentèr in omnibus ad omnia: probatur consequentia, quia major est improportio in intellectu ad visionem beatificam, quàm in calore ad producendum; ergò si datur potentia obedientialis in intellectu, dabitur etiam in calore: probatur ant. Quia intellectus est ordinis naturalis, visio verò beatifica est ordinis supernaturalis, calor & frigus autèm utrumque est ordinis naturalis; ergò est major improportio. R. negando consequentiam, cum sua probatione, quia in intellectu, respectù visionis beatificæ est tantùm improportio proxima, non verò remota, in igne verò, respectu aquæ & in calore, respectu frigoris est improportio non modò potentiæ proximæ, sed etiam remotæ, adeòque est major improportio, maximè cùm frigus nullam dicat analogiam ad calorem, nec ab eo produci petat, visio verò beatifica, si producatur, petit produci ab intellectu, non sic petit frigus produci à calore. Unde hìc non tàm attendenda est proportio ordinis, sed proportio activi ad passivum.

Instatur: Si esset aliqua major proportio inter intellectum & visionem beatificam, quàm inter calorem & frigus, maximè esset vitalitas in utroque reperta, hæc non est; ergò nulla: probatur mi. quia vitalitas visionis est in ordine suo supernaturalis, vitalitas autèm intellectûs est naturalis, ergò: R. dist. ma. esset vitalitas sola, nego, esset vitalitas & etiam ipsa visio, quæ ab intellectu produci petit, concedo ma. & nego mi. cujus probationem etiam distinguo, vitalitas visionis est supernaturalis respectu potentiæ proximæ, concedo, respectu potentiæ remotæ, nego. Itaque vitalitas visionis respectu potentiæ remotæ potest dici aliquo modo naturalis, in quantum videlicet intellectus habet potentiam inchoatam & innatam respectu illius visionis.

Urgetur: Nullum superius continetur in inferiori, sed effectus est supernaturalis & majus quid; ergò nullo modo contineri potest in potentia naturali, & consequentèr vitalitas visionis, quæ supernaturalis est, nullo modo continebitur in vitalitate intellectûs. R. 1. dist. consequens; ergò supernaturale non potest contineri in potentia naturali, secundùm se nudè considerata, concedo, in quantum est elevata, nego consequentiam. Quia potentia ut elevata, est quodammodò ordinis supernaturalis & supernaturalitas, in quantum deprehendit jam potentiam inchoatam, est quasi ordinis naturalis. Deinde R. 2. negando mi. Quia dantur multa entia naturalis ordinis, quæ non sunt tam perfecta, imò perfectiora, quàm entia supernaturalis ordinis, ut patet de potentia vitali & substantia.

Verùm Ad evitandas plures & has instantias, ad principale argumentum respondeo secundò, inter calorem & frigus esse majorem improportionem, quàm inter intellectum, & visionem ex eodem capite, quo putant improportionari sibi intellectum & visionem, nempe ex supernaturalitate, quia si calor produceretur à frigore, tunc calor ille esset æque supernaturalis ordinis, licèt non quoad substantiam, saltem quoad modum, adeòque invenitur & hæc, & alia improportio, & consequentèr major est. Jam

Dico 4. *Nulla creatura potest creare vel etiam elevari ad creandum neq; ut instrumentum, seu causa coagens instrumentalis.* Ita Doctor 4. d. 1. q. 1.

Probatur primò: Authoritate D. Augustini, lib. 9. d. Genesi ad litt. cap. 15. ubi ait: *Angeli nullam omninò possunt creare naturam, solius enim uniuscujusq; naturæ, seu magnæ, seu minimæ, creator est Deus.* Et infrà: *Formare vel ædificare costam, ut mulier esset usq; adeò non potuit, nisi Deus, à quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab angelis factum esse crediderim.* Et clarè lib. de natura boni cap. 18. dicit: *Nemo formare & creare corpora, nisi Deus potest lib. 12. Civitat. cap. 24. asserit: Neq; enim fas est ullius naturæ, quamlibet minimæ mortaliq; creatorem, nisi Deum credere ac dicere, etiam antequam possit intelligi.* Divi Bernardi Serm. 51. de diversis ait, solum unum Deum esse creatorem & lib. 3. de Amore Dei cap. 10. ait: *Cogitandum est Deus omnium rerum causale efficiens & supereſſentiale principium.* Sed si angelus, vel homo creare posset, deberet etiam cogitari, ut supereſſentiale principium; ergò solus Deus est, & consequentèr nulli creaturæ communicari potest. Adde D. Cyrillum Alexandrinum lib. 2. contra Julianum, ubi dicit:

inaccessa naturæ sunt ea, quæ propria sunt solius & omnium summæ substantiæ, quorum unum esse dicimus efficacitèr producere posse ut creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant.

VIII. **Probatur Conclusio ratione:** Si posset creatura elevari ad creandum, deberet habere aliquam virtutem & principium inchoatum & incompletum, sed nulla creatura talem habet virtutem; ergò nulla creatura elevari potest ad creandum: probatur mi. Illa virtus deberet esse spiritualis vel materialis, neutra est, ergò: probatur mi. non materialis, tum, quia dicit D. Augustinus lib. 83. quæst. q. 78. *Isti non possunt de nihilo aliquod fabricare, quia per corpus operantur*: tum, quia omnis virtus materialis nihil potest agere, nisi cum dependentia à materia, creatio autèm non habet dependentiam ad materiam, ergò. Nec etiam potest esse spiritualis; quia omnis virtus spiritualis operatur & agit volitione, sed per volitionem nulla creatura potest creare, quia accidens est, quod neque substantiam attingere potest, multò minùs terminum creationis.

Probatur secundò: Nullum attributum Divinum potest alicui creaturæ communicari, creare est attributum Dei; ergò nulli creaturæ competere potest, probatur ma. quia quâratione posset communicari creaturæ unum attributum, posset & aliud, ab omnimoda paritate, quo concesso, sequeretur, quòd etiam creaturæ communicari posset non esse ab alio, quod est contra rationem creaturæ, ergò. Confirmatur: Quia nulla ratio, nec authoritas, vel levis conjectura adferri potest, quæ denotaret creaturam habere virtutem creativam etiam inchoatam.

XIX. **Probatur tertiò:** Quòd creatura neque ut instrumentum creare possit, quia, præterquàm, quòd instrumentum semper aliquod prævium requirat ad operationem, sic immediatè attingeret terminum creationis, sed creatura nequit attingere terminum creationis, ergò.

Dices: Potest creatura aliquid annihilare; ergò & creare: consequentia videtur certa, quia æqualis est distantia à nihilo ad aliquid, quàm ab aliquo ad nihil, juxta Philosophum 3. Phys. l. 11. probatur antecedens, quia agens naturale destruit formam naturalem, ut ignis formam ligni & peccatum grâtiam, ita ut nihil remaneat, ergò. Sed R. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd licèt ignis destruat formam ligni, non tamen ita destruit, ut nihil subjecti ejus remaneat. Peccatum autèm non destruit gratiam Physicè, sed tantùm demeritoriè, in quantum scilicet Deus decrevit ad commissionem cujuscunque peccati mortalis gratiam velle tollere.

QUÆSTIO VII.

De Conditionibus Causæ Efficientis ad agendum.

Agendo de Causis in communi, tetigi quidem conditiones ad causandum requisitas in communi, hìc autèm, tanquam unam præcipuam, quæ de causa efficiente moveri solet, videlicet utrum agens efficientèr ita requirat passi & subjecti approximationem, ut non possit agere in ipsum, licèt maximè distaret; Unde sensus quæstionis hic est: An videlicet causa secunda ita posset agere, ut aliquid producat in fine & in extremo, ubi passum existit, ut tamen nihil producat in medio? quod multiplicitèr iterum intelligi potest: Primò, an possit agere indistans, ita tamen, ut cum medio tanquam cum concausa agat? Secundò, an possit agere indistans, etiam veluti causa totalis & immediatè, ita tamen, ut per medium, tanquam per necessarium prærequisitum necessitate ordinis, ita ut in utrumque agat immediatè, sed priùs in passum propinquum, quàm remotum? Tertiò, an possit agere indistans immediatè, non agendo in medium eodem genere actionis, sed diverso? Quartò denique an ita, ut nihil omninò producat in medium? Et in hoc posteriori sensu potissimùm controvertitur, nam posse reliquis, nullum videtur dubium & si est aliquod, non tantùm, imprimis enim quòd possit agens agere indistans, ut etiam concurrat medium, tanquam causa partialis, patet, quia alioquin sequeretur, quod agens non posset agere in superficiem propinquam passi, ita quòd esset necessarius contactus Mathematicus; Deinde ponatur casus, quod passum aliquod frigidum applicetur ad os fornacis ardentis, illud subjectum frigidum non calefiet solùm ab igne, sed etiam ab aëre circumstante, quia passum est tàm dissimile uni, quàm dissimile alteri, nec per hoc, quòd unum sit agens fortius, alterum debet impediri ab omni actione. Et sic de aliis, de posteriori tamen dicendi modo, duplex potissima est sententia. Prima est Occami & Nominalium cum pluribus aliis etiam Recentioribus, qui omnes putant, in rebus creatis dari agentia, quæ ita in passum distans agere possunt, ut nullo modo agant in medium, sive eâdem, sive diversâ ratione. Secunda est huic immediatè opposita & negativa, quæ videtur Aristoteli esse conformior, eamque tenet D. Thomas & plurimi Recentiores. Scotistæ in isto passu liberi sunt, eò, quòd Scotus nihil determinaverit de hac re, ut proinde etiam tàm benè pro una, ac pro altèra citatur sententia. Pro Resolutione

Notandum, Subjectum posse duplicitèr esse approximatum suæ causæ: primò per indistantiam, seu immediationem suppositi, quando scilicet causa & passum, in quod causa agit, sunt in eodem loco, ita ut inter illa versetur & intercedat contactus Mathematicus, vel saltem Physicus, id est, in maxima vicinitate. Secundò per indistantiam & immediationem virtutis, quando passum continetur intra latitudinem & sphæram activitatis agentis, per sphæram activitatis autèm aliud non intelligo, quàm spatium, ultrà quod causa suam virtutem nequit diffundere, quod circulum & sphæram efficere solet, ut patet de Magnete, qui ex omni parte ad æqualem distantiam ferrum attrahit, ita ut non trahat ex una parte in remotiori, ex alia in propinquiori distantia. His notatis & præmissis resolutivè

II. *Dupliciter potest esse subjectum approximatum, vel per suppositum, vel per virtutem.*

III. *In creatis non datur actio indistans.*

Dico 1. *In causis & agentibus creatis non datur actio indistans, seu non potest agens naturale in subjecto remoto producere aliquid, nisi prius operetur aliquid in medio.* Hæc est Authorum secunda sententia: &

Probatur ab Experientia, quæ est optima Rerum, ubi rationes desunt, Magistra, quâ constat, quòd quotiescunque inter agens & passum intervenit aliquod aliud corpus, quod est incapax hujusmodi effectûs, quòd toties impediatur actio agentis, sed hujus rei, & experientiæ nulla potest alia assignari ratio, nisi quia actio transiens per medium fuit impedita; ergò nullum agens creatum potest producere aliquem effectum in extremo, nisi operetur aliquid in medio; Patet ma. tum, quia sol non illuminat hypocaustum, aut aliud quodlibet subjectum, si aliquid inter ipsum, & subjectum interponatur, tum, nullum objectum producit sui sensibilem speciem in oculo, seu potentiâ visiva interveniente objecto opaco: tum (ut omittam plurimas alias experientias) Magnes nequit attrahere ferrum, si inter ipsum & ferrum interfit paries: probatur etiam min. quia si sol potest agere indistans, ut non operetur in medio, quæro, quarè non producat in hypocausto calorem & lucem, si fenestræ claudantur asseribus, & tamen producat dum transit & interpositus est christallus & alia vitra ac corpora diaphana, certè hujus alia non potest dari ratio, nisi quia vitrum & corpora diaphana sint capacia, ut per illa transeat actio: ergò.

IV. Dices: Hoc provenire ex eo, quòd asseres & alia corpora resistant soli agenti, adeoq; impediunt ejus actionem, sicut videmus calorem non posse producere calorem, dum ei frigus obstat. Sed Contra: Quia asseres & alia corpora interjecta inter solem & hypocaustum, vel faciem meam non resistunt illuminationi, positivè producendo aliquod contrarium, quemadmodùm frigus resistit calori, sed tantùm negativè, per suam incapacitatem, in quantum scilicet sunt incapacia, ut per ipsa transeat calor, lux & producantur in hypocausto, & consequenter ratio, cur interposito corpore sol non possit illuminare, alia non est, quàm quòd possit operari per medium.

V. Probatur Conclusio secundò: Si agens naturale posset agere in extremum & subjectum distans, sequeretur, quòd posset effectum in quacunque distantia producere, Magnetem videlicet Cistercii existentem posse attrahere ferrum, quod est Camencii vel Henrichovii, sed hoc est inconvenientissimum; ergò: probatur sequela ma. Intellectus potest intelligere Magnetem Cistercii existentem, licèt ipse sit Camencii; ergò etiam Magnes posset ferrum hîc existens ad se Cistercium attrahere: probatur consequentia. Quia ideò intellectus potest Magnetem intelligere in quacunq; distantia, quia in producenda intellectione & in agendo non dependet à medio, sed Magnes non dependeret à medio; ergò etiam in quacunque distantia posset ipsum ferrum attrahere, ab omnimoda paritate.

Dices: Hoc fieri non posse ex eo, quòd major propinquitas sit conditio, ut agens melius operetur, adeoq; potest esse tanta distantia, in quâ agens operari nequibit. Sed Contrà primò: Hinc sequeretur, quòd quemadmodùm major propinquitas est conditio ad melius operandum, ita absoluta propinquitas sit conditio ad operandum absolutè. Contrà secundò: Ideò major propinquitas est conditio ad melius operandum, quia actio debet transire per medium, quòd quo minùs est, eò facilius vincitur, quæ actio, si non debet transire per medium, parùm referet, sive sit magna, sive parva distantia, quia nihil habet, unde impediatur, vel retrahatur ab actione. VI.

Instabis: Hoc ideò esse, quia cuilibet rei est assignata determinata sphæra activitatis, extra quam non potest agere, licèt posset agere intra eandem. Contrà: Quòd habeant sphæram activitatis, aliundè non provenit, nisi, quia, diffundendo virtutem suam activam per medium, agentia debilitantur & extenuantur, vincendo medii resistentiam vel distantiam, quâ tamen actio non deberet debilitari, si non transiret per medium, sed semper manet integra adeóque in quacunque distantia agere potest. Sed principaliter contra Conclusionem VII. Argumentum fundamentum

Arguitur: Objiciendo multas & ordinarias experientias, nam Basiliscus visu hominem bestiamq; interficit, vetulæ oculi fascinant, torpedo pisces piscantis mortificat manum, sol in visceribus terræ aurum, gemmasq; producit, id pariter faciunt alia astra, sed astra distant ab omnibus illis; ergò agunt indistans. Ad has & similes, aut alias experientias g. unicâ distinctione, ea omnia agere in subjecta à se distantia secundùm suppositum concedendo, secundùm virtutem, negando, virtus enim, per quam agit sol, diffunditur per medium usque ad ipsum subjectum. Quòd si autèm talis virtus & qualitas non diffunderetur, tunc eò usque propagatus est effectus productus in medio, prout contingit, dum magnus ignis calefacit simul subjectum aliquod, aut plures candelæ lumen intendunt in medio. Sed

Instatur: Illa virtus emissa, quæ transiret per medium, est occulta; ergò nequit assignari, tanquam ratio, per quam ageret agens: probatur ant. quia est planè conficta. g. negando ant. cum sua probatione. ratio enim sufficientissima, adstruendi hujusmodi qualitatem, est experientia, quâ videmus, quòd si inter Magnetem & ferrum (qui etiam putatur agere indistans) ponatur aliquod corpus densum & crassum, quòd tunc nequaquàm ferrum attrahat, cujus rei alia ratio assignari non potest, nisi, quia qualitas & virtus attractiva, per interpositionem corporis densi, fuit impedita, quò minùs poterat difundi.

Urgetur: Si à Magnete egrederetur aliqua qualitas, deberet tam benè attrahere illud corpus interpositum, ac attraheret ferrum, si corpus interpositum non fuisset, sed hoc non facit, ergò: probatur sequela ma. quia impulsus impressus corpori projecto, trahit omnia

corpora

corpora intermedia secum: ergò. R. negando sequelam ma. cum conseq. prob. disparitas est, quia impulsus est æqualitèr omnibus corporibus imprimibilis, non sic virtus Magnetica, Magnes enim non habet virtutem attrahendi, nisi ferrum, unde, licèt ejus actio & virtus tàm benè recipiatur in aëre vel alio medio, per quod transit, non tamen illud secum trahit, quia trahendi non habet virtutem, quod ab experientia constat, quæ in similibus optima est Magistra.

Replicatur: Si aliqua virtus egrederetur à Magnete, illa deberet impediri per interpositionem cujuscunque corporis intermedii, quemadmodum impeditur diffusio lucis per interpositionem cujuscunque corporis opaci, sed hoc non fit, ergò: probatur min. quia si inter Magnetem & ferrum ponantur laminæ æreæ vel cupreæ, etiam sat crassa, adhuc ferrum trahit; ergò: illa qualitas non transit per medium, alioquin illæd corpus interpositum transitum impedire deberet. R. dist. ma. deberet impediri interpositione cujuscunque corporis, nego; sufficientis ad impediendum transitum, concedo, quòd autèm non impediatur per interpositionem lamellarum cuprearum & similium, Ratio esse potest, tum quia virtus Magnetica resistentiam vincere potest, tum quia illæ lamellæ sunt porosæ, adeoq; virtus illa facilè penetrat, hoc autèm dici debere ex eo constat, quia videmus, quòd si corpora majora & solidiora interponantur, Magnes non possit ferrum attrahere.

VIII. *Argumentum secundum.*

Arguitur secundò: Imaginatio quæ residet in capite, movet appetitum residentem in corpore; ergò agit indistans Sed R. negando consequentiam, quia eadem anima, quæ apprehendit in capite, concupiscit in corpore, si sermo sit de anima rationali, si verò de animabus brutorum, tunc apprehensio, seu imaginatio non est nisi conditio ad monendum appeticum.

Instatur: Imaginatio matris gravidæ imprimit fœtui varias formas, figuras & maculas, eorum potissimùm objectorum, quæ immoderatiùs concupivit, sed imaginatio matris non est præsens fœtui; ergò imaginatio adhuc agit in distans. R. dist. mi. non est præsens, per virtutem, nego, non est præsens, per suppositum, transeat mi. & nego consequentiam. Itaq; illæ figuræ & maculæ non imprimuntur per imaginationem, sed per vim formativam fœtûs, quæ vis alteratur multùm per timorem, desiderium, amorem & similes passiones, quas concitat immoderata imaginatio, & fortis apprehensio.

IX. **Pro majori** Intelligentia præcedentis conclusionis Notandum, quòd, quando causa creata producit effectum aliquem in subjecto distante, non esse necesse, quòd effectum eundem producat in medio, quæ producit in subjecto distante, sed sufficit, quòd aliquid producat, quòd sit per se conducens ad illum effectum, Patet: Nam sol producit aurum, & metalla in visceribus terræ, quæ tamen non producit in aëre; item in aëre producit calorem, quem tamen non producit in sphæris cœlestibus, utpotè cùm sit qualitas corruptiva, quæ proinde in cœlis recipi non potest, hujus rei alia ratio à priori assignari nequit, quàm diversitas dispositionum in subjectis repertarum.

Dico 2. *Agens increatum ex ratione Agentis, quâ infinitum est, potest agere in distans, licet nihil operetur in medium.* Hæc est Doctoris 1. d. 37. & communior Scotistarum. X. *Agens increatum potest agere in distans.*

Probatur: Quia si per impossibile Deus non esset ubique, sed tantùm in cœlo, & haberet infinitam virtutem agendi, posset agere in quacunq; parte mundi, licèt non ageret in medio; ergò ex ratione agentis quâ talis, poterit agere in distans: probatur ant. quidquid summam Dei perfectionem commendat, Deo attribuendum est, sed hoc commendet Dei perfectionem summam, ergò: probatur min. quia hanc perfectionem commendat in creatis, ergò etiam in Deo. Dictum tamen in conclusione notantèr est: *ex ratione agentis formaliter*, quia ex alio capite Deus non potest agere in distans, scilicet ratione immensitatis, per quam cuicunq; rei & creaturæ necessariò præsens est. Et hoc tantummodò prætendunt omnes textus Sacræ Scripturæ, quæ incontrà adferri possunt.

Dico 3. *Potest etiam de potentia Dei absoluta in creatu dari actio indistans.* Ita Scotistæ & plures Recentiores contra Molinam Ruvium &c. Et XI. *In creatis etiam divinitus dari potest.*

Probatur primò: Deus potest supplere omnem conditionem, etiam necessariò requisitam in causa secunda ad agendum, sed approximatio & propinquitas causæ secundæ ad passum, est tantum conditio ad agendum requisita; ergò potest Deus eam supplere, & consequentèr agens creatum divinitùs poterit agere in distans: probatur min. quia effectus productus in distantia in se non est in substantia extra virtutem agentis, sed tantùm in modo: ergò.

Probatur secundò: Potest agens creatum elevari ad potentiam obedientialem, ad effectus supra naturam producendos, dummodò ad hoc habeat virtutem incompletam & principium inchoatum, sed sol, verbi gratiâ, habet principium illuminandi, producendi aurum & gemmas; ergo poterit elevari ad similes effectus producendi in distans.

Probatur tertiò: Potest Deus ponere unum corpus de uno extremo in aliud extremum absque eo, quòd transeat corpus per medium; ergò potest etiam elevare agens creatum, ut agat indistans. Patet ant. de Corpore Christi, quod speciebus consecratis sit præsens absque eo, quòd transeat per cœlos ad inferiora terræ: probatur consequentia, quia eadem est ratio, & major est connexio cum actione indistans ad agens, ac cum uno extremo ad aliud. Confirmatur: Ex eo, quòd nulla possit adferri ratio vel implicantia, quare id fieri divinitus non posset. Sed

Dices: Non potest agens agere in tempore, in quo non est; ergò neque in loco, in quo non est, & consequentèr agens creatum nequit elevari ad agendum indistans. R. negando conse- XII.

consequentiam, quia agens, quod non existit in hoc tempore, non existit in ullo, sed vel existit vel existet in tempore, quod vel jam fuit, vel primò erit, quia igitur una necessarissima conditio ad agendum est existentia, dum agit, tunc pro illo tempore necessariò existere debet, agens verò, quod non existit in hoc loco, non statim propterea non existit absolutè, sed tantùm non existit hic, unde potest existere alibi; quarè benè quidem infertur, agens non existit in hoc tempore; ergò non existit ullo modo; mala tamen ista altera; Agens non existit in hoc loco; ergò non existit absolutè in ullo loco, adeoq; licèt existentiam in hoc tempore requirat, ut agat in hoc tempore, non tamen requirit existentiam in hoc loco, ut hic agat.

DISPUTATIO V.

DE CAUSA EFFICIENTE INCREATA.

I. NUllus, nisi insipiens negat Deum esse causam efficientem, & principium omnium rerum creatarum, à quo, non modò in fieri, sed etiam in conservari dependeant, unde notanter dixit etiam Regius Psaltes, insipientem in corde tantùm dixisse: *Non est Deus; Nemo enim*, verba Divini Augustini sunt: *tàm insignem blasphemiam ore auderet proferre*; verùm, eum errâsse, propria confessio convincit, quia ex illo antecedente consequentiam infert; *Ergò erravimus & via veritatis non fuit in nobis.* Convincunt etiam non modò fides Catholica, quæ in Symbolo suo credit: *Factorem Cæli & terræ, visibilium & invisibilium*, ac plurima Scripturæ loca, quæ testantur: *Per eum facta esse omnia*, sed insuper Illustrissima Sanctorum nostrorum Doctorum Augustini & Bernardi, nam Hypponensis Præsul lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. ait: *Contra quos* (id est insipientes) *profertur sententia Domini: Pater meus usq; modò operatur & ego operor: deinde quia non solùm magna & præcipua, verùm etiam ista terrena & infima ipse operatur, ut dicit Apostolus & Sapient. 11. Quomodò potest aliquid permanere, nisi voluisset, aut quomodò à te vocatum esset, non conservatur?* Serm. 55. de verbis Domini sic loquitur: *Interroga mundi ornatum, Cæli fulgorem, dispositionemq; siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium. Interroga terram fructificantem herbis & ligna, animalibus plenam, hominibus exornatam. Interroga mare quantum, & qualibus natatilibus plenum, interroga aëra quantis volatilibus viget. Interroga omnia & vide, si non sensu suo, tanquam tibi respondent: Deus nos fecit, hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt.* Et Enarrat. Ps. 145. *Quæ vides, ipse fecit. Miraris mundum, quarè non Artificem mundi? Suspicis cælum & exhorrescis, cogitas universam terram, & contremiscis maris magnitudinem. Respice tanta genera seminum, tantas diversitates Animalium, quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aëre, circumit in cælo, omnia ista, quàm magna, quàm præclara, quàm pulchra, quàm stupenda? Ecce qui fecit hæc omnia, Deus tuus est.* Abbas verò Claravallensis fæpenumerò admirabile Dei in rebus creandis artificium commendat, signanter verò, dum expendit illum Sacræ Scripturæ textum: *Ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia* lib. 5. de Considerat. cap. 6. sic ait: *Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium Auctorem atq; alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tanquam uno principio, auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium, artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur, locus. Ex quo omnia non de quo, quia non est materia Deus, efficiens causa est, non materialis.* Rationibus autèm insipientem convincere non est hujus loci, nam hoc præstant vel Theologi, vel Metaphysici, ad præsens suppositio Deo tanquam Causâ primâ Increatâ spectat inquirere & examinare, an & qualitèr Creatura dependeat in suis operationibus à Deo, quod sequentibus faciam quæstionibus. Sit igitur

QUÆSTIO I.

An Deus immediatè concurrat cum causa secunda ad suos effectus?

II. *Deus est vera causa.* Deum esse omnium rerum creatarum principium, dixi paulò suprà, qui non incongruè in ratione primi principii, seu primæ causæ cum divo Bernardo Libro proximè citato definiri potest: *Verum simplexq; principium, quòd principium non habuerit, id est Causa, à quâ omnia suum accipiunt esse, ipsa tamen a nemine habet originem.* De hac materia duplex solemnis est sententia, unius, si non Author principalis, saltem Fautor & Defensor est Durandus, qui dicit Creaturas ad suas operationes aliud non requirere, quàm quòd à Deo ponantur ad esse, ab eoq; conserventur, ut proinde possint & defactò operentur, sine immediato Dei concursu, quòd pluribus Sacræ Scripturæ locis comprobare nititur, verùmtamen hæc sententia à gravissimis Theologis & sapientissimis Philosophis summis impetitur censuris, ut eam pluribus erroribus esse obnoxiam, imò hæreticam compellent.

pellent. Altera sententia est D. Bonaventuræ 2. d. 37. art. 1. q. 1. & cum eo omnes celebriores Scholastici, præter Durandum, conveniunt, qui omnes unâ voce clamant & docent, Deum creaturis non modò dare, ut sint & virtutem, ut operari possint, verùm etiam cum iis ad singulas actiones proximè & immediatè concurrere. Pro resolutione

III. *Deficit immediatione non agere potest.*

Notandum: Causam quamcunque efficientem duplicitèr posse agere immediatè, immediatione virtutis scilicet & suppoti: Immediatione suppositi agit causa, quæ per actionem immediatè à se egredientem & immediatè terminatam ad actum, producit illum effectum; sic objectum concurrit cum intellectu ad producendam intellectionem, ignis ad producendum alium ignem. Illa verò agit immediatione virtutis, quæ non habet actionem immediatè à se egredientem & terminatam ad effectum, communicat tamen alteri causæ agenti virtutem productivam ejus, sine quâ nequiret ipsum producere, & sic concurrit causa calefaciens aquam cum eadem aqua ad calefaciendum. Hoc notato

IV. *Deus concurrit.*

Dico: *Deus concurrit cum omnibus causis secundis, ad quascunq; & singulas actiones immediatè non modò immediatione virtutis, verùm etiam immediatione suppositi.* Hæc est conformis ad secundam sententiam: &

Probatur primò, Authoritate Sacræ Scripturæ: nam Isaiæ 26. dicitur: *Omnia opera nostra operatus es in nobis* 1. ad Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus* Ps. 146. *Qui producit in montibus fœnum:* item 103. *Qui producit fœnum jumentis & herbam servituti hominum.* Et Matth. 6. *Si fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit.* Probatur authoritate Sanctorum Patrum suprà citatorum, quibus addo duplicem textum, nam D. Aurelius lib. 7. de lib. arb. cap. 17. sic ait: *Quamobrem quantacunq; bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo, esse non possunt.* D. Bernardus verò Serm. 22 de diversis sic dicit: *Totum ergò, quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit & benefecit tibi, qui tibi ministrat fidelium cursu, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem:* & in Cant. Cant. Serm. 85. demonstrans, omnes conatus nostros sine Deo esse inanes, dicit: *Frustra nititur, si non imititur,* (Deo scilicet concurrenti & adjuvanti) *sanè etiam contra se innitens invalesceret, & factâ seipsâ validior coget pro ratione universa, iram, metum, cupiditatem & gaudium, veluti quendam animi currum bonus auriga reget, & in captivitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis.* Sed Conclusio

VI.

Probatur Ratione primò: In omnibus creaturis modus operandi sequitur modum essendi, seu quod idem est, operari sequitur esse, sed omnes Creaturæ ita dependent à Deo, secundùm esse & entitatem suam, ut cessante concursu conservativo Dei desinere totaliter deberent, ergò etiam omnes creaturæ ita dependent à Deo in operando, ut illo non cooperante nihil producere possint. Major patet, minor etiam est certa, consequentia ergò est optima.

Secundò: Deus est omnium rerum causa universalis; ergò ad omnes omninò effectus debet concurrere: probatur consequentia, quia si non concurreret ad omnes effectus, non magis esset causa universalis, quàm Adam, respectu omnium hominum, primus ignis respectu omnium ignium, aut primus equus respectu omnium equorum, sed Deus est magis causa universalis; ergò ex eo, quòd omnes effectus producat cum causis secundis: probatur sequela, quia quemadmodùm Adam dicitur causa omnium hominum &c. ex eo, quòd filiis communicaverit virtutem generandi, & ab ipso geniti sint, ita etiam omnia alia tantummodò essent à Deo producta, consequentèr non esset Deus magis causa universalis.

Probatur tertiò: Omnis res creata est ens, per participationem; ergò immediatè suum accipit esse participatione, probatur consequentia: esse ens per participationem, aliud non est, quàm habere suum esse ab aliquo immediatè influente esse, sed omne ens, præter Deum, est ens per participationem; ergo immediatè suum esse participat à Deo, & per consequens ad illius esse Deus immediatè concurrit. VII.

Probatur quartò: Quia potest Deus impedire quoscunque effectus causarum secundarum, etiam sufficientèr applicatarum, sed hoc non posset facere, nisi immediatè concurreret ad effectus causarum secundarum, ergò: ma. patet ex igne Babylonico; quod etiam in Deo arguit magnam perfectionem: probatur mi. quia non potest explicari, quomodò Deus effectum causarum secundarum impedire posset positis omnibus requisitis ad agendum, cùm non possit assignari ratio, quarè non fuerit puerorum combustio secuta, sicut sequebatur aliorum tunc adstantium, quòd tamen facilè præstatur, si immediatus Dei concursus concedatur, quia statim dicitur, hoc ideò contigisse, quia Deus cum igne non concurrebat ad pueros comburendos, sicut concurrebat ad combustionem aliorum. Confirmatur Conclusio: Quia agere immediatione suppositi nihil est aliud, quàm, quòd actio immediatè egrediatur à causa, & terminetur ad effectum, sed actio immediatè egreditur à Deo, ergò: probatur mi. quia volitio Dei, quæ necessariò requiritur, ut effectus aliquis ponatur extra suas causas, immediatè egreditur à Deo: ergò. Sed

VIII. *Argumentum in contrarium primum.*

Arguitur: Ut causa aliqua creata producat effectum suum, nihil requiritur, quàm, ut habeat virtutem æqualem effectui, verbi gratiâ, ut ignis, vel calor producat calorem ut sex, aliud necesse non est, quàm, ut habeat calorem ut sex, sed in causis creatis reperitur talis æqualitas cum perfectione effectûs; ergò non habent necessarium concursum causæ primæ: ma. patet, probatur minor, quia omnis causa, vel est univoca, vel æquivoca: si univoca, est ejusdem perfectionis cum effectu; si verò sit æquivoca, est majoris, ergò. R. dist. ma. in causis creatis reperitur talis æqualitas virtutis productivæ, supposito Dei concursu, concedo mi. eo non supposito, nego mi. & conseq. Itaq; omnes causæ secundæ, si abstrahant à concursu Divino, non habent sufficientem virtutem, ad producendos suos effectus.

Instatur: Si in omnibus causis secundis deberet supponi concursus divinus, sequeretur, quòd nulla daretur causa totalis, sed dantur causæ totales; ergò ad eas non requiritur concursus Dei. R. dist. mi. in suo genere, seu in genere causæ secundæ, concedo mi. in omni genere, nego mi. Itaque licèt materia & forma quælibet in suo genere sit causa totalis, attamen ad compositum constituendum requiritur etiam causa efficiens & in liberè agentibus finis, quarum tamen utraque in suo genere est totalis causa, quarè per hoc non impediuntur, quò minùs maneant, & sint causæ totales, quemadmodùm non cessant esse causæ totales, quòd cum eis concurrant astra & cœli ad varios effectus in sublunari sphæra producendos.

Urgetur: Quotiescunque duæ causæ totales concurrunt ad eundem effectum producendum, ponitur ab una simplicitèr, ita ut nihil ponatur ab altera, ut patet in duobus baptizantibus, in duobus consecrantibus; ergò si Deus, & causa secunda totalis concurrunt, una erit superflua & nihil producet, & consequentèr vel creatura nihil aget, contra dicta superiùs, vel non erit necessarius concursus Dei. R. dist. ant. Duæ causæ totales ejusdem rationis & in eodem genere, concedo ant. diversæ rationis, & in diverso genere ac ordine, nego mi. Itaque quando Deus, & agens creatum effectum aliquem producunt, tunc effectus indivisibilitèr ab utraque dependet totalitate, ut dicitur, effectûs, licèt non totalitale causæ.

IX. Secundum.

Arguitur secundò: Si Deus immediatè concurrit cum causis secundis ad actiones suas producendas, sequitur, quòd etiam concurrat ad producendos actus peccaminosos, sed hoc est contra summam ejus perfectionem, ergò: probatur mi. quia sic posset dici peccare & iniquitatis Author, quod impium est & blasphemum, ergò: R. 1. dist. ma. deberet etiam concurrere ad actus peccaminosos commissionis, transeat in suo sensu debito; omissionis, nego ma. Quia hæc simplicitèr solum hominem respicit, adeoq; respectu horum peccatorum, quæ per omissionem contingunt, nullo modo Deus est Author, unde ut solvatur objectio, quæ loquitur potissimùm de peccatis commissionis, R. 2. dist. ma. deberet etiam Deus concurrere ad actus peccaminosos, quoad esse materiale, concedo ma. quoad esse formale, nego ma. Itaq; ad entitatem materialem peccati, puta ad occisionis actum, vibrationem nempe gladii & perfossionem, Deus concurrit, ut Causa universalis, non tamen ad ejus esse formale, quod consistit in privatione debitæ rectitudinis in esse, in quo homo est culpabilis, quòd non det rectitudinem suo actui, quam dare posset, si vellet, concurrente Deo, quarè illa entitas occisionis, prout à Deo procedit, semper recta est, quia Deus ex sua parte semper rectè operatur. Sed

Instatur: Causa creata tunc non dat rectitudinem actui, quando ponit materiale actûs, sed Deus ponit materiale actûs peccaminosi; ergò Deus non dat rectitudinem, & consequentèr peccat. R. dist. ma. quando ponit materiale actûs quomodocunque, nego ma, quando ponit materiale actûs contra legem, concedo ma. Itaque quando Deus ponit materiale actûs, non ponit illud contra legem, sed juxta eam, quia non tenetur abstinere, sed potiùs ex ratione causæ universalis concurrere.

Urgetur: Sunt quidem materiales actus intrinsecè mali, ut sunt mendacium, hæresis &c. ergò si DEUS concurrit ad actus materiales omnes, concurrit ad intrinsecè, & secundùm esse materiale malos. R. negando ant. Quia illi actus secundùm esse materiale, prout legem non recipiunt, non sunt mali, sed tantùm in quantum legi subsunt, quæ cùm sit operatio ad extrà Dei, contingentèr lata est. Plura de hac re videri possunt apud Theologos, qui hanc difficultatem ex professo & fusè examinare solent.

QUÆSTIO II.

In quo consistat Concursus Dei, cum quo concurrit cum causis secundis?

Quærendo in quonam consistat concursus Dei, aliud non intendo examinare, quàm communem Recentiorum opinionem, quà putant eandem actionem esse concursum Dei, quæ est causæ secundæ, ut proinde cum eadem actione, quâ agit causa secunda, agat etiam Deus; Pars affirmativa apud Neutristas est communis: Scotistæ verò hanc, vel non examinârunt, vel negativam tenuerunt, inter quos Principaliores sunt Pontius & Baro, cum quibus etiam Resolutivè ad quæstionem

Dico: *Concursus Dei, quo concurrit cum causis secundis ad suos effectus producendos, non est eadem actio ipsius Causæ secundæ, sed alia concomitans.* Ita Pontius & Baro.

Probatur primò: Nihil potest esse secundùm suam entitatem, & eandem rationem prius simul & posterius, neque ratio movens & motum simul, sed si eadem actio, quæ est causæ secundæ, esset etiam concursus Dei, idem secundùm eandem rationem esset prius & posterius, movens & motum; ergò actio causæ secundæ non est concursus Dei: probatur mi. Quia concursus Dei est prior naturalitèr concursu & actione creaturæ; ergò si actio causæ secundæ esset concursus Dei, idem esset prius & posterius, movens & motum: probatur ant. ex Doctore 1. d. 8. q. 5. n. 26. ubi ait: *Nulla causa causat, nisi prima Causa causante causatum ejus, & hoc priùs naturalitèr*, idem docet Aristoteles 7. & 8. Phys. Confirmatur hæc ratio: Per concursum suum Deus adjuvat, excitatq; creaturam ad agendum; ergò concursus ipsius non est ipsa actio creaturæ, seu causæ secundæ, probatur consequentia: Implicat, ut idem sit auxilium & excitatio ad seipsum, ergò: probatur, ant. quia si idem est excitatio & auxilium cum actione, non est potior ratio, quarè unum potiùs dicatur auxilium & alterum actio, cùm utrumq; idem sit, & sic non videtur ratio, quarè concursus Dei dicatur auxilium causæ secundæ ad agendum, quàm actio causæ secundæ dicatur auxilium & excitatio ad agendum Deo, & consequentèr fatendum

fatendum est, concursum Dei non esse eandem actionem causæ secundæ.

III. **Probatur Conclusio secundò:** Si Concursus Dei esset eadem actio, quæ est causæ secundæ, sequeretur, Deum omnia, quæ ad extrà agit, efficere, sed hoc dici nequit, cùm Deus non concurrat, nec in genere causæ materialis, nec in genere causæ formalis; ergò non est actio causæ secundæ concursus Dei cum creatura: probatur sequela: Quia si Deus agit actione creaturæ, sequitur, quòd dum parens generat Filium, Deum quoque efficere Filium generatione, & non per aliam efficientiam, cùm actio, quâ Pater agit, sit generatio; ergò etiam actio, quâ Deus agit, erit generatio, alioquin non esset eadem actio.

Probatur tertiò: Quotiescunq; duæ causæ subordinatæ concurrunt ad eundem numero effectum producendum, non concurrunt eâdem actione sed diversâ; ergò etiam, quando Deus concurrit cum causa secunda ad effectum aliquem efficiendum, non fiet eâdem actione: ant. patet de intellectu & objecto concurrentibus ad intellectionem: probatur consequentia, quia nullum accidens potest esse in duobus subjectis, imò Deus est incapax omnis accidentis, sed actio est accidens relativum, quæ in agente subjectari debet; ergò, quando DEUS cum causa secunda concurrit ad effectus suos producendos, non præstat hoc eâdem actione: Sed in contrà, (& est communis replica, potissimumque Adversariorum fundamentum.)

IV. Argumentum Adversariorum. **Arguitur:** Actio creaturæ dependet & à Deo, sed non dependet ab illo per aliam actionem; ergò immediatè egreditur à Deo: probatur ma. cùm actio sit quid creatum, omne autèm creatum dependet à Deo: mi. etiam est certa, ex communi axiomate Philosophico, quòd ad actionem non detur actio, quemadmodùm nec ad motum motus: ex consequentia & toto argumento sic subsumo; sed illa actio etiam est creaturæ & causæ secundæ ut supponitur; ergò eâdem actione concurrit Deus, & causa secunda ad suos effectus. R. Negando mi. ad cujus probationem dico, illud axioma verum esse de eodem supposito, ut sensus sit: Idem agens non efficere suam actionem per aliam actionem, quæ ab ipso egrederetur, non tamen, quòd aliud suppositum non posit in illam influere. Sed

Instatur: Si Deus influit in actionem causæ secundæ vel in illam solam, vel etiam in effectum ejus, si in illam solam; ergò non influit in omnes effectus causarum secundarum immediatè, immediatione suppositi & virtutis simul, quia influit, seu concurrit tantùm ad actiones causarum secundarum: si verò dicatur, quòd effectum quoque attingat, tunc sequitur, quòd Deus bis eundem effectum producat, semel in actione, & semel in ipso effectu, quod enim est causa causæ, est causa causati. R. utrumque dici posse, & si primum dicitur, tunc ad rationem oppugnationis, respondeo, illam non convincere, quia sicut ignis est verè causa alterius ignis, licèt inter unum & alterum medi-

diet actio & passio, sic quoque causa secunda potest esse causa immediata suorum effectuum, licèt actio productiva accipiat esse à Deo Si verò secundum tenetur, tunc dico, quòd concursus, qui influit in actionem, non sufficiat, ut ipse effectus ponatur, sed etiam ulteriùs requiritur concursus, qui influat in ipsum effectum, adeoq; non bis influet, sed semel, eo scilicet concursu, quo attingit effectum.

Urgetur: Ex hac responsione sequeretur, Deum aut inanitèr, aut plus quàm secundam causam laborare, quod est inconveniens, quia alioquin dici posset, causas secundas exactiorem agendi modum invenisse, quàm primam, quod sacrilegum est. Sed R. negando sequelam, quia etiam ab ipsis causis secundis egrediuntur actio & terminus, & tamen per hoc non dicuntur inanitèr, vel superfluè laborare; Et ulteriùs, actio creaturæ respectu Dei non est modus, sed est effectus, unde ab ipso egredi potest vel debet, sicut quicunque alius effectus. Quòd si tibi hoc difficile videtur, responde cum Pontio ad principale argumentum, non esse necesse, quòd omnia relativa immediatè egrediantur à Deo, sed tantùm, quæ fiunt per veram, & realem actionem & Physicam efficientiam, nec hoc est favere sententiæ Durandi, ut existimat Baro.

QUÆSTIO III.

An Concursus Dei sit prædeterminatio Causarum secundarum?

I. *Ingressus ad quæstionem.* **Famosa est** non modò nunc, ut plures autumant, sed fuit etiam olim hæc materia præsentis quæstionis, tum secundùm se, tum etiam eò, quòd plures alias & solemnissimas controversias involvat, compositionem liberi arbitrii cum gratia Divina, providentiam & præscientiam Dei, prædestinationem, & scientiam mediam Molinianam, secundùm quam nova & recens dici poterit: Unde eam ita tractabo, ut Theologis non præjudicem, cùm secundùm se hujus loci & fori sit: Sensus itaque tituli est, an concursus Dei cum causa secunda sit quid realitèr impressum à Deo causæ secundæ, veluti aliquod necessariò prærequisitum ad hoc, ut agat, per modum alicujus qualitatis infusæ, quâ positâ causa secunda necessariò debet agere, sive sit libera, sive naturalis, quâq; è contrà non positâ causa secunda non potest agere, & producere suum effectum, quam qualitatem vocare solent Authores, præmotionem & prædeterminationem Physicam, multisq; aliis titulis, Physicam verò, quia illam qualitatem quid Physicum esse putant. Sententiam affirmantem amplectuntur Thomistæ, eamq; Recentiores eorum defendunt mordacitèr, existimantes, hanc esse Divi Thomæ mentem, qui tamen in duplici sunt via, nam aliqui asserunt, Deum, præter infusionem hujuscemodi qualitatis, non habere alium ullum influxum in effectum causæ secundæ, quod qui asserunt, necessariò fateri debent, Deum non concurrere ad omnes effectus causarum secundarum immediatè immediatione suppositi, sed tantùm immediatione virtutis.

Alii, ut salvent Deum concurrere etiam immediatè immediatione suppositi, docent. Deum, præter hanc qualitatem, concurrere particulari concursu, ad effectus causarum secundarum. Sententiam negantem tuentur Scotus 4. d. 1. q. 1. & d. 43. q. 3. & d. 45. q. 6. cum suis, & reliquis Scholasticis omnibus, quàmvis etiam hi inter se discrepent, ego inhærebo principiis Scoti, quarè quomodocunque intelligant Thomistæ suam prædeterminationem Physicam, contra eam concludo, & inprimis de causis naturalitèr agentibus

II. *Non est necessario prædeterminatio ut causæ agant.*

Dico 1. *Ut Causæ naturaliter agentes effectum suum producant, non habent prædeterminationem aliquam Physicam.* Ita Doctor cum suis suprà.

Probatur primò: Causæ naturalitèr agentes producunt suos effectus naturalitèr, conformitèr ad inclinationem, sed si in iis daretur prædeterminatio Physica, non sic producerent illos; ergò non datur: ma. patet: probatur min. Quæcunque causa naturalitèr, & secundùm inclinationem producit effectum, debet habere virtutem intrinsecè sibi & naturalitèr inditam, sed talem virtutem non haberent; ergò non agerent naturalitèr: probatur min. quia haberent tantùm virtutem suam in DEO movente, prædeterminante & impellente, quæ non potest dici intrinseca ipsi mobili, sicut non dicitur impulsus quicunque intrinsecus lapidi, quando directè & per planum movetur.

II. Probatur secundò: Si in causis naturalitèr agentibus daretur prædeterminatio Physica, quæ esset qualitas necessariò requisita ad agendum, quâ posità causa secunda posset agere, quâque non posità non posset agere, sequeretur, omnes alias qualitates, & virtutes ad operandum superfluere, sed hoc est inconveniens dicere, cùm qualitates non tantùm datæ sint ad ornatum, sed etiam ad activitatem, ergò: non datur: probatur sequela: Quia sine omnibus qualitatibus fieri potest actus; ergò illæ superfluerent: probatur ant. Illa qualitas se habet per modum impulsûs impressi, sed hic pellit tam benè leve deorsum, ac grave, & grave tam benè sursum, ac leve; ergò etiam qualitas illa impressa hoc faciet, & consequenter sine aliis omnes effectus haberi poterunt. Confirmatur: Ad hoc, ut grave descendat deorsum, vel habet ex se principium sufficiens, vel non habet, si habet; ergò superfluit illa qualitas impressa: si non habet; ergò superflua erit ipsi gravitas, cùm non possit facere, ut grave deorsum descendat, & consequenter sequetur, quòd si Deus lapidi existenti super aserem qualitatem hanc denegaret, quòd ipse non descenderet deorsum, & si asser subtraheretur, quod satis mirum est, & aliud i volvit scilicet, tunc aliquem saltem effectum lapidem habiturum sine prædeterminatione Physica, scilicet quietem sursum adeóque ad omnes effectus causarum secundarum non erit necessaria illa prædeterminatio.

IV. Probatur tertiò: Particularitèr contra eos, qui dicunt concursum aliud non esse, quàm qualitatem prædeterminantem. Si concursus Dei esset aliqua qualitas intrinseca, & impressa causæ secundæ, sequitur, causam secundam posse agere sine ulteriori concursu Dei, sed hoc est absurdum, ergò: probatur min. quia sic causa prima, seu Deus non concurreret immediatè cùm causa secunda, sed mediante qualitate intrinsecâ, quod Durandi cùm est, & ipsis Adversariis abominabile: probatur sequela ma. Quia causa secunda potest agere, quandocunq; habet totum concursum causæ primæ, sed si concursus Dei non esset aliud, quàm qualitas illa impressa prædeterminans; ergò posset agere sine aliquo ulteriori; nec valet dicere cum aliis, præter qualitatem illam prædeterminantem, requiri alium adhuc concursum particularem, qui cum causa secunda simultaneè concurrat, quia contra hos (contra alios enim vim suam habet argumentum.)

Probatur Conclusio quartò: V. Suppositò simultaneo Dei concursu cum causa secunda, superfluit omnis alia qualitas prædeterminans; ergò non est assignanda: probatur ant. quia nulla ejus est necessitas vel utilitas; ergò superfluit: probatur ant. si esset aliqua, maximè, ut causa secunda non impediatur in agendo, sed hæc non est, ergò. ma. est Advers. probatur min. Per hoc, quòd Deus simul cogat, scit se non facturum miraculum, per quod impediretur causa, nec ejus concursu suppositò, poterit alia causa fortior impedire actionem; ergò nulla necessitas vel utilitas. Deinde illa qualitas, licèt admitteretur, non est adhuc sufficiens, ut impediat miraculum, quia non repugnat, quò minùs posità illâ qualitate Deus adhuc possit suspendere effectum, cùm sit quid posterius ad illam qualitatem. Sed in contrà

Arguitur: Causa secunda non agit nisi VI. in quantum mota est à prima, ergò recipit aliquam motionem à prima, & consequenter aliquid prædeterminans eam ad agendum. Ad hanc objectionem multiplicitèr respondeti potest & solet, attamen omnibus aliis omissis distinguo ant. Causa secunda non agit nisi mota à prima, concomitantèr, concedo ant. antecedentèr, & prædeterminando per impressionem alicujus qualitatis, nego ant. & consequentiam utramque: Quia causam secundam moveri, vel excitari ad agendum, aliud non est, quàm, quod sicut entitatem, ita etiam virtutem ad agendum à prima causa acquisierint, quam conservat & simultaneè concurrendo applicat ad agendum.

Instatur: Si Causa prima non prædeterminat actionem causæ secundæ, eam præveniendo, non potest explicari, quomodo causa secunda possit dici subordinata ad primam, ergò: probatur ant. quando duæ causæ partiales concurrunt ad effectum aliquem producendum simul, non dicuntur sibi invicem subordinari; ergò si causa prima simpliciter & simultaneè concurrat, non poterit dici Causa subordinans: probatur consequentia: Quia causa prima nihil aliud haberet præ secunda, quàm quòd hæc dicat dependentiam ad illam in agendo, sed hanc dicunt etiam causæ partiales, & tamen non dicuntur sibi subordinatæ; ergò nec inter causam primam, & secundam subordinatio explicari posset, nisi admittatur aliqua prædeterminatio. R. negando ant.

cum

cum consequentia probationis, & ejusdem prob. ma. Quia quòd Causa secunda dicatur subordinata ad Primam, non est propter solam & nudam dependentiam in agendo, sed etiam tum, quia causa secunda nihil potest agere, nisi coagente causâ Primâ, quod non currit de duabus causis partialibus, quarum, licèt una non agat, saltem altera potest aliquid agere, imò etiam aliquando potest, & producit sola totum effectum, ut patet, si duo equi trahant unum currum non multum oneratum, quem uterquè equus trahit, & quilibet est causa partialis, & tamen contingit, quòd etiam unus equus possit illum currum trahere, non sic autèm est in causa secunda, respectu Primæ: tum, Quia subordinatio ex alio capite potest provenire, videlicet, quia Causa prima non modò influit in effectum causæ secundæ, sed etiam in ipsam actionem ejus, quod non evenit in causis partialibus.

Urgetur: Causa prima non tantùm concurrit ad effectum producendum, sed etiam simul influit in actionem causæ secundæ, ut dicit posterior responsio, sed hoc non potest facere, nisi prædeterminando, ergò. probatur mi. quia concursus Dei in actionẽ causæ secundæ est prior, & illam causans, ergò concursus ille causans actionem causæ secundæ prædeterminat causam secundam ad agendum. R. negando mi. quia, licèt concurrat ad actionem etiam, & ad effectum simul, non facit tamen hoc nisi postquàm causa secunda seipsam determinavit ad agendum, cùm enim concursus dicitur, necessariò admittendum est aliquid, cujus dicatur concursus, si enim nihil esset, cum quo concurreret, frustra diceretur concursus, sed potiùs deberet dici simplex actio, vel productio.

VII. *Sic liberas prædeterminat.*

Dico 2. *Deus cum causis secundis liberè agentibus non concurrit concursu suo, vel per aliam qualitatem impressam prædeterminando.* Hæc à fortiori est Authorum, negantium omnem prædeterminationem, si enim causæ necessariæ, & naturales non prædeterminantur, multò minùs prædeterminari poterunt causæ liberæ: Et

Probatur primò: Omnibus illis authoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ liberum hominis arbitrium insinuant, ad agendum benè, vel malè in determinationem, ad bonæ & æternæ vitæ consequutionem, meritorum remunerationem, peccatorum punitionem, pœnarum comminutionem, & similia, quæ omnia frustra fierent, & à Deo adhiberentur, si voluntas nostra, & causa libera, per aliquam qualitatem impressam prædeterminaretur, si enim prædeterminatur, facere debebit omne id, ad quod sic prædeterminatur, seu bonum illud sit, seu malum, nec culpari poterit, si bonum non fuerit, quia aliud facere nequivit, unde etiam gratis improperaret Deus peccatori, se vocâsse, & eum renuisse, extendisse manum, & non fuisse, qui respexisset. Non adduco autèm ipsos sacræ Paginæ textus, tum, quia obvii sunt; tum, quia Theologi id fusissime præstant: Abs re tamen non erit, sed proposito maximè conforme conclusionem roborare authoritate sanctorum Patrum & Doctorum nostrorum, ex quibus

Probatur Conclusio secundò: VIII.
Nam D. Augustinus integros scripsit libros de gratia & libero arbitrio, eamquè non destruere docet nec præjudicare ipsi præscientiam Dei, nam lib. 3. lib. arb. cap. 3. ait: *Attende, quæso, quantâ cœcitate ducatur, si præscivit Deus futuram meam voluntatem* (id est, consensum) *quoniam nihil aliter potest fieri, quam præscivit, necesse est, quòd velim, quod præscivit ille: si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate me id velle fatendum est. O stultitiam singularem! Quomodò ergò non potest aliter fieri quàm præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præscivit?* Et in Psalmum 140. *Non enim quia tu prænuntiásti, tu fecisti.* Et *Hoc prædixerat Dominus, non præceperat, non cœgerat.* Viden'? quomodò, licèt Deus præsciat futura, ideò necessariò non fieri, & quod si fierent necessariò, non fierent voluntate, quod autèm fit per prædeterminationem, necessariò fit, ergò. D. Bernardus etiam integrum tractatum de viginti capitibus composuit, de gratia & libero arbitrio, in quo per totum pulchra & mira dicit de gratiæ necessitate ad opera meritoria, nunquam tamen admittit eam libertati humanæ præjudicare, aut eam necessitare ad aliquod opus; Ex plurimis paucos adjungo textus, & statim capite primo, omne meritum ex gratia fieri necesse esse demonstrans ait: *Quod ergò à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse non potest, quàm absq; gratia dantis, & ita gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur.* & cap. 2. demonstrat, rationem non posse necessitare voluntatem, nec quidquam aliud, quoniam cum necessitate non subsistit libertas, sic enim loquitur: *Est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quò minùs liberè pro arbitrio sese volueret, sive in malum consentiens appetitu, aut nequam spiritui, ut sit animalis, non percipiens, vel certè persequens ea, quæ sunt spiritûs Dei* (id est gratiæ) *sive ad bonum gratiam sequens, ut fiat spiritualis, quæ omnia dijudicans ipsa minimè judicetur. Si, inquam, horum quodlibet ratione prohibente voluntas non posset, voluntas jam non esset; Ubi quippe necessitas, jam non voluntas;* sed subsumo ego: prædeterminatio Physica necessitatem infert operandi, ergò destruit libertatem & voluntatem, ergò non est admittenda. Quoniam ut Mellifluus pergit, *Si ex necessitate, & absq; consensu propriæ voluntatis mala bonáve fieri possent, rationalis creatura, aut misera profectò esset, aut nullâ ratione deberet, aut beata penitùs esse non posset, cui nimirum in utraq; parte id deesset, quod solum in ea miseriæ, sive beatitudinis capax est, id est, voluntas.* Cæterùm, quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto, vel bonum ei vel malum imputatur? *Excusat nempe utrumq; necessitas. Porrò ubi necessitas, ibi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium; Excepto sanè per omnia originali peccato, quod aliam constat habere rationem; De cætero quidquid hanc non habet, voluntarii consensûs libertatem, proculdubio & merito caret, & judicio.* Sed si prædeterminaretur, non haberet voluntarii consensûs libertatem, ergò nec deberet mereri, nec demereri, quæ omnia fidei repugnant. Addo adhuc alium lo-

cum ex capite undecimo, ubi probat libero arbitrio nihil derogari per gratiam trahentem, nec per tentationem impellentem, dicit enim: *Nunc igitur ex eo potiùs liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æq; liberam facit voluntatem, cùm nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut valeat esse, nisi volens. Hac sanè dignitatis prærogativâ rationalem singulariter creaturam conditor insignivit, quòd quemadmodùm Ipse sui juris erat, suæq; ipsius voluntatis, non necessitatis erat, quòd bonus erat, ita & illa quoq; sui quodammodò Iuris in hac parte existeret, quatenùs non nisi sua voluntate, aut mala fieret & justè damnaretur: aut bona maneret & meritò salvaretur; non quòd ei propria esset sufficiens ad salutem voluntas, sed quòd eam nullatenùs sine sua voluntate consequeretur; Nemo quippe salvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, item in alio loco; Compelle intrare, nihil impedit: Quia profectò quotoscunq; compellere, vel trahere videatur, ad salutem, benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri, nullum tamen judicat salute dignum, quem antè non probaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, dum terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non salvet invitos, quatenùs dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem.* Quæ doctrina tam clara est, tamquè sublimis, ut, licèt gratiæ necessitatem agnoscat, eam tamen impellere voluntatem, minùs prædeterminare non asserat. Quarè si Idem Mellifluus Doctor, tum in hoc libro, tum alibi docere videatur, Gratiam Dei omnes nostros prævenire conatus, omnes actiones, aut eam omnia in nobis operari, aliud non vult, quàm gratiam ad opera meritoria vitæ æternæ esse necessariam, quæ quidem operationes nostras prævenit, maximè si prima sit, vel excitans, non tamen impellit, vel prædeterminat, cùm sit in nobis ante nostras actiones, cui liberè consentimus & cooperamur, ut possimus non cooperari, & frequentèr contingit, ut homines gratiæ Divinæ etiam sufficienti non cooperentur, licèt eam habeant, prædeterminationi autèm voluntas non potest non cooperari, sed eâ positâ necessariò sequitur effectus.

IX. **Probatur Conclusio,** Ratione desumptâ, tum ex dictis sanctorum Patrum, tum ex definitione libertatis, & causæ liberæ, quòd scilicet sit Ea, quæ, positis omnibus requisitis, potest agere vel non agere. Voluntas debet positis omnibus requisitis ad agendum posse agere & non agere, sed si prædeterminaretur, non posset non agere, ergò tolleretur voluntatis libertas, quod est contra sanctos Patres suprà, probatur. mi. quia prædeterminatio Physica, secundùm Thomistas est qualitas, quâ positâ non potest, non poni effectus, ergò si prædeterminaretur voluntas, non posset non agere, & consequentèr necessariò ageret, quod est contra Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4. ubi hæc habet: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo, ad obtinendam justificationis gratiam, se disponat ac præparet, neq; posse dissentire, si velit, anathema sit,* ergò secundùm Concilium Tridentinum, dum homo excitatus cooperatur, non necessariò cooperatur, & consequentèr non habet illam qualitatem prædeterminantem.

Dices: Concilium loquì in sensu diviso, ita, ut homo possit dissentire, antequàm habeat illam qualitatem; motionem & excitationem, non verò in sensu composito, quatenùs subest illi motioni. Sed Commune est hoc Thomistarum effugium, quarè communi solutione ei quoquè obviandum; quarè respondeo Contrà Primò, Illa verba *Motum, excitatum*, &c. non important sensum divisum, sed compositum, ac si diceret: Voluntatem jam motam & excitatam posse dissentire, si velit, alioquin Concilium nil proficeret contra hæreticos, asserentes, gratiam tollere liberum arbitrium, quos tamè damnabat, nam tunc sensus esset, quòd voluntas & homo, dum gratia non est, habeat liberum arbitrium, adveniente verò, quòd tollatur, quod esset in sensu composito, nec meliùs hæreticis faveri posset, qui vix aliud voluerunt, cùm tam stolidi vix concipi possint, ut negent liberum hominis arbitrium sine gratia, aut gratiam, quæ nondum est, illud tollere posse, cùm nihil aliud tollat, & destruat, nisi illud ipsum existat. Contrà secundò facit, quòd hæc Enasio ipsa Thomistarum principia destruat; Quia si liberum arbitrium & voluntas libertatem habet ponendi suum effectum in sensu diviso, seu antecedentèr ad Dei motionem, sequitur, quòd antecedentèr ad istam motionem possit ponere effectum, si velit, & sic motio non erit necessaria. Verè difficile est, cum hac sententia liberum reconciliare arbitrium, relinquo tamen eam in sua probabilitate, unde ab ulterioribus impugnationibus, & exaggerationibus supersedeo; Qui plures probationes pro nostra sententia desiderat, assumat positas pro priori Conclusione. Verùm in contrà

Arguitur: Quod ex se est indeterminatum, non potest producere effectum determinatum, voluntas creata est ex se indeterminata, ergò ipsa nullũ poterit producere effectũ determinatum, ergò ut operetur, ab alio determinari debet, & consequentèr dabitur in causis liberis prædeterminatio. Sed R. negando ma. Quia per hoc distinguitur causa libera à necessaria, quòd ad operandum sit indifferens, & indeterminata, & tamen possit producere effectum determinatum, nam quemadmodum illa movet alias potentias ad agendum, iisquè imperat, sic potest seipsam quoquè determinare, quando, vel ubi voluerit, quòd si hoc voluntati negetur, negandum etiam esset Deo & asserendum, quòd etiam deberet ab alio determinari, quod minùs rectum esset sentire, quod tamen sequeretur, probo; Quia Deus ad creandum mundum fuit indifferens, sed quodcunquè est indifferens ad operandum, debet determinari ab alio, ut vult major, ergò Deus debuit ad mundi creationem ab alio determinari.

Instatur: Scotus in 4. d. 49. q. 6. §. *Dico.* ait: Non esse contra naturam voluntatis, quòd determinetur à causa superiori. R. Dctorem aliud non velle, quàm, quòd non sit contra voluntatis libertatem, quòd dependeat & sub-

& subordinetur causæ Primæ in agendo, non verò intelligit aliquam qualitatem impressam.

Urgetur: Illa dependentia non est aliud, quàm Causæ primæ influentia in voluntatem, sed influentia non est aliud, quàm præmotio, ergò si in voluntatem Deus influit, eam præmovet & determinat. R. negando mi. quia illa influentia non est aliud, quàm simultaneus Dei concursus cum causa libera, sicut & necessaria, de quo concursu sit

QUÆSTIO IV.

An Concursus Dei cum Causis secundis, seu liberis, seu necessariis sit determinatus?

I. *Status quæstionis.*

Sensus quæstionis est, an, quando Deus concurrit cum causis secundis ad suos effectus producendos, per suam volitionem, illa volitio sit indifferens, ut, sicut eâ mediante concurrit ad hunc effectum producendum, verbi gratiâ, calorem, ita etiam eâ mediante possit concurrere ad alium effectum, verbi gratiâ, ad frigus, si aliæ causæ secundæ applicarentur, vel, utrum sit determinatus ita, ut concursus quo concurrit ad producendum ignem, non sit concursus ad producendam aquam. In qua materia jam dudum præscripsit Opinio Scoti asserentis & docentis: Concursum, quem Deus influit cum causis secundis in eorum effectus determinatum esse, Contra Neutristas, qui ad salvandam libertatem voluntatis varios excogitârunt modos, maximè tamen putant, illum concursum esse indeterminatum & indifferentem, quodammodò genericum & suspensum, determinabilem per causam secundam, modò ad hunc, modò ad illum, quòd quàm consequentèr adstruant, patebit mox ex probatione prima contra eos ad hominem. Unde

II. *Concursus Dei determinatus.*

Dico: *Concursus Dei cum causis secundis, seu liberis, seu necessariis, ad suos effectus, absolutus est & determinatus.* Ita Scotistæ communitèr. Et

Probatur primò contra Neotericos ad hominem arguendo: Actio Causæ secundæ, sive liberæ, sive necessariæ, est determinata ad suum effectum, dum agit, ergò etiam concursus Dei: ant. patet. Quia Actio ignis est ita determinata, ut per eam non possit produci aqua, vel lapis, actio oculi, ut non possit producere auditionem & auris visionem, & sic de aliis: probatur consequentia: Actio Creaturæ est concursus Dei, secundùm Neotericos, & concursus Dei est ipsa actio Creaturæ & causæ secundæ, sed actio causæ secundæ est determinata, ergò, si concursus non est aliud, quàm actio creaturæ, ut dicunt Ipsi Adversarii, sicut actio creaturæ est determinata, ita etiam concursus Dei erit determinatus. Sed

III. **Probatur Conclusio secundò,** directè: Causa secunda nullum effectum potest producere, nisi Deo concurrente, ergò concursus Dei est determinatus; probatur consequentia; antecedens fatentur etenim Adversarii, si concursus Dei non esset determinatus, causa secunda posset producere aliquem effectum absquè eo, quòd Deus concurreret, sed &c. ergò. probatur sequela ma. Titius, verbi gratiâ, habens concursum indeterminatum ad amandum vel odiendum, potest eligere odium, & ad ipsum determinare se, sed hoc fieret, sine concursu Dei, ergò, si concursus non esset determinatus, posset causa secunda producere aliquem effectum absque concursu Dei, quia certum est, quòd illa determinatio ad amandum sit aliquis effectus causæ secundæ: probatur mi. quia Deus non determinaret, sed ipse Titius.

Probatur tertiò: Si Concursus Dei non esset determinatus, quo concurrit ad effectus causarum secundarum, sequeretur, Causam Primam non distingui à secunda in dependentiâ, sed hoc minùs piè asseritur, ergò. probatur mi. Causa secunda ea est, quæ dicit necessarium respectum & ordinem ad Causam Primam, sed Causa Prima diceret etiam talem necessarium respectum & ordinem, ergò non distingueretur Causa Prima à secunda: prob. mi. quia Concursus Causæ primæ nihil potest efficere, nisi determinetur per secundam, ergò prima dicit tam necessarium respectum & ordinem ad secundam, sicut hæc ad illam, & consequentèr non distinguentur à se invicem in dependentia. Valeat hæc probatio, quantum potest. In contrà IV.

V. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Si concursus Dei esset determinatus, tolleretur libertas in homine, sed hoc dici nequit, ergò, probatur mi. quia posito illo determinato concursu, necessariò ponetur effectus, ergò: R. negando ma. cujus probationis ant. distinguo: necessariò ponetur effectus, necesitate antecedente & absolutâ, nego ant. necesitate consequente, & secundùm quid, concedo ant. & consequentiam nego. Ille autem concursus non esset antecedens, adeoquè nec inferret necesitatem antecedentem. Quid autem sit necesitas antecedens & consequens, suppono ex sæpè dictis. Verum

Instatur: Volitio Divina & decretum absolutum, quo decernit futuritionem effectûs, antecedit determinationem voluntatis creatæ, ergò, si eo posito non potest non poni effectus, tolletur libertas etiam ex antecedente; probatur ant. quia illa volitio est ab æterno, sed quod est ab æterno, antecedit omne illud, quod est in tempore, ergò. R. dist. ant. Antecedit illam determinationem voluntatis creatæ ita, ut ratione anteceisionis habeat majorem influxum in causam secundam, quàm, si non antecederet, nego ant. ex ratione Deitatis, quæ omnia sua decreta ab æterno habere debet, ratione infinitæ immutabilitatis, concedo ant. & nego consequentiam. Ad probationem ma. dico, volitionem Dei ab æterno esse, in quantum facit cum volentem producere effectum ab æterno, non tamen, prout Ipsum denominat producentem in tempore.

Sic ordinariè solvitur hæc difficultas, an autèm sufficientèr, ingenuè fateor, me non capere vel penetrare, quomodò cum quocunque concursu Dei possit salvari libertas indifferentiæ voluntatis nostræ, quia, si Deus con-

concurrit cum causa secunda actualitèr, quod concursus secundùm Etymon importat, tunc causa secunda necessariò debet agere, quia alioquin non esset concursus, sed simplex efficientia; in concursu enim semper debet esse, cui concurratur; Si dicatur autèm, Concursum tunc agere, quando causa secunda seipsam determinat, nihil dicitur, quia illa determinatio est aliquis effectus causæ secundæ, ergò non potest hunc habere, nisi Deus concurrat. Si etiam accipiatur aliâ viâ, quòd tunc concurrat Deus, quia videt causam secundã se determinaturam ad agendum, non evaditur difficultas, quia omnis causa, habito actuali Dei concursu, se determinat ad agendum, ita, quòd seipso nequeat agere, nec se determinare ad agendum, imò sic videtur in Dei scientia causam secundam non posse agere absquè concursu. Verè res perdifficilis, melior credo quòd solutio non sit, quàm captivare intellectum. Una adhuc alia restat difficultas hîc explicanda, pro qua sit

QUÆSTIO V.

A qua Causa proveniat determinatio Effectûs, quoad speciem, & etiam quoad Individuum.

I. *Res est intricata.*

Intricatissima hæc est quæstio, quæ æqualem difficultatem apud omnes habet, quomodòcunque concursum Dei explicent; Sensus ejus est, quando Ignis producit alium ignem, qui vocaretur ignis *A*, quisnam determinet ignem, ut producat alium ignem, quæ determinatio vocatur secundùm speciem, & quis determinet, ut producat ignem *A* potiùs, quàm ignem *B*. *C*. vel *D*? cùm omnes illos, & quodammodò infinitos producere possit, similitèr currit difficultas de causa libera, quæ determinat seipsam ad amorem proposito objecto Amabili, quòd tamen eliciat postmodùm magis Amorem *M*. quàm *N*. *O*. vel *Z*, unde provenit? quæ sunt determinationes quoad individuum, quia præcisè nihil aliud respiciunt, quàm nudam hæcceitatem. In qua Materia Plures sunt sententiæ, aliqui enim hanc determinationem adscribunt rerum ordini, aliqui tempori, alii circumstantiis, alii ipsis Causis secundis. Alii alitèr; Ego tamen

II. *Quomodo causæ naturales determinentur.*

Dico 1. *Quando causæ secundæ naturalitèr agentes sunt indeterminatæ ad plures specie effectus, tunc secundùm speciem determinantur ad unum certum per concausas, vel concurrentes dispositiones.* Ita colligitur ex Scoto 1. d. 3. q. 7.

Probatur cum Eodem: Quia materia suscipit potiùs hanc formam A, quam formam B. quia habet concausas, quæ sunt natæ producere formam *A* potiùs, quàm formam *B*. Item intellectus nunc producit hanc potiùs intellectionem, quàm illam specie differentem, ex hoc, quòd hoc objectum concurrat cum eo, & non aliud: Similitèr Sol producit, & concurrit modò ad producendum hominem, & modò ad taurum, vel canem, quia jam determinatur per hominem, jam per taurum, vel canem; Deinde in lacte producit dulcedinem, in absynthio amaritudinem, quia jam determinatur per hanc concausam, jam per illam, ergò quotiescunquè causæ naturalitèr agentes sunt indeterminatæ ad plures specie effectus producendos, tunc quoad speciem determinantur per suas concausas, & concurrentes dispositiones.

III. *Causa secunda naturalis determinat seipsa.*

Dico 2. *Causæ secundæ naturales, quæ non sunt indeterminatæ ad plures specie effectus, determinantur per se ipsas, quoad speciem effectûs.* Hæc etiam est communis.

Probatur, Quia ignis, habitis omnibus requisitis ad agendum, ex se est sufficiens, ut agat, ergò ex se est determinatus ad speciem effectûs sui. Nota autem, dum dico, quòd causæ naturales se determinent ad suos actus, me non velle aliud, quàm, quòd ex se sint determinatæ, eo ipso etenim, quòd ignis existat in rerum natura, extra suas causas virtute naturali agit, ut alium ignem producat, ergò est ex se determinatus ad producendum alium ignem, similitèr discurre, & dic de aliis causis.

IV. *Dico 3.*

Dico 3. *Causa secunda libera determinat seipsam, quoad speciem actûs sui.*

Probatur. Quia per hoc distinguitur causa libera à necessaria, quòd illa possit, proposito objecto, agere & non agere, imò si objectum sit indifferens, illud amare vel odisse, hæc verò necessariò agat positis omnibus requisitis ad agendum, ergò quòd modò agat, modò non, modò amorem, modò odium eliciat, in ipsam causam secundam liberam refundendum est.

V. *Dico 4.*

Dico 4. *Determinatio effectûs, quoad individuationem causæ secundæ tam liberæ, quàm necessariæ à sola Causa Prima provenit.* Ita Scotistæ communitèr & Recentiores Contra Tonsecam, Fabrum, Franciscum de Raconis, Vasquem, & alios.

VI.

Probatur primò: Si causa secunda posset seipsam determinare, quoad individuum effectûs, non esset ratio, cur effectus semel destructus, naturalitèr non posset iterum reproduci, ergò necessariò dicendum est, determinationem istam dependere à Deo: probatur ant. Quia effectus semel productus & destructus, tam à nihilo distat, quàm ille, qui nunquam fuit productus, estquè tam possibilis, ut iterum sit, ac si nunquam fuisset, ergò si secunda posset se determinare, quoad individuum, deberet etiam posse naturalitèr reproducere effectum semel jam corruptum, quia posset se ad illum determinare, ergò, quòd naturalitèr fieri non possit, signum est, quia causa secunda nequit se determinare, quoad individuationem.

VII.

Probatur secundò Ad hominem, Quia Nihil congruentiùs potest assignari, quod determinet causam secundam, quoad individuum, quàm causa Prima, ergò sic dicendum est; probatur ant. quia si esset aliquid, maximè circumstantiæ objecti, loci, temporis, &c. sed ab istis non potest provenire determinatio, quoad individuum, ergò ma. est Adversi. probatur mi. non ex objecto, quia sicut agens est indeterminatum, & indifferens, ad plures effectus

fectus producendos, ita etiam subjectum ad plures recipiendos, verbi gratiâ, sicut calor est indifferens, ut producat potiùs hunc numero calorem, quàm alium, ita etiam subjectum est indifferens, ut tam recipiat hunc calorem, quàm alium, ergò ex subjecto non potest provenire determinatio quoad individuum. Nec etiam à loco, quia locus non est activus, & etiam de se indifferens, ut producatur hic effectus numero, quàm alius, cum in eodem loco jam producatur hic, jam ille, & jam tertius numero effectus, ergò locus non potest esse ratio determinativa, quoad individuum. Nec denique tempus, quia nulla planè est connexio temporis cum effectu, quod patet ex eo, quòd si homo, qui productus fuit heri, produceretur hodie, idem esset homo, & mundus, qui nunc idem esset, licèt esset tardiùs vel citiùs productus; Idem etiam esset Angelus, licèt produceretur in Aprili vel Novembri, ergò, tempus nullo modo potest causam determinare, quoad individuationem; Quod ulteriùs Confirmatur, quia, si tempus determinaret ad individuationem, sequeretur, quod Deus non posset aliter facere, sed deberet hominem hodie producere, quia tempus hodiernum determinat causam secundam ad hunc hominem producendum, imò ulterius via aperiretur omnibus, vitam, mortemquè, morbos & sanitatem in tempus refundendi, si enim quæratur, quarè hic homo hodie natus sit? responderi poterit, quia tempus determinavit: Quare mortuus? quia tempus determinavit: Quare sanus? quia tempus determinavit: Quarè ignis combusserit hunc, vel illum? quia tempus determinavit. Et sic dicam, quod ideò ignis Babylonicus non combusserit pueros, quia tempus non determinaverat; quod absurdum est, & magnam mysteriis fidei injuriam infert, sicut & omnia alia. Verùm.

VI. Dices: Nullam quidem circumstantiam ex relatis per se, separatim sumptam, sufficere ad determinandum causæ effectum, quoad individuum, benè tamen, si omnes conjunctim sumantur. Sed Contrà 1. Si se solis, & separatim sumptæ, non sufficiunt ad determinandum effectum, quoad individuum, ergò nec sufficient si conjunctim accipiantur; quia per hoc, quòd copulatim sumantur, nihil additur eis de virtute majori intrinseca ad determinandum, quod patet in eo, quòd in aliquo effectu singulari inveniantur omnes illæ circumstantiæ, & tamen non sit idem effectus, nam Angelus, qui heri movit Cœlum, verbi gratiâ, sidereum, potest illud etiam hodie movere, quo facto est idem Motor, idem motum, & idem locus, in quo motus sit, & tamen non est idem motus: ergò potest haberi combinatio illarum circumstantiarum, sine eo, quod habeatur idem numero effectus, nec refert, quòd hic non sit etiam tempus, quia ipse motus Cœli est tempus extrinsecum. Sed

VII. Probatur Conclusio tertiò: Omnis causa, quæ seipsam determinat quoad aliquem effectum in individuo, debet posse habere electionem, sed nulla causa secunda naturalis potest habere electionem, ergò nulla causa potest se determinare, quoad individuationem: probatur mi. quia omnis electio debet fieri ex præcognitione. Verùm hoc argumentum non probat universaliter Conclusionem, sed tantùm de causis naturaliter agentibus, quarè agendo etiam de Causa libera

VIII. Probatur quartò: Si Causa secunda libera posset se determinare ad effectûs individuationem, hoc deberet facere per electionem, sed per electionem non potest se determinare, ergò nullo modo; probatur mi. quia ad electionem eliciendam tam benè est indeterminata, quàm ad ipsam actûs individuationem, ergò per electionem non potest se determinare: probatur ant. quia ideò non potest se determinare ad individuationem actûs, quia potest habere infinitos quasi actus, sed etiam potest habere infinitas electiones circa eundem actum, ergò eodem modo est indeterminata, & consequentèr per electionem non poterit se determinare, quia illa electio iterum per aliam, & ista alia per quartam, & sic in infinitum. Confirmatur hoc argumentum priori probatione, quia nequè voluntas potest præcognoscere, maximè pro hoc statu, singula individua, & unum ab alio discernere, secundùm se, quod patet in duobus ovis, quorum neutrum præaltero distinguit, si accidentibus inter se non distinguantur, ergò non potest unum præ alio potiùs velle. Sed incontrà

IX. *Argumentum in contrarium primum.* Arguitur 1. Causa secunda determinat se quoad speciem, ut dictum est prioribus Conclusionibus, ergò etiam determinat se quoad individuationem; probatur consequentia, quia gradus individualis non distinguitur à gradu specifico, ergò si causa secunda determinat se quoad speciem, determinabit etiam se quoad individuum. Hic debet esse Achilles pro Contraria sententia, sed si quid evincit, æqualitèr ipsis Adversariis est elaborandus, Nam si causa se determinat quoad speciem, poterit etiam se determinare quoad individuum, & consequentèr non erit necesse, ut determinetur per circumstantias loci, temporis &c. R. negando conseq. Quia causam secundam determinari ad speciem, aliud non est, quàm si applicetur posse producere effectum aliquem, verbi gratiâ, si ignis applicetur ad passum, poterit producere alium ignem, vel calorem ex omnibus ignibus & caloribus, qui sunt possibiles, quòd verò hunc producat numero potiùs, quàm aliũ ex tota collectione ignium, refunditur in Causam primam, quæ non vult concurrere nisi ad hunc, & non ad alium, quarè pro aliquo priori Deus concurrit cum causa secunda, ut similem specie effectum producat, pro posteriori ad individuationem, ut hunc producat & non alium.

Instatur: Dantur multi effectus, qui ab hac numero causa petunt produci, ut non possint ab alia, ergò saltem in tali casu determinatio quoad individuum non debet refundi in causam Primam: probatur ant. Quia species omnes intentionales ita volunt produci à suis objectis, ut objectum non possit producere alterius speciem, verbi gratiâ, albedo *A* ita tantùm producit sui speciem impressam, ut non possit producere albedinis *B.* vel *C.* minùs quòd possit producere speciem

rubedinis, vel nigredinis. R. negando consequentiam: Aliud est enim dicere quòd aliqui effectus petunt determinatam causam, aliud, quòd hæc determinata causa producat hunc numero potiùs effectum quàm alium, sic quidem verum est, speciem Albedinis *A* non peti, nec posse produci nisi ab albedine *A*, verùmtamen Albedo *A*, sicut hanc numero speciem produxit, potuit producere alias, quæ possibiles sunt, ut producantur, quarè, ut hanc potiùs produxerit quàm aliam, Deus determinare debuit. Similitèr Responderi debet ad alia argumenta, & casus, qui probarent particulares effectus dependere à determinatis causis, quia, licèt ipsi sic dependeant, quòd tamen unus numero producatur potiùs quàm alius, non causæ secundæ, sed primæ adscribendum est.

X. *Secundum.*

Arguitur 2. Si Causa secunda non determinaret se, quoad individuationem effectûs producendam, sequeretur, nullum filium esse obligatum suis parentibus, sed hoc videtur minùs rectum esse sentire, ergò; probatur sequela: Quia quilibet filius dicere posset, parentes se non genuisse, sed tantùm hominem secundùm speciem, non verò hunc hominem, ergò. R. negando sequelam cum sua probatione; Quia parentes etiam generârunt hunc filium, & non tantùm filium secundùm speciem, aliud autèm est generare & producere quoquè individuum, & aliud se determinare ad illud producendum, primum enim præstant causæ secundæ omnes, cùm nihil produci possit, nisi sit individuum, actiones enim, sicut sunt singularium, ita etiam sunt ad singularia.

Instatur: Si parentes non determinârunt se ad producendum hoc individuum filii, ergò hic in individuo filius non est plus obligatus his parentibus, quàm alienis, sed sequela etiam vitiosam doctrinam inferret, ergò; probatur sequela, quia actio generativa parentum non est magis determinata ad hunc filium quàm alium, ergò non magis erit obligatus his parentibus, quàm alienis. R. negando sequelam ma. cum sua probatione & consequentia, quia actio parentum etiam fuit terminata ad hunc numero filium, quàmvis ex se non poterat se causa secunda determinare adhunc potiùs præ alio, suppositâ autèm determinatione Divinâ, actio tota fuit terminata adhunc etiam terminum.

Urgetur: Non est obligatus ad illa quæ à natura & Deo habet, ergò si determinationem sui individui præcisè à Deo habet, Parentibus non est obligatus; probatur ant. Quia Filius non est obligatus parentibus ob illud, quod per donationem acquirit ab aliis, ergò. R. negando consequentiam, quia filius suum esse accepit simpliciter à parentibus, quàmvis non debeat filius tantùm parentibus, quàm si seipsos determinâssent ad hunc producendum præcisè, & non alium. Imò non desunt, qui putant, filios propter generationem parum obligatos esse parentibus; si autèm opponatur præceptum Divinum de honorandis parentibus, respondent, hanc reverentiam filios non tenere parentibus solùm præstare, sed etiam Præpositis superioribus, unde obligatio non est propter generationem præcisè, sed quia dignitate filiis præstant; Imò puto hoc potissimùm esse propter curam, sollicitudinem, laborem, & difficultates, quas parentes habent in nativitate, educatione, aliisquè bonis, quæ filiis à parentibus proveniunt.

Difficultas: Quomodò Deus determinet ad individuum actûs, & non determinet etiam ad peccatum, solvi potest ex dictis: Quibus adde, quòd Deus non determinet positivè impellendo, vel moralitèr suadendo, sed negativè solùm, subtrahendo scilicèt concursum ad omnes alios actus, ad modum, quo quis vellet proficisci Cisterciũ, & alius auferret ipsi equum A. B. C. tunc deberet pergere in equo D. eò, quòd alium non haberet, ubi tamen non esset causa subtrahens, quòd pergeret simpliciter, sed quòd non pergeret alio equo.

DISPUTATIO VI.

DE COLLATIONE CAUSARUM, TAM INTER SE, QUAM CUM SUIS EFFECTIBUS.

PEr collationem causarum inter se & cum suis effectibus aliud non intendo examinare, quàm difficultates illas exsolvere, quæ oriuntur ex dubiis, an idem effectus possit dependere à duabus causis totalibus? & an duæ causæ seinvicem causare possint? vel etiam aliquid seipsum? & ab hoc posteriori incipiendo ad rem progredior, sit igitur

QUÆSTIO I.

An idem seipsum producere possit?

I. *Sensus Modernorum.*

Recentiores quemadmodùm docent causas intrinsecas, materiam & formam non esse quid distinctum à toto composito, quod causant, ita etiam putant nec in causis extrinsecis tantam esse effectûs subordinationem ad causam, secundùm prioritatem & existentiam, quin idem seipsum efficientèr causare possit, & consequentèr esse simul causam & effectum, quod dupliciter intelligi potest, primò ita ut idem seipsum producat, quantùm ad primum sui esse, ponendo se in rerum natura; secundo modo, ita, ut primum sui esse jam habeat per unam actionem, & postmodùm per aliam actionem secundam posteriorem, sicut defacto Chri-

Christus Dominus in cœlo est, & per aliam actionem concurrit etiam, ut sit Eucharistia, quæ, licèt defactò sit tantùm conservativa, ex eo, quod non accipiat de novo esse extra causas, quæ actio, si tamen antecedentèr non esset extra causas, sufficiens esset, ut extra eas poneretur; Ego quàmvis docuerim superiùs causas intrinsecas, non distingui ab illo, quod in communi alioquin Scotistarum sententia componunt, toto compositio videlicet, existimo tamen de causis intrinsecis, & signantèr de efficiente (quidquid enim sit de finali, quæ non nisi moralitèr influit in effectum) id simpliciter negandum, quare ad quæstionem resolutivè

II. Nihil potest seipsum producere.

Dico: *Nulla causa potest seipsam producere efficientèr, neq; quoad primum sui esse, neq; quoad secundum.* Ita Doctor 2. d. 23. q. un. D. Thomas. p. 1. q. 104. a. 2. ad. 2.

Probatur primò, Authoritate Divi Augustini. lib. 2. de lib. arb. cap. 17. ubi ait: *Nulla res formare seipsam potest, quia nulla res potest dare sibi, quod non habet, & utiq; ut habeat formam, formatur aliquid. Quapropter quælibet res, si quam habet formam, non ei opus est accipere, quod jam habet, si quæ verò non habet formam, non potest a se accipere, quod non habet; Nulla ergò res, ut diximus, se formare potest.* & lib. 1. de Trinit. cap. 1. dicit: *Nulla omnino res est, quæ seipsam gignat, ut sit. Et Epist. 150.* contra Arrianos demonstrat, Verbum non esse factum ex eo, quòd per Ipsum facta sint omnia, ita enim discurrit: *Si enim Ipse fecit, jam erat, antequàm fieret; si autem ad se faciendum, alteri, à quo factus est, adjutorium præbuit, nihilominùs, ut se adjuvante fieret, jam erat, antequam fieret, relinquitur ergò, ut sine se factus sit, quidquid autem sine illo factum est, nihil est; Aut nihil est igitur, aut factus non est, sed non est nihil, factus igitur non est; At si factus non est, & tamen filius est, sine dubio natus est.* Hinc etiam docet Doctor subtilis, relationes, quæ important essentialem dependentiam, inter relata non posse esse in eadem natura & supposito, & relationes originis, licèt non implicent in eadem natura, implicant tamen in eodem supposito. Item Authoritate Divi & Mellei Bernardi, qui idipsum clarissimis docet verbis lib. 5. de Consideratione cap. 6. ubi sic discurrit: *Ex quo universum cœpit, Ipsum profectò minimè cœpit. Nam si cœpit, alunde cœperit, necesse est. A se enim cœpit nihil; Nisi forte quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet, aut fuisse aliquid, antequam esset, quòd utrumq;, quia ratio non consentit, constat sibi nihil fuisse principium*, ergò secundùm Divum Bernardum æquè contra rationem est asserere, quòd aliquid sibi det esse, id est, quoad primum sui esse, quàm quoad secundum esse, quia tunc fuisset, antequàm esset, quod dicit, contra rationem esse. Ex qua Authoritate proinde duplex sumo argumentum à ratione, quâ

III. Probatur Conclusio secundò:

Si idem posset efficientèr se producere, sive quoad primum esse, sive quoad secundum, sequeretur, Patrem non posse probari esse ingenitum, nec Filium esse genitum à Patre, imò in Deitate non esse Personarum Trinitatem, sed hoc hæreticum esse, certum fide est, ergò: probatur sequela; Quia protervus dicere posset, Patrem semetipsum genuisse, sicut etiam Filium, & illarum trium Personarum nomina unius esse suppositi, quòd se Ipsum bis produxit, seu genuit semel, & semel spiravit, ergò posset protervus negare Trinitatis Mysterium. Et quàmvis benè respondeat Amicus, id in Deo implicare, quia Deus est incapax novæ, vel ullius causalitatis, & Filium esse incapacem alterius generationis: Attamen per hoc protervum non convinceret, quia dicere posset, Deum esse incapacem alicujus causalitatis ab alio, non tamen à seipso, & Filium esse incapacem alterius generationis à Patre, non tamen seipso. Et sic de cæteris.

IV. Probatur Conclusio tertiò:

Ex alia ratione desumptâ similitèr ex Authoritate D. Bernardi: Si idem posset producere seipsum, esset, antequàm esset, sed hoc repugnat, ergò: probatur sequela: Quia omne illud, quod actualitèr operatur & efficientèr agit, esse debet, & quod efficientèr producitur, non esse debet, sed si seipsum aliquid produceret, esset, quia ageret & non esset, quia produceretur, ergò esset, antequàm esset. Item idem esset priùs & etiam esset posterius, in quantum enim sui causa esset, priùs esset, in quantum verò produceretur, esset posterius, ergò idem manens idem esset priùs & posteriùs.

V. Dices: Hæc non repugnare, quia non sunt respectu ejusdem, aut eodem modo, nam illud, quod seipsum produceret, esset per primam productionem ab alia causa, non esset verò per secundam actionem à se ipso egredientem. Sed Contrà, si per primam actionem, & productionem ab alia causa accepit suum esse, ergò implicat, quòd substantialitèr reproducatur per secundam, quia hæc secunda productio non haberet terminum *à quo*, videlicet non esse rei, cùm supponatur habere jam suum esse. Et si dicis, terminum *a quo esse* non esse secundum, nihil dicis: Quia sicut hoc esse secundum, habitum per secundam productionem, non esset à primo esse diversum, secundùm rem, habito per primam productionem, ita hoc non esse secundum nequit esse diversum à primo non esse, nisi secundùm modum, quæ diversitas non sufficit ad novam productionem substantialem.

VI. Probatur Conclusio quartò,

Ex communi definitione Causæ, quæ est, quòd sit illud, quod influit esse in aliud, sed si in seipsum influeret aliquid, non influeret in aliud, ergò non esset ejus causa, & consequentèr nihil producit seipsum. Nec dicas, hanc definitionem veram esse de potentitia ordinaria, ordinarioquè cursu, non verò de potentia extraordinaria, quia omnis definitio debet essentiam rei explicare, quæ etiam de potentia extraordinaria immutabilis est, alioquin dici posset, hominem esse animal rationale, de potentia ordinaria, non verò de potentia extraordinaria, ex qua posset esse rudibilis, quod implicat.

VII. Probatur Conclusio ultimò à pari. Nulla res potest esse sui ipsius subjectum, neque etiam suiipsius forma, ergò nequit etiam idem esse suiipsius causa efficiens. Probatur consequentia, quia, sicut se habet materialis causa ad esse alicujus materiale, & formalis ad esse alicujus formale, ita etiam se habet efficiens, ad esse efficienter à se productum, ergò.

VIII. Dices: Disparitatem esse, quia causalitas materiæ, vel est unio, vel necessariò requirit unionem, unio autèm necessariò requirit extrema realiter distincta. Contrà, Unio non magis requirit extrema realiter distincta, quàm actio, cùm hæc tam benè sit quid relativum, ac illud & qui negaret, actionem non requirere extrema realiter distincta, posset etiam negare unionem requirere, ergò.

QUÆSTIO II.

An duæ Causæ possint esse sibi invicem Causæ?

I. *Sensus quæstionis ponitur.* Aliud est quærere, an plures causæ possint in idem coincidere, ita, ut idem sit causa efficiens simul, materialis & finalis: Aliud, utrùm una causa, quæ producit unum effectum, ab eodem pro instanti produci possit, ita, ut effectus ille productus habeat rationem causæ, & causa productiva hujus effectûs nunc simul rationem effectûs. Primum enim contingere posse, imò frequentèr contingere, patet de voluntate, quæ volitionem producit eandemque recipit, idque propter sui perfectionem, vel propter aliam aliquam perfectionem, adeoque simul habet rationem causæ efficientis, dum producit rationem causæ materialis, dum recipit, & rationem causæ finalis, dum aliquid propter aliud agit, & quàmvis illa receptio non habeat rationem causæ materialis *ex qua*, habet tamen rationem causæ materialis *in qua*, similitèr discurri de intellectu potest, Et à fortiori de intellectione & volitione, quarum quælibet habet rationem causæ formalis, dum in sua potentia recipitur, rationem materialis causæ, dum in iis multæ relationes fundari possunt, rationem causæ efficientis autèm, quia respectu habituum generatorum efficienter concurrunt, Et denique causa finalis dici possunt, respectu multorum mediorum, quæ ad ipsas possunt concurrere.

II. *Comparatio causarum potest duplicitèr fieri.* Quòd secundum attinet, & est, quod propriè in titulo quæritur, sciendum, quòd dicta comparatio inter causas posit duplicitèr fieri, vel quoad entitatem ipsarum causarum, vel quoad causalitatem earundem, idque vel in eodem genere, vel in diverso: Si in eodem genere conferantur, tunc sensus est, an illa causa, quæ materialiter aliquid produxit, ab eodem effectu suo materialiter produci posit, & quæ efficienter aliquid egit, an iterum efficienter ab eodem agi posit: exemplum sit, an Ignis *A* qui produxit Ignem *B* posit ab eodem igne B produci pro eodem instanti suæ productionis, & sic de cæteris. Si in diverso genere comparentur, tunc sensus est, an illud, quod est effectus alicujus rei in genere causæ efficientis, posit esse ejusdem rei causa in genere causæ materialis vel formalis, aut finalis; item, an illud, quod est effectus alicujus rei in genere causæ materialis, posit esse ejusdem rei causa in genere causæ formalis, efficientis & finalis, & sic de aliis, ita, ut una semper cum tribus comparetur. Quibus præmissis, Putat Vasquetz, Ruvius, Connimb. & alii, unam eandemque causam posse habere rationem causæ, & respectu effectûs à se producti, rationem effectûs, & ècontrà, ita, ut libentèr admittant inter causas mutuam causalitatem. Scotistæ tamen communitèr, cum pluribus Recentioribus, id simplicitèr negant. Ita Hurtadus, Arriaga, Oviedo, cum quibus etiam sentiendum censeo, interim priùs aliam collationem causarum expendendo

Dico 1. *Si comparentur causalitates quatuor causarum ad se invicem, finis est causa efficientiùs, efficiens tam materiæ, quam formæ, sed non ècontrà.* I. Finis est causa efficiens.

Probatur brevitèr: Ideò enim effectus causat, quia movetur à fine, & ideò educitur forma de potentia materiæ, quàm formæ, licèt non ècontrà.

Dico 2. *Comparando has causas ad effectum, secundùm causalitates suas, omnes dicunt essentialem ordinem & necessariam concomitantiam ad se invicem. Ita Scotus 2. d. 5. q. 8. n. 11. ubi dicit: Efficiens non priùs causare compositum, quam materiam, licèt priùs perfectione causet.* I. Refellitur dictum Scoti.

Probatur Conclusio: Impossibile est, finem movere, nisi efficiens moveatur ad agendum, nec efficiens creatum moveri potest, nisi dependentèr à materia, cùm creare nequeat, nec potest agere dependentèr à materia, nisi formam producat, quæ iterum dependentèr à materiâ produci nequit, nisi illam uniat materiæ, nec uniri potest, nisi resultet compositum, cùm sint causæ necessariæ, sufficientèr applicatæ, ergò, comparando causas ad effectum, secundùm causalitates, dicunt necessarium ordinem, & dependentiam ad se invicem. Et in hoc sensu causæ dicuntur esse sibi invicem causæ.

Dico 3. *Materia & forma, non possunt seinvicem causare quoad entitatem. Ita Doctor. 2. d. 12. q. 2.* D. Thomas. Albertus M. I. Materia & forma non possunt se invicem causare quoad entitatem.

Probatur Conclusio: Materia est priùs, saltem naturâ, quàm sit forma, ergò materia non potest causari à forma. ant. patet, quia materia est primum subjectum omnium formarum substantialium, & earum causa: probatur consequentia; Illud non potest causari ab alio posteriori, quod priùs illo existit, sed materia priùs existit, quàm forma, ergò forma non potest causare materiam. Nec refert, quòd forma dicatur materiæ dare esse informatum, quia hoc esse non est entitativum, sed tantùm extrinsecum, secundùm denominationem: Conclusio autèm loquitur de causatione, secundùm entitatem.

Dico

VI. Nullæ duæ causæ in eodem genere.

Dico 4. *Nullæ duæ causæ sive in eodem genere, sive in diverso, possunt seinvicem causare per verum influxum Physicum in seipsas influendo.* Ita Authores pro sententia negativa.

Probatur primò: Omnis effectus qualitèrcunque productus, & in quocunque genere, præsupponit pro priori suam causam; ergò nullæ duæ causæ possiunt seinvicem causare: probatur consequentia: omnis causa nequit operari, nisi priùs existat, quia operari sequitur ad esse; ergò causa, quæ producit effectum, nequit ab eodem produci, quia ut producens supponitur existere, nihil autèm existens, sive per seipsum, sive per alium denuò producitur, si non priùs destruatur, ergò. Nec etiam effectus poterit produci, quia si iterum causa est respectu alterius, necessariò priùs existere debebit.

VII. Probatur secundò: Si duæ causæ possent seinvicem causare, sequeretur, quòd nullo efficaci argumento posset ostendi existentia primæ causæ, quæ sit Deus, sed hoc est absurdum, cùm Philosophi solo lumine naturæ deprehenderint, esse tale principium, & Causam primam improductam, ergo: probatur sequela: Quia unicum argumentum, quo utitur etiam D. Augustinus & Bernardus suprà, quo probamus existentiam causæ primæ & improductæ, est, quòd aliquando sisti debeat in productione rerum, in aliquo principio producto, quod ab alio scilicet non esset, sed hoc argumentum infirmum esset & debile, ergò: probatur min. quia dici posset, effectum illum primò productum, mutuò produxisse suam causam; ergò non esset principium, quo posset efficacitèr demonstrari principium primum improductum.

VIII. Probatur tertiò ex multis absurdis, quæ sequerentur: Nam si possent duæ causæ seinvicem causare, sequeretur, quòd idem esset prius & posterius, dependens & independens, existens & non existens, causa & effectus, sed ista semper pro absurdis sunt habita, ergo: probatur sequela, quia in quantum esset causa, esset prior, independens & existens, cùm omnis causa existere debeat pro priori ante effectum, & hic ab illa debeat dependere; deinde esset etiam posterior, dependens & non existens, quia hæc omnia sunt prædicata effectibus particularitèr convenientia.

IX. Dices: Hæc tantùm probare, quòd duæ causæ in eodem genere non possint sibi esse invicem causæ, non verò quò minùs possint esse in diverso. Sed Contrà, sive causæ considerentur in eodem genere, sive in diverso, semper currunt argumentorum rationes, nam quælibet causa præsupponitur existere ante suum effectum, & nulla causa potest producere illud, quod jam existit, nec ulla agit, nisi omnibus ad agendum requisitis positis, inter quæ principem locum obtinet existentia.

X. Dices: Causam non existere secundùm illud esse, secundùm quod per effectum suum, tanquam per causam, producitur, adeoq; cùm diversum sit esse, poterit illud ab alia causa acquirere. Sed Contrà: Esse causarum, secundùm entitatem, est indivisibile; ergò non poterit amplius illud acquirere, quod si verò instantia vellet, quòd causa per effectum posset acquirere aliquod extrinsecum, non est ad propositum, tum, quia Conclusio loquitur de esse entitativo: tum, quia illud aliud esse, secundùm aliam rationem, de quo non inficior, aliquas causas posse esse sibi invicem causas, quia hoc nihil aliud esset, quàm quòd idem, secundùm diversum respectum, possit habere rationem causæ efficientis, formalis & materialis, hoc tamen non est se mutuò causare.

XI. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Possiunt duæ causæ seinvicem mutuò conservare; ergò etiam possiunt seinvicem producere: patet consequentia, quia non requiritur major virtus ad aliquorum productionem, quàm ad eorum conservationem: probatur ant. quia duo carbones sese mutuò conservant, ita, quòd non extinguantur tam citò, quàm si essent separati, item calor conservat ignem & ignis calorem, similitèr manus conjunctæ conservant calorem inter seipsas effectivè: ergò. R. negando ant. ad probationem ejus nego, duos carbones duásve manus calidas, aut ignem, calorem, &ècontrà conservare conservatione propriè dictâ, quia hæc non est conservatio, nisi impropriè dicta, in quantum videlicet, duo carbones, & duæ manus calidæ fortiùs possunt resistere agentibus contrariis extrinsecis, quàm si essent separatæ, dicitur enim ordinariè, virtutem unitam fortiorem esse. Calor similitèr conservat ignem tantùm per modum alicujus conditionis & necessariæ dispositionis; Quarè in forma directè responderi posset, distinguendo ant. Possunt duæ causæ seinvicem conservare conservatione propriè dictâ, nego ant. impropriè dictâ, concedo ant. & distinguo similitèr consequens; ergò possunt se aliqua mutuò propriè & directè producere, nego consequentiam, impropriè & indirectè, concedo consequentiam, sed nihil est contra Conclusionem, patet distinctio ex dictis.

Instatur: Possunt se aliqua duo conservare directè; ergò nulla solutio: probatur ant. Actus directè conservat habitum, & habitus directè conservat actum, quia etiam eundem producit, veluti altera concausa. Sed R. negando ant. cum suâ probatione, quia non idem actus, qui conservat, seu intendit habitum, eundem produxit, sed alii antecedentes, adeóque nec conservant nec causant se mutuò. Deinde actus quicunque etiam ille, qui ex habitu procederet, producit suam causam, quia causa ejus est non modò habitus, sed etiam potentia, quam actus nullo modo attingit. Imò, loquendo etiam de habitu præciso, actus, qui ab eo procedit, non dat ei esse simplicitèr, sed ante eum jam præsupponitur, vel si non præsupponitur (si esset actus ille, qui produceret habitum) tunc non procederet ab habitu. Similis instantia solet fieri de pluvia, quæ est causa vaporum, & vapores iterum sunt causa pluviæ, nam eodem modo respondetur, scilicet, non esse eandem pluviam, quæ causat vapores & eam, quæ à vaporibus causatur, sed diversam, adeóque non sunt duæ causæ, quæ seinvicem mutuò causarent, & sibi esse darent,

Urgetur: Duo baculi, duæve trabes deorsum cadentes possunt sibi idem esse dare; ergò adhuc duæ causæ possunt seinvicem causare; probatur ant. quia si duæ trabes caderent in extremitate superiori, ita possunt coincidere, ut angulum facientes, quælibet alteram impediat ab ulteriori casu, ergò. R. dist. ant. Duæ trabes possunt sibi invicem esse dare, secundùm entitatem, nego ant. possunt sibi esse dare ubicationis, transeat ant. & nego consequentiam. Itaque, licet duæ trabes erectæ primitùs, & postmodum cadentes triangulum quasi faciant, & una alteram sustentet, una alteram tamen non producit, sed tantùm quælibet in altera producit aliquod ubi, & sic in se invicem agunt, non aliquid in se ipsis, quoad esse producendo, sed solùm aliquid tertium. Et tales plures casus adferri possunt, ut est de apertione fenestræ & ingressu venti, de calefactione piperis & linguæ, quia hæc non producunt seinvicem, quoad esse, sed potiùs aliquod tertium, quod non est negandum.

XII. *Finalis & efficiens possunt esse sibi causæ.*

Dico 5. *Causa finalis, & efficiens possunt esse sibi invicem causæ.* Hæc etiam est communior, &

Probatur ex authoritate Aristotelis 1. Phys. l. 30. ubi ait: Sunt præterea, quæ mutuò sunt sibi causæ, ut exercitium est causæ bonæ valetudinis, & hæc causa exercitii; at non eodem modo, sed hæc ut finis, illud ut principium motûs. Nec de hac causa finali potest esse difficultas, quia hæc causare potest, dum non existit, adeóque dum illa causat, etiam causari potest, in cæteris verò causis, quæ verum, & Physicum influxum præstant, requiritur existentia, adeoq; nequeunt causare nisi existant.

QUÆSTIO III.

An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus & adæquatis simul?

I. *Quæstio est de duabus causis ejusdem ordinis.*

Tota hujus quæstionis difficultas procedit de duabus causis ejusdem ordinis, nam effectum aliquem dependere à duabus causis totalibus diversi ordinis, res est in confesso apud omnes, qui Deum perhibent concurrere ad omnes effectus causarum secundarum; Deinde illæ causæ adæquatæ & totales debent etiam esse ejusdem generis, nam à duabus causis, imò ab omnibus quatuor generibus causarum quasi omnem, saltem in liberè agentibus, dependere effectum, etiam non negatur, unde quàmvis possit quæstio moveri, de duabus causis materialibus, de duabus formalibus &c. potissimùm tamen cardovertitur de efficientib⁹ an videlicet in genere causæ efficientis idem effectus simul & semel possit dependere à duabus totalibus, & adæquatis causis.

Pro resolutione quæstionis, Notandum est ex dictis, causam efficientem totalem esse in duplici differentia, alia enim est causa totalis totalitate effectûs, & alia totalitate causæ, illa est, quæ attingit totam entitatem ejusdem effectûs, ut est potentia intellectiva, & objectum respectu intellectionis, Pater & Mater, respectu prolis. Causa totalis totalitate Causæ, de qua etiam hìc est sermo, ea est, quæ ita attingit effectum totum, ut per ipsius solius influxum possit hìc, & nunc poni & conservari effectus circumscriptâ quâcunque aliâ causâ ejusdem generis & ordinis, sic ignis dicitur esse causa caloris, quia ad ejus productionem non indiget ullo concursu alterius causæ. Circa quam materiam triplex est sententia: Prima adscribitur Occamo & sequacibus suis putantibus, quòd naturaliter idem effectus possit dependere à duabus causis totalibus, quos nonnulli Recentiores etiam sequi videntur. Altera sententia huic è diametro opposita, est Doctoris mox citandi cum suis, & Thomistis gravioribus ex D. Thoma 1. p. q. 52. art. 3. &c. qui omnes docent, id neque divinitus fieri posse. Tertia est Recentiorum communiter, qui mediâ incedunt viâ, unde dicunt, naturaliter id quidem contingere non posse, benè tamen supernaturaliter. Ita Fonseca, Ruvius, Suarez, Murcia, Amicus, Arriaga &c. Verùmtamen conformiter Scoti principiis Resolutivè

Dico: *Idem numero effectu (de hoc enim solummodò controvertitur) nec supernaturaliter produci potest, simul & semel a duabus causis totalibus & adæquatis.* Ita Doctor 1. d. 2. q. 3. & 2. d. 20. q. 2. & in 3. d. 1. q. 2. ac 4. d. 10. q. 2. &

Probatur primò Rationibus ex eodem desumptis, ex primo: Implicat idem secundùm idem, simul & semel, per se & adæquatè dependere, & non dependere ab alio, sed si duæ causæ totales possent simul producere eundem effectum, sequeretur, idem simul & semel dependere & non dependere, ergò: probatur mi. Si ignis C, verbi gratiâ, adæquatè produceretur à causis *A* & *B*. tunc necessariò dependeret ab harum una, & non dependeret ab altera, verbi gratiâ, à *B*, quod probo terminis Scoti: *a nullo dependet aliquid essentialiter, quo non existente nihilominùs esset, sed si C, habet duas causas reales A & B, in eodem ordine, utrolibet horum non existente, nihilominùs esset ipsum C ab altero eorum, quia non existente A, nihilominùs erit ipsum C a B, & non existente B, nihilominùs erit C, ab ipso A;* ergò dependeret effectus C, & non dependeret, quod implicatorium est.

Probatur Conclusio secundò: Nulla res producta produci potest manens producta; ergò idem effectus nequit dependere à duabus causis totalibus: patet ant. quia productio est à non esse; ergò res producta manens talis produci nequit: probatur etiam consequentia, si idem effectus posset dependere à duabus causis totalibus, posset rem productam manentem productam, reproducere, sed hoc nequit fieri, ergò: probatur sequela, quæcunque res potest secundò rem producere, potest eam producere productam; ergò, si potest eam secundò producere, poterit eam etiam producere jam productam; Nec refert, quòd tunc considerentur causæ in eodem instanti producere, quia, si potest rem productam in eodem instanti producere, poterit similiter in quibuscunque sequentibus, cùm non sit major difficultas, nec major requiratur agendi virtus, ergò.

Probatur

IV. **Probatur tertiò:** Si unus idemq; effectus posset dependere à duabus causis totalibus, sequeretur, utramque esse causam totalem & non esse, sed hoc dici nequit, ergò: probatur sequela ma. quia esset ex hypothesi, non esset verò, quia una dependeret ab alia, sed quandocunque causæ totalitèr à seinvicem dependent, tunc non sunt causæ totales, ergò. Nec juvat dicere, ideò dici totales, quia utraque attingit entitatem totam effectûs, quia alioquin objectum & intellectus essent causæ totales eò, quòd utraque attingat entitatem effectûs, intellectionis scilicet, sed hæ causæ non dicuntur totales; ergò nec illæ dici deberent.

V. **Probatur quartò A pari:** Idem effectus nequit dependere à duabus causis totalibus materialibus, nec à duabus formalibus; ergò etiam non poterit idem effectus dependere à duabus efficientibus: ant. est Adversariorum & patet, quia posità unâ solummodò materiâ & unâ formâ, superfluit quæcunque alia superveniens, nihil agit: probatur consequentia: Quia quicunque effectus dicit tantam indigentiam ad causam efficientem, ac ad causam materialem vel formalem, sed per quamlibet materiam, tollitur ista indigentia in causa materiali; ergò etiam per unam efficientem.

VI. **Dices:** Si effectus diceret tantam indigentiam ad efficientem, sicut causa formalis, sequeretur, quòd nec divisìm duæ causæ efficientes eundem effectum producere possent, ergò. Respondeo, hoc non sequi, quia, licèt verum sit, quòd effectus ut sic, non dicat tantam indigentiam ad causam efficientem, dicit tamen, dum actu fit, quia hic non habet ampliùs dependentiam absolutè sumptam, sed dependentiam per se, quæ necessitatem involuit, sicut quodlibet per accidens involuit contingentiam.

VII. **Probatur Conclusio quintò** à simili: Nullus effectus potest duabus corruptionibus adæquatis simul & semel desinere; ergò neque duabus causis totalibus, simul & semel produci: probatur consequentia: Quia ideò quilibet effectus per unam corruptionem totalitèr desinit, ut non possit per alteram, quia eà posità nihil remanet, quod corrumpi posset, sed posità unâ causâ totali & adæquatâ, nihil remanet in effectu, quod produci deberet; ergò non potest ampliùs per secundam productionem produci. Verùm contra hanc communem Scotistarum opinionem, ex omnibus aliis causarum generibus adferuntur instantiæ, quæ, quàmvis communes sint, ideò tamen difficultate non carent, quarè in contrà

VIII. Argumenta in oppositum. **Arguitur primò:** Quilibet effectus defactò dependet à Deo & creatura; ergò unus idemq; effectus potest non tantùm supernaturalitèr, sed etiam naturalitèr dependere à duabus causis totalibus; probatur conseq. quia Deus est tam benè causa totalis, quàm causa creata, imò magis & licèt diceretur, Causam creatam esse partialem, non effugitur difficultas, quia eadem est ratio, quòd unus effectus dependeat ab una totalitèr & ab altera partialitèr, quàm etiam totalitèr, quia si jam accepit suum esse per unam causam totalitèr, nequit ipsum accipere per alteram, nec partialitèr quidem; deinde, si dicatur, causam creatam esse partialem, incurritur alterum absurdum, scilicet in causis creatis nullam dari totalem, cùm tamen sit communis opinio, omnes quatuor in suo genere esse totales. Itaq; respondetur ad Argumentum communitèr negando consequentiam, disparitas est, quia Causa creata, & increata sunt diversi ordinis adeoq; non implicat, quòd unus idemq; effectus dependeat ab utraque adæquatè, quemadmodùm non implicat, quòd unus effectus dependeat ab omnibus quatuor generibus, sic defactò autèm contingere certum est. Sed

Instatur: Effectus productus à duabus causis totalibus diversi ordinis, tam benè dependet ab una totalitèr secundùm esse, quàm si producatur à duabus ejusdem ordinis, sed hâc dependentiâ totali ab una Causa diversi ordinis non implicat, ut idem effectus producatur etiam ab altera, ab eaq; dependeat; ergò nec implicabit, quòd idem effectus dependeat à duabus causis totalibus ejusdem ordinis, & consequentèr nulla solutio. Respondeo dist. ma. Effectus productus tam benè dependet &c. eodem modo, nego ma. diverso modo, concedo: Itaque causa totalis creata comparata ad causam increatam non est totalis, sed tantùm partialis, nam, ut dixi supra, de se est insufficiens ad producendum aliquem effectum, etiam intra suam speciem, nisi concurrit causa prima, adeoq; non habet virtutem adæquatam ad producendos suos effectus, sed eam acquirit à Deo, qui concurrit cum ipsa, veluti causa partialis.

Urgetur: Illa causa non potest dici partialis à quâ totalitèr dependet effectus, sed à concursu Dei totalitèr dependet effectus; ergò non poterit dici causa partialis. R. dist. mi. à concursu Divino totalitèr dependet effectus, ita ut concurrat secundùm modum totalitèr, nego mi. secundùm rem, concedo mi. Itaq; concursus Divinus fundamentalitèr sumptus, est unus simplicissimus actus, ad omnes effectus causarum secundarum concurrens, virtualitèr tamen est multiplex, & non solùm numero, sed etiam pluribus specie diversis influxibus æquivalens, major enim concursus est, quo concurrit ad producendum hominem cum homine, quàm ad producendum equum, & hic iterum major est eo, quo concurrit cum igne ad producendum ignem, non tamen in re, sed in modo, in se enim est simplicissimus.

Arguitur secundò: Possunt duæ formæ Divinitus esse in eadem materia; ergò poterit etiam idem effectus dependere à duabus causis totalibus: ant. patet, tum ex dictis, tum quia videmus, quòd naturalitèr sint duæ paternitates in eodem subjecto, item duæ similitudines &c. probatur consequentia, quia non minùs dependet forma à subjecto, quàm effectus à causa; ergò si potest unum esse, poterit & alterum. R. negando consequentiam, quia non sequitur, eundem effectum formalem esse à pluribus causis totalibus, quia quilibet effectus, seu quælibet forma est communicata subjecto per suam IX.

suam dependentiam determinatam & non per plures.

Instatur: Quando altera albedo, verbi gratiâ, ponitur in eodem subjecto, ubi alia præexistit, tunc nullum alium effectum formalem præstat, quàm prima; ergò duæ albedines in eundem effectum formalem influunt duabus dependentiis totalibus. R. negando ant. si albedo subsequens posita in subjecto albo effectum formalem aliquem præstat, non præstat tamen eundem numero, quem præstitit prior, sed alium, quàmvis specie non differentem.

Urgetur: Idem numero subjectum fit album; ergò est idem numero effectus formalis. R. negando consequentiam. Ratio alia disparitatis adhuc est, quia, quandò subjectum plures formas accipit, tunc per quamlibet non accipit esse simpliciter, sed tantùm secundùm quid, quod fieri non implicat, cùm naturaliter idem subjectum possit pluries accipere eandem denominationem accidentalem.

X. *Tertium.*

Arguitur tertiò, A paritate causæ finalis: Potest idem numero effectus dependere à duobus finibus; ergo etiam idem effectus à duabus efficientibus: probatur ant. quia potest quis ingredi in aliquam domum, tam propter Martham, quàm propter Lazarum, ita ut si Martha non esset ibi, adhuc iret propter Lazarum, & si Lazarus non esset, iret propter Martham, sed in tali casu essent duæ causæ finales, totales & adæquatæ; ergò potest idem numero effectus fieri à duobus finibus. Item potest quis intrare domum, ut doceat & ut manducat, ita ut absente alterutro adhuc fieret propter unum. Sed R. quòd in tali casu, licèt separatim sumpti illi fines possent esse totales & adæquati, si tamen copulativè sumantur, tunc non erunt, nisi partiales, adeoq; non dependeret à duobus finibus totalibus & adæquatis.

Instatur: Illi duo fines sejunctim accepti, erant causæ totales & adæquatæ, quia propter alterutrum illorum fieret ingressio; ergò etiam quando copulatim sumuntur; probatur consequentia, quia per copulationem nihil eis demitur, imò potiùs additur unio, ergò. R. negando consequentiam, Ratio disparitatis est, quia si simul sumuntur, impediuntur, quò minùs unus possit æquè movere ac alter, & agere quantùm possit propter alterius concursum, quod patet in alio casu, quo duo equi trahunt unum pondus, quod quilibet separatim trahere posset, tunc neuter trahit totaliter, sed uterq; partialiter. Sic quoq; res se habet in proposito, imò voluntas tunc mutat suam volitionem, & facit actum fieri tam propter unum, quàm propter alterum, & propter neutrum totaliter. Denique non esset inconveniens concedere, quòd duo fines sic possent concurrere, quorum quilibet, ut totalis operaretur, verùmtamen meliùs negatur & patet ex eo, quòd dum quis operatur propter duplicem finem, quòd non ita effectum ponat, qualiter posuisset, si propter unum solum operatus fuisset, quia vel actus erit perfectior vel intensior, vel cum majori alacritate & promptitudine, quod signum evidens est, utrumq; aliquid particulariter fuisse operatum.

Arguitur quartò Ex causa morali: Potest idem effectus dependere, à duabus causis moralibus; ergò etiam idem effectus à duabus causis efficientibus: probatur ant. quia duo sacerdotes simul consecrant, duo simul possunt baptizare eundem infantem, &c. R. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd in tali casu, vel uterque partialiter operaretur, vel unus solus & totaliter, is scilicet, quem Deus designaret, quemadmodùm dicimus evenire in casu, quo eidem materiæ applicarentur duo ignes, quorum quilibet partialiter tantùm produceret effectum, & si hoc fieret in corpore replicato, tunc ille solus produceret effectum, & materiam combustibilem combureret, quem Deus determinaret. Sed

Instatur: In collatione baptismi, verbi gratiâ, aut in consecratione, quilibet minister profert verba, sicuti causa totalis, sed quilibet minister concurrit ad confectionem Sacramenti; ergò si non quoad collationem gratiæ, saltèm quoad confectionem erit quilibet causa totalis: probatur ma. quia alioquin sequeretur, quòd prolatio unius esset pars sacramenti, sed hoc dici non potest, patet tamen sequi, quia hoc concurrit per modum partis, quod procedit à causa partiali, ergò. Respondeo negando ma. nam videtur probabile prolationem verborum non esse institutam à Deo, tanquam causam essentialem sacramentorum, ita ut ab uno tantùm debeat proferri, sed existimo, quòd in sacramentorum institutione Deus ordinaverit, ita, quòd quandocunque prolata fuerint talia vel talia verba, præsente tali & tali materia, quòd velit concurrere ad conferendam gratiam, adeóque sive unus, sive duo verba proferant, parvum intereat, interesset tamen multùm, si sacramenta gratiam Physicè producerent, quod nos negamus.

Arguitur quintò: Ex Principiis Divinis: Spiritus Sanctus habet duo principia sui; ergò etiam in creatis potest haberi aliquis effectus duas causas adæquatas: probatur ant. quia Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, ita, ut si Filius non esset, adhuc ipse spiraretur, & si per impossibile non esset Pater, adhuc esset à Filio. R. negando ant. Quia Spiritus Sanctus non habet duo principia, sed unicum tantùm, scilicet eandem vim & actionem spirituam, & licèt ibi sint duo suppositа, illa tamen non augent vim & actionem spirativam.

Instatur: Christus Dominus secundùm quod est in Cœlo, & secundùm quod est in Eucharistia, conservatur duplici conservatione productivâ; ergò potest etiam dici, quòd alius effectus sic produci posset, quia eadem est ratio de productione alicujus, ac de ejus conservatione. R. Christum Dominum in Eucharistia non fieri absolutè ibi, sed tantùm secundùm præsentiam, per actionem adductivam, non verò productivam, & sic quodammodò est alius terminus, sicut etiam fuit alia actio, adeóque nihil contra conclusionem urget. Sed

Urgetur: Si Christus Dominus tantùm fieret ibi præsens, & non verè de novo produceretur,

ceretur, sequeretur in Eucharistia non esse veram transubstantiationem, sed hoc est contra fidem, ergò: probatur sequela, quia esset tantùm transaccidentatio, quia in locum panis succederet nuda Christi præsentia. R. negando sequelam, quia quemadmodùm in naturalibus mutationibus non semper de novo producitur totus terminus *ad quem*, & tamen veræ dicuntur mutationes, quia semper materia præexistit, sic etiam sufficit, ut sit ibi Christus, sive per adductionem, sive per novam productionem.

QUÆSTIO IV.

An duæ Causæ totales divisim, possint producere eundem numero effectum?

I. Quemadmodùm prior quæstio difficultatem movebat de duabus causis ejusdem ordinis & generis, iisque Efficientibus, ita & hæc, demptâ divisione, ita ut duplicem possit habere sensum; Primum qui quæreret, an effectus productus ab una causa, verbi gratiâ *A* si destrueretur, possit denuo reproduci ab illa: Alter verò ita quærere potest, an Effectus productus ab una causa, verbi gratiâ ab *A*, potuisset produci ab alia, verbi gratiâ *B*, pro exemplo sit ignis, qui hodie secundùm numerum producitur Camencii, an idem potuisset produci Cistercii ab alio, si ibi eodem modo applicaretur. Circa quam materiam etiam est triplex sententia; una est affirmativa, eaque Scotistarum post Doctorem 2. d. 20. q. 2. Negativa Thomistarum & Recentiorum media, qui opinantur naturaliter id fieri non posse, benè tamen divinitus. Ergò resolutivè

II. Idem effectus productus ab una causa potest produci ab alia.

Dico: *Idem numero effectus productus ab una causa potuit produci ab alia ejusdem speciei, si applicaretur eodem modo, eidem passo, & in eadem circumstantiis; Et ab eadem destructus iterum reproduci.* Ita Doctor, *quoad primam partem supra, quoad secundam 4. d. 43. q. 2.*

Probatur prima pars: Si status Innocentiæ perseverasset, & Adam nunquam peccâsset, multi effectus defactò non producerentur ab his causis, à quibus nunc & defactò producuntur; ergò effectus ab una causa productus potuit produci ab alia; probatur ma. Si perdurâsset status Innocentiæ, sicut perdurare poterat, nullus homo fuisset natus, qui non fuisset salvatus, sed multi defacto salvati, & etiam salvandi sunt nati à parentibus damnatis; ergò in statu Innocentiæ, si Adam non peccâsset, multi effectus, seu Filii non producerentur ab illis causis, à quibus defactò producuntur: probatur ma. ex D. Gregorio lib. 4. Moralium cap. 36. ubi ait, *Si Parentem primum nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur*, ergò: probatur etiam min. tum, quia Henoch & alii posteri, non fuissent nati ex Caino reprobo, nec Sancta Barbara ex Patre perverso Dioscoro, nec Hermenegildus ex Leovigildo, & sic de pluribus aliis: tum, quia non valet dici, in statu Innocentiæ, si perseverâsset, eos homines, qui nunc reprobantur, salvandos tunc, ex eo, quòd DEUS non determinaverit numerum Electorum ante prævisionem peccati; Quia prædestinatio facta est ante peccati prævisionem, ut ait D. Paulus, DEUM elegisse nos ante mundi constitutionem, nec numerus prædestinatorum minoratus est per lapsum Adami, ergò.

Probatur secundò ex alia via, sed simili: Sæpè evenit, ut homines ex natura steriles, per medicinam & artificium fiant fœcundi, & è contrà aliqui ex natura fœcundi reddunt se spontè per plurium applicationem mediorum steriles, sed in tali casu, qui nascuntur à parentibus arte fœcundis, si naturam non juvissent, non fuissent nati, & alii à redditis sterilibus fuissent nati, ergò filii, qui defactò nascuntur ab uno Patre, potuissent fuisse progeniti ab alio, & sic effectus productus ab una causa, potuisset produci ab alia. III.

Probatur tertiò: Una causa naturalis creata potens producere aliquem effectum, est potens producere quemcunque alium similem & ejusdem speciei, nisi sit aliqua specialis ratio ex parte unius effectûs, quæ non esset ex parte alterius, sed ex parte ignis *C*, verbi gratiâ, non est aliqua ratio particularis, quarè non posset produci tam benè ab igne *A*, quàm ab igne *B*, ergò, sicut defactò ignis *C*, est productus ab igne *A*, ita poterat produci ab igne *B*: probatur min. Si esset aliqua particularis ratio, maximè, quòd ignis *A*, habeat determinatam seriem suorum effectuum à se producendorum, distinctam à serie effectuum, quos potest producere ignis *B*, sed hæc ratio nulla est, ergò: ma. est Adversariorum: probatur min. quia illi omnes ignes producibiles ab igne *A*, in sua serie non plus differunt ab ignibus, quos in sua serie potest producere ignis *B*, quàm ipsi ignes ab *A*, producibiles inter se differant: ergò, sicut ignis *A*, potest producere quemcunque effectum in sua serie, poterit etiam quemcunque in serie ignium *B*, & consequentèr illarum serierum, assignatio est nulla: probatur ant. quia ignes *A* & ignes *B*, tantùm differunt inter se in differentia individuali, sed etiam ignes *A*, seu in serie ignium *A*, similitèr tantùm in ipsa hæcceitate differunt, ergò. IV.

Probatur quartò: Quia hic numerus Ignis, verbi gratiâ *C*, non dicit determinatam, & essentialem dependentiam ad suam causam, verbi gratiâ, ad ignem *A*, ergò, sicut nunc productus est ab igne *A*, ita poterat etiam produci ab igne *B*, probatur ant. quia, si ignis *C*, diceret essentialem & intrinsecam dependentiam ad ignem *A*, sequeretur, Deum non posse producere se solo ignem *C*, sed hoc est minuere omnipotentiam Divinam, & communi Philosophorum axiomati contraire, quòd non possit Deus efficienter producere se solo quidquid potest cum causa secunda: probatur autèm sequela, quia DEUS essentias rerum, earumque essentiales dependentias immutare nequit, sed ignis *C*, determinat sibi per V.

essentialem dependentiam dependere ab igne *A*, ergò neque DEUS se solo potest producere. Confirmatur: Si aliquis effectus dependeret essentialitèr ab aliqua causa determinata efficiente, sequeretur, in Resurrectione mortuorum non futurum eundem hominem, qui de Matre natus fuerat, & sic Petrus non esset idem, qui quondam piscabatur, nec Joannes esset filius Zebedæi &c. sed hoc est inconveniens, ergò: probatur tamen sequela, quia non potest dici idem numero homo, qui non habet sua essentialia & determinata principia, sed nec Petrus, nec Joannes haberet sua principia essentialia, id est, Zebedæum & Matrem, ergo. Sed

VI. Probatur secunda pars: Quia sicut visum est, causa est indifferens ad producendum hunc, vel illum effectum; ergò si determinaretur ad semel destructum reproducendum, non videtur, quò minùs illum producere posset, cùm tam benè amplius non sit & nihil sit, ac si nunquam fuisset. Et sanè tam certum non est, quin calor, qui aliquando fuit, denuò fuerit reproductus, quàmvis in substantialibus id nunquam contigerit, utpotè quæ non petunt à quacunque materia fieri, sed à sua determinata; Et licèt paradoxum hoc videri possit, reverà tamen non est. Sed

VII. Dices: Sequeretur, naturalitèr etiam posse fieri resurrectionem. R. negando sequelam, quia nulla causa creata potest attingere unionem animæ, ejusq; productionem, utpotè quæ creatur. Deinde quàmvis nunquam contigisset, quòd idem calor, qui semel destructus fuit, fuerit reproductus, hoc tamen non improbat, quò minùs fieri possit, quòd enim non eveniat, est propter decretum Divinæ voluntatis, quæ non vult concurrere cum causis secundis ad effectus semel destructos reproducendos, ex eo, quòd valdè connaturale sit, ut quæ semel extiterunt, amplius non redeant, sed locum novis cedant. Sed in Contrà

VIII. *Argumentum in contrarium.* Arguitur: Si quilibet effectus posset produci ab alia causa intra eandem speciem, sequeretur, quòd etiam idem homo posset seipsum producere, hoc nemo admittit ex Scotistis, ergò: probatur sequela, Titius, verbi gratiâ, continetur tam benè inter omnia individua humana, ac quicunque alius homo, sed Titius potest producere quemcunque hominem ex omnibus individuis humanis; ergò poterit etiam seipsum producere. R. negando sequelam, cujus probationis ma. distinguo. Continetur inter individua humana producta, transeat, inter individua primò producibilia, nego. Itaq; ex hoc non licèt inferre; ergò potest seipsum producere, quia hìc particulares obstant rationes, si enim Titius existit, non amplius produci potest, quia res existens ut existens nequit produci, nec ab alio, minùs à seipso: si verò non existat, tunc non potest se producere, quia nemo dat, quod non habet, nec causa aliquid causat, nisi ipsa prior existat. Sed

Instatur: Si Titius non poterit seipsum producere, ex hac particulari ratione, sequeretur, quòd ad minùs posset suum Parentem producere, sed hoc si non magis, æquè inconveniens est, ergò: probatur sequela, quia Titius potens est producere hominem, seu filium; ergò quemadmodùm modò productus est ipse à Mævio genitore, ita poterit producere ipsum Mævium, imò si Mævius moreretur, denuo reproducere, quandoquidem continetur inter alia individua producibilia. R. Concedendo sequelam, & neg. mi. loquendo secundùm entitatem rei, ita videlicet, ut quemadmodùm nunc & defactò, Titius productus est à Mævio, ita Mævius poterat produci à Titio, prout contigisset in statu Innocentiæ, in quo multi alios habuissent parentes & multi alios filios, & sic non videtur, cur id fieri non posset.

Urgetur: Si Titius posset producere suum parentem Mævium maximè jam destructum, Mævius dependeret à Titio & non dependeret; dependeret quidem quia ab ipso produceretur, non dependeret autèm, quia Titius dependeret ab ipso, sed hoc implicat; ergò etiam implicat, quòd Titius posit producere Mævium. R. dist. ma. dependeret, & non dependeret sub eadem ratione & quoad idem esse, nego ma. secundùm aliam rationem & quoad aliud esse, concedo ma. & dist. similitèr mi. nego consequentiam. Itaque si Mævius, qui modò parens est Titii, productus fuisset à Titio, simplicitèr dependeret ab eo, sicut modò dependet quicunque alius filius à suo parente, & tunc non posset dici, illum non dependere: Si verò Titius reproduceret Mævium suum parentem jam destructum, tunc dependeret à Titio tantùm per accidens, & quantùm ad esse secundum, & nullo modo quoad esse primum, Titius verò dependeret à Mævio quoad esse primum, & sic nulla esset contradictio. Verùm hic casus posterior non caret difficultate, an fieri possit, si enim Titius posset producere Mævium suum parentem destructum, deberet posse producere Mævii materiam, & unionem animæ, idque per generationem, & quàmvis DEUS posset materiam iterum adducere, animamque unire ad corpus, non concipio, quomodò Titius generaret Mævium, quia nihil communicaret Mævio de sua substantia per seminis decisionem, sed esset materia tota peregrina, adeóque nullâ ratione posset dici parens ejus. Unde respondendum puto in similibus generationibus, reproductionem contingere non posse per modum generationis, sed aliam simplicem productionem, qualiscunque illa esset; Et licèt illud absolutè contingeret, nihil tamen esset contra conclusionem, quæ non loquitur ita universalitèr, sed si nihil inconvenientiæ obstet, ut patet ex probatione tertia, nam nec concedo, quòd species intentionales albedinis *A*, possint produci ab albedine *B*, licèt sint intra eandem speciem, quia illæ species, cum sint formales similitudines suorum objectorum, non possunt produci ab alio, & sic subjecta se habent, ac si in eadem specie differrent. Deinde nequit etiam calor ut duo, producere calorem ut octo, licèt sint intra eandem speciem, album

album ut quatuor excedit album ut duo, nullum autèm perfectiùs potest produci ab imperfectiori, conclusio ergò loquitur de omnibus individuis ejusdem speciei, quæ in entitate, & in gradibus æqualia sunt, non verò quæ sese excedunt.

DISPUTATIO VII.

DE CAUSA FINALI.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit finis, & ejus causalitas?

I. *Dari causa finalis.* Dari Causam finalem contra multos gentiles, opinantes omnia fieri ex casu & fortuito modo, probat D. Aug. in lib. 83. qq. quæstione 24. hoc modo: *Quidquid casu fit, temerè fit: quidquid temerè fit, non fit providentia: si ergò casu aliqua fiunt in mundo, non ergò providentia universus mundus administratur*, quæ tamen dici nequeunt apud Christianos, adeoq; certum erit, dari providentiam administrantem mundum, omniaq; in eo facta ad certum dirigentem finem, qui est ipse Deus super omnia benedictus, unde ait Mellifluus meus Doctor Bernardus tract. de diligendo Deo cap. 7. *Nam & efficiens & finalis est*; & lib. 3. de Amore Dei cap. 29. judicia providentiæ Divinæ expendens dicit: *Deus itaq; justissimo judicio suo quibusdam hic miseretur non misserturus in futuro; quosdam autèm flagellat tanquam iratus ut ira & flagella ipsius afflictu in gloriam convertantur*. ergò ex aliquo fine facit Deus.

II. *Definitio finis.* Finem descripsit Aristoteles lib. 2. Physicorum cap. 2. 3. & 7. & alibi, quòd sit *Cujus gratiâ cætera fiunt*: quæ definitio tàm apud Patres, quàm apud Scholasticos communitèr recipitur, sensus ejus autèm est iste: quòd causa, nempe finalis, sit ob cujus amorem aliquid movetur ad aliquid agendum, ut verbi gratiâ, ob sanitatem ad sumendum rheubarbarum, aliquamq; potionem, vel in sectionem faciendam.

III. *Finis Cui & Cujus alias sic.* Finis Sic descriptus, primò dividitur in *finem Cui & in finem Cujus*. Hic est, cujus gratiâ causa efficiens applicat se ad agendum aliquid per media proportionata, ut eum assequatur, sic verbi gratiâ: Titius applicat se, ut possit Filio suo Mævio per recommendationes, supplicationes, aliasvè vias, acquirere dignitatem Ecclesiasticam aut sæcularem, vel si infirmaretur ad procurandam sanitatem, per purgantia aut sudorifera. *Finis Cui* est ille ipse, vel illud ipsum, cui acquiritur, ut Mævius, cui Titius procurat honorem vel sanitatem. &

IV. *Finis alius formalis, alius objectivus.* Secundò dividitur finis in *formalem & objectivum*, seu *in finem qui & quo*: finis *objectivus & quo* est, illud ipsum bonum, quod causa efficiens sibi vel aliis acquirere intendit & adlaborat, ut verbi gratia Deus, qui est objectum & finis noster ultimus, quem omnes in via peregrinantes à Domino, consequi cupimus. Finis *formalis & quo*, est ipsamet operatio, quâ mediante illud bonum acquiritur, sic finis formalis & beatitudo hominis est ipsa Dei visio & fruitio: Ex hac divisione ortum est, ut etiam beatitudo nostra dividatur in formalem & objectivam.

V. *Tertiò finis ultimus & non ultimus.* Tertiò dividitur principalitèr finis in finem *ultimum & non ultimum*: Finis *ultimus* est in quo ultimatè operans quiescit, ita ut non habeat necesse eum ulteriùs ordinare, cùm nihil ampliùs sit, propter quid operetur, ut quando quis intendebat tantùm sanitatem, eamq; est assecutus, aut sicut homo quærere debet beatitudinem, quâ consecutâ non habet ampliùs, quo suas actiones ordinet, & hic finis etiam congruè dividitur in duo prælegata membra: Finis *non ultimus* est, qui etiam *finis sub fine* dicitur, in quo causa efficiens quidem aliqualitèr quiescit, sed non ultimatè, quia eum ordinat ad ulteriorem finem, sic mortificatio corporis est finis flagellationis & abstinentiæ, non tamen ultimus, quia ipsa mortificatio refertur in ulteriorem finem, nempe in ipsum Deum, similitèr datio Eleemosynæ est propter sublevandum pauperem, ea tamen ulteriùs dirigi potest, ut peccata redimat, & DEUM offensum reconciliet.

VI. Sunt adhuc plures aliæ divisiones, ut in finem operantis & finem operis, primum intendit ipsa causa agens, secundus est, qui ex natura operis sequitur; item in finem, secundùm appetitum animalem, & secundùm appetitum naturalem &c. hæ tamen præcipuæ sunt, de quibus etiam quæritur: An omnes propriè fines dicendi sint? Quam rem brevibus expediam, proinde

VII. *Si divisio in finem Cui bona est, magis erit Cujus.* Dico 1. *Si divisio prima* in finem Cui *bona est, multò magis* in finem cujus. Hæc est conformis ad principia Scoti, contra Nominales, qui *finem Cui* verum esse finem asserunt, non tamen *finem cujus*, sed potiùs instrumentum ad priorem. Verùm

Probatur Conclusio primò: Authoritate Doctoris subtilis, qui 2. d. 6 q. 1. F. docet, voluntatem simul velle id, quod vult & cui vult, sed finis *cujus* est id, quod voluntas vult, & finis *cui* subjectum cui appetitur bonum; ergò si unus finis *cui* dici potest finis, multò magis finis *cujus*.

Probatur secundò: Illud potest verè dici finis, quod se habet per modum ultimi in intentione agentis, sed tam finis *cujus*, quàm finis *cui*, sunt ultimum in intentione agentis; ergò unus tam benè erit finis. Deinde: Illud est finis, ad quem ordinantur media, sed tam benè ad subjectum, quàm ad rem desideratam ordinantur media, non quidem ut subjectum sit, sed ut illi bonum sit, ergò.

Tertiò: Finis est id, cujus gratiâ cætera fiunt, sed tam gratiâ subjecti, quàm gratiâ boni, cætera, id est, media fiunt; ergò tàm finis *Cui*, quàm *cujus*, erunt fines.

VIII. *Datur ratio quarè dicatur si*

Dixi in Conclusione, si divisio in finem *Cui* bona est, quia sat probabile teneri potest, quòd hæc planè non sit bona, seu quòd finis *Cui* non sit propriè finis, tum, quia finis debet acquiri per media, illud, quod dicitur finis *Cui*, non acquiritur per media; ergò non erit finis: tum, quia finis non acquiritur fini, sed finis *cujus* acquiritur fini *Cui*; ergò *finis Cui* non erit finis. Quarè, ut dicatur habere rationem finis, debet considerari inadæquatè, quatenùs cum fine *Cujus* involvitur, ita, ut habeat se per modum alicujus integrantis totum aliquem finem, & sic divisio non erit in fines completos, sed in incompletos. Hinc patet, quid dicendum sit ad replicas, quæ in contrà fieri possent, facilè enim solvuntur, si dicatur, finem *cui* posse habere rationem finis, prout subest ad finem *cujus*, non quidem per modum totalis & adæquati, sed partialis. Ad secundam divisionem quoque

IX. *Finis formalis & objectivus sunt completi.*

Dico 2. *Non esse in fines completos, sed ad summum incompletos:* &

Probatur Conclusio quoad primam partem: Quia nec Deus simplicitèr appeti potest, sine eo, quòd appetatur actio, qua possideri possit; ergò finis objectivus non erit finis unus adæquatus & completus, in rigore locutionis; probatur consequentia, quia si posset appeti sine actione, qua haberi potest, posset simplicitèr accipere esse per media, quia hæc est ratio principalis finis, ut illud, quod fuit primum in intentione, sit posterius in executione, sed DEUS non accipit esse à mediis; ergò DEUS non erit finis objectivus, si DEUS non est finis objectivus; ergò nulla alia res, quæ objectivè appetitur, ut sunt divitiæ, honores, prædia, urbes, oves & boves, & pecora campi. Quòd autèm sint fines incompleti, Probatur ex eo, quia objectum appetitur ex eo, quòd per actionem cum ipso conjungatur potentia & actio, verbi gratia, visio appetitur propter objectum; ergò ambo fines erunt partiales unum totalem integrantes, & hoc patet ex eo, quòd Deus non sit noster ultimus finis, sed Deus videndus. Confirmatur ulteriùs, si Deus esset finis objectivus, quia est objectum beatitudinis, sequeretur, Deum non esse finem ultimum, sed hoc est contra Patres & Scripturam, ergò. Probatur sequela, quia posset referri ad finem ulteriorem scilicet ad nos, ergò: &c.

X. *Divisio in finem ultimum & non ultimum bona est.*

Dico 3. *Tertia divisio in finem ultimum & non ultimum bona est, idq; in fines propriè dictos. Hæc est Doctoris 1. d. 1. q. 2. & in 4. d. 49. q. 3. &c.* Et primò quidem finem ultimum esse finem, nemo dubitat. Probatur tamen ex Sanctis Doctoribus nostris in sensu prioris conclusionis, quatenùs nempe docent, Deum esse ultimum finem omnium nostrarum actionum. Sic enim ait D. Augustinus lib. 2. Serm. Dom. in Mont. cap. 16. *Hoc appetendum & ibi finis constituendus, propter quod omnia facimus, quæcunq; facimus:* & lib. 8. Civit. 8. *Quæritur de summo bono, quo referentes omnia, quæ agimus & quod non propter aliud, sed propter seipsum appetentes & adipiscentes nihil, quo beati simus, ulteriùs quæramus,* sed Deus est hoc summum bonum; ergò Deus est ultimus finis, & sic est paritèr de aliis, qui ulteriùs non ordinantur, de quibus generatim dicit idem Sanctus Magister, enarrat: Ps. 56. *Quomodò finis viæ tuæ locus est, quò tendis, quò cùm perveneris, jam manebis. Sic finis studii tui, propositi tui, conatûs tui, intentionis tuæ ille est, ad quem pertendis, ad quem cùm perveneris, ultra nihil desiderabis, quia melius nihil habebis.* Item D. Bernardus nihil frequentiùs ingeminat, quàm in Deum referenda esse omnia, velut in ultimum finem, testantur ejus opera singula, signantèr libri de Amore DEI, ex quibus duo appono loca: utrumque ex lib. primo, unum cap. 4. ubi hæc habet: *Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu Sancto, hoc est silentium in cœlo. Quamdiu quippe in hac sumus vita, hoc fœliciſſimæ pacis silentio in Cœlo, id est, in anima justi, quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur affectu, sed hora est dimidia vel quasi dimidia, intentio verò de reliquis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. In illa verò beata & æterna vita, de qua dicitur: intra in gaudium Domini tui, sola erit perfecta & æterna sinitio, & tantò fœlicior, quantò jam remotis omnibus, quæ hoc tardare vel impedire videntur, amoris ejus indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo:* & cap. 5. sic ait: *Est enim animæ rationalis amor, sicut dicit quidam, servus tuus, motu vel quieta statio, vel finis, ultra quem nihil appetat, vel appetendum judicet voluntas appetitus. Ultra te verò vel supra te, qui quærit aliquid, tanquam melius te, nihil est, quod quærit, quia nihil est melius vel dulcius te.* De sermone Domini in ultima cœna Serm. 8. clarè distinguit finem ultimum à non ultimo, ubi docet, qualitèr creaturæ amari possint & debeant, ita tamen, ut ille amor in DEUM ultimatè referatur, qui cupit videre, inveniet id fusè, quod propterea etiam omisi, & ad Scholastica magis progrediendo

XI. Probatur Conclusio de fine non ultimo, quòd verè finis sit, ex ratione: Quidquid correspondet medio, debet rationem finis habere, sed finis non ultimus correspondet medio; ergò ille habebit rationem finis: ma. patet ex ratione finis, qui ex sua virtute debet habere posse movere ad applicanda media: probatur min. quia potest aliquis comedere, ut vivat, vivere, ut studeat, studere, ut promoveatur & promotionem proponere, ut DEUM & beatitudinem aliquando assequatur, quorum quodlibet est verum medium; ergò cuilibet correspondens erit verus finis.

XII. Probatur secundò: Si solus ultimus finis verè esset finis, & non etiam non ultimus, sequeretur, quòd nullus unquam ageret nisi propter finem ultimum, aut eum, qui non ageret

XIII.

XIV.

ageret propter finem ultimum, non ageret ex electione, sed horum utrumquè est absurdum, ergò non modò finis ultimus, sed etiam non ultimus veram habebit rationem finis: patet ma. quia si nullus est finis, nisi ultimus, quilibet, qui agit ex fine, debet agere propter finem ultimum, cùm alius non sit, aut si non ageret, non ageret ex electione; quòd autèm sequelæ sint absurdæ, probatur, tum quia aliqui vel non cognoscunt ultimum finem, vel non proponunt, tum, quia si aliquis Atheus non ageret propter ultimum finem, non propterea deberet dici, agere temerè, irrationabiliter & sine electione, ergò;

XIII. **Probatur tertiò** Ad hominem: Si finis non ultimus non esset verè finis, hoc esset potissimùm ex eo, quòd ordinaretur ad alium finem, sd hæc ratio non tollit, quòminùs possit habere rationem finis: ergò. ma. est Adversi. probatur: Si subordinatio vel ordinatio ad ulteriorem finem tolleret rationem finis, deberet etiam tollere bonitatem, ex qua propter se amari potest, sed hanc non tollit, ergò neque tollit rationem finis, cùm ad eum aliud non requiratur, quàm quod possit ex se & propter se amari; prob. mi. si quid tolleret bonitatem, maximè, quòd haberet bonitatem medii vel eam acquireret, sed hæc ratio non tollit, cùm illæ bonitates non sint incompossibiles, adeoquè benè sub uno respectu possit habere rationem medii, sub alio verò rationem finis, dummodò habeat media ad se ordinata, quemadmodum idem potest esse genus, & potest esse species, species in quantum subordinatur superiori, genus verò in quantum habet sub se species, sicut etiam dicitur aliquando, imò simul Filius & Parens, filius eò, quòd ab alio sit progenitus, Parens verò eò, quòd jam alium genuerit, ergò etiam idem poterit habere rationem finis, & rationem medii, sub diverso respectu. Sed contra hanc Conclusionis partem

XIV. *Opponitur & probatur Assi.* **Opponitur** Authoritas Aristotelis 2. Phy. 29. ubi ait, ad finem requiri, ut omnia ipsius gratiâ fiant, sed gratiâ finis non ultimi non omnia fiunt, ergò non erit verè finis. R. Dist. ma. ut omnia in gratiam ipsius fiant, quæ infra eum in proprio ordine continentur, concedo ma. quæ non continentur sub proprio ordine, nego ma. & dist. similiter mi. nego consequentiam, quia sicut ad genus omnia debent reduci, sic etiam ad finem, non tamen immediatè & in ratione aut ordine diverso, sed sibi competente, sic est de fine. Vel dic Aristotelem locutum fuisse de fine ultimo, quod quidem verum est, è contrà tamen falsum, quòd de ratione finis ut sic sit, ut omnia in ejus gratiam fiant, sed ut aliquid.

Instatur: De ratione cujuslibet finis est, ut propter se appeti possit, sed finis non ultimus non potest appeti propter se, ergò. mi. probatur, quia finis non ultimus appetitur propter alium, scilicet propter ultimum. R. negando mi. Quia quilibet finis non ultimus in se habet duplicem bonitatem, honestatis scilicet, & utilitatis, in quantum honestus est, per se appeti potest, & habere rationem finis, in quantum verò utilis est, habet rationem medii.

QUÆSTIO II.

De Causalitate Finis.

I. *Finis non est causa Physica.*

Ante Resolutionem unum præsupponendum erit, & alterum prænotandum: Et quod præsupponi debet, est, licèt finis sit vera causa, non esse tamen veram causam Physicam, sed tantùm intentionalem & moralem, quòd verò non sit vera causa Physica, patet ex eo, quòd dum actu causat, potissimùm non existat, imò aliquando sit vix non impossibilis; quod autèm non existit Physicè, non potest Physicè influere in aliquem effectum, adeoquè nequè finis; Itaquè finis causa est moralis & intentionalis, in quantum scilicet virtutem habet movendi voluntatem ad sui amorem & prosecutionem, quod est tantùm intentionaliter movere. Quarè

II. *Motio est duplex, alia Physica, alia intentionalis.*

Prænotandum etiam, Motionem esse duplicem, aliam Physicam, aliam moralem, seu intentionalem, *Physica* illa est, quæ fit à causa Physica realiter existente, & dante esse effectui, per actionem realem Physicam, qualiter movet homo navim, qui trahit eam, & ignis lignum. Motio *moralis*, quæ similitudinem quandam & proportionem habet cum Physica, non tamen omnimodam, & talis est, quâ bonum movet voluntatem ad sui amorem, & Consiliarius suum Principem ad Edictum aliquod faciendum, vel cassandum, quarè etiam dici solet motio Metaphorica, eò, quòd ad similitudinem causæ Physicæ allicit, trahit, & determinat suum mobile. Hoc igitur præsuppositò & prænotato, in hac quæstione examinandum est primò, quæ nam sit causalitas finis in actu primo & quæ in actu secundo? Et circa primum Nominales existimant, non modò bonum, sed etiam malum sub ratione mali posse esse causalitatem finis in actu primo, seu, quod idem est, malum quà tale posse movere voluntatem ad sui prosecutionem. Communis tamen sententia docet, solum bonum, aut aliquid sub ratione boni posse movere voluntatem ad sui prosecutionem, adeoquè causalitatem finis consistere in bonitate, sive postmodùm ea vera sit, sive apprehensa tantùm, cum qua sententia etiam

III. *Sola bonitas potest esse causalitas finis.*

Dico 1. *Sola bonitas vera, vel apprehensa potest esse causalitas finis in actu primo.* Ita Scotistæ & Recentiores communiter.

Probatur primò: Authoritate tum D. Augustini serm. 144. Temp. cap. 8. ubi ait: *Da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te aliquid velle bonum.* Et serm. 107. divers. cap. 5. *Dic mihi, quid malum velis? quidquid volueris, bonum vis.* Et lib. 2. Confess. cap. 5. *Cùm de facinore quæritur, quâ causâ factum sit, credi non solet, nisi cùm appetitus adipiscendi alicujus illorum bonorum* (Honorum, voluptatum) *quæ infima diximus esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem, aut prædium, aut voluit deprædari, ut viveret, aut timuit ab illo tale quid amittere, aut læsus se ulci-*

se ulciſci exarſit. Divi Bernardi ſerm. 5. in vigil. Nati. ubi in fine ſic claudit: *Nam deſideria quidem noſtra in tribus maximè conſtituta videntur, quod decet, quod expedit, quod delectat, hæc ſunt, quæ concupiſcimus, omnes quidem omnia, ſed alius magis hoc, alius magis aliud. &c.* Et tract. de converſ. ad Clericos deſcribens miſerrimam conditionem peccantium, utpotè cùm ſibi tot mala accumulent per peccata, & ſibimetipſis noceant, ſubdit: *Neq; id quidem* (peccare) *inimicitiarum ſtudio gerimus, ſed ſtupore quodam inſenſibilitatis internæ, effuſus ſiquidem animus damna interiora non ſentit, quia nec intus eſt, ſed in ventre forſitan, aut ſub ventre, denig; & animus quorundam in patinis, quorundam in loculis invenitur.* Adde Ariſtotelem, qui in Ethica frequenter dicit: *Nemo aſpiciens ad malum operatur.* Ergò malum non poteſt habere rationem finis, quà malum, quia nequit habere rationem, ut ametur, & conſequenter bonitas ſola vera, vel apprehenſa erit cauſalitas finis in actu primo.

IV. Probatur primò: Nihil poteſt habere rationem finis in actu primo, quod nequit eſſe bonum, ſed malum quà malum nequit habere rationem boni, ergò nequè rationem finis, patet ma. ex Ariſtotele 1. Ethi. 17. ubi dicit: Quod uniuscujusquè bonum eſt, hoc finis eſt. probatur mi. ſi malum deberet poſſe habere rationem boni, deberet poſſe conſtituere objectum ſuum amabile, hoc nequit facere, quia alioquin amabile eſſet & non eſſet, quia eſſet odibile. ergò.

Probatur ſecundò: Sicut ſe habet intellectus ad verum, & falſum, quòad aſſenſum & diſſenſum, ita ſe habet voluntas ad bonum & malum, quòad velle & nolle, ſed intellectus non poteſt aſſentiri falſo, quà tali; ergò nequè voluntas velle malum, quà tale. Nec refert, quòd voluntas dicatur potentia libera, quia manet benè libera, quòd, ſicut bonum poteſt non velle, ita malum poſsit non nolle, nec major libertas ei concedi debet, quàm per rationem, aut authoritatem demonſtrari poſsit.

V. *Cauſalitas finis in actu ſecundo conſiſtit in motione.* Dico 2. *Cauſalitas finis in actu ſecundo conſiſtit in motione ac determinatione formali, qua movet voluntatem.* Hæc eſt Connimb. quos ſequitur Pontius.

Probatur, quia voluntas movetur à fine ad producendum effectum, ergò datur talis motio, ſed ex ſuppoſitione, quòd detur, nihil impedit, quò minùs ſit cauſalitas finis, & fruſtra requiritur aliqua alia cauſalitas, ergò cauſalitas finis in illa motione conſiſtit.

VI. Dices: Cauſa finalis eſt cauſa partialis ſubordinata efficienti, ſed poteſt haberi motio illa ſine cauſalitate efficientis, ergò illa motio non eſt cauſalitas. ℟. diſt. mi. poteſt haberi motio ſub denominatione cauſalitatis, nego mi. ſub ratione ſua, quòad omnia intrinſeca, concedo mi. unde tunc illa motio, quæ non eſt quid diſtinctum ab ipſo fine cognito, tantùm habet rationem objectivam, non verò formalem, habet verò rationem formalem, quando voluntas ſeipſam Phyſicè movet.

Dico 3. *Finis non cauſat ſecundùm eſſe cognitum, ſed ſecundùm eſſe reale.* Hæc eſt Doct. 1. d. 1. q. 4. Et ſenſus ejus eſt, quòd finis non moveat præcisè, & reduplicativè ſumendo in quantum eſt cognitus, ſed in quantum realis eſt entitas. VII. *Finis non cauſat ſecundùm eſſe cognitum.*

Probatur primò: Illud cauſat in fine, quod movet voluntatem ad agendum, ad eligendum media, ſed hoc facit finis ſecundum ſuum eſſe reale, ergò.

Secundò: Illud movet, quod abeſt, & quod acquiri debet, ſed eſſe reale abeſt, & acquiri debet; ergò ſecundùm eſſe reale movet.

Tertiò: Illud movet ad agendum, quo acquiſito ceſſat motus, ſed acquiſito fine ſecundùm eſſe reale ceſſat motus, ergò finis movet ſecundum eſſe reale, probatur mi. quia dum Titius acquirit Mœvio dignitatem Eccleſiaſticam, vel ſæcularem, ceſſat applicare media, requirere patrocinia, expenſas facere & ſimilia, ergò. Sed incontrà

Arguitur 1. Omnis cauſa ex ratione ſua formali debet eſſe prior ſuo effectu, ſed in fine, & in bonitate ejus nihil eſt priùs, quàm eſſe cognitum, ergò finis cauſabit non ſecundùm eſſe reale, ſed ſecundùm eſſe intentionale, ſeu cognitum. ℟. diſt. mi. in fine & in bonitate nihil eſt priùs ſecundùm eſſe futurum, nego, ſecundùm eſſe reale actuale, concedo; Itaque finis præexiſtit etiam, in quantum cauſat quoad eſſe reale futurum, non tamen actuale, ideò, aliud eſt dicere, cauſare ſecundum eſſe cognitum, & in eſſe cognito, quia etiam in hoc cauſat, ſed non tanquam per rationem formalem cauſandi. VIII. *Argum. tom. in contrar.*

Inſtatur: Cujuslibet cauſæ virtus, dum actualiter cauſat, actualiter exiſtere debet, ſed eſſe futurum non habet actu virtutem cauſandi, ergò nequè cauſare poterit ſecundum eſſe reale futurum. Sed ℟. diſt. ma. debet actualiter exiſtere in ſe vel in alio, concedo ma. in ſe ſemper, nego ma. & diſt. ſimiliter mi. nego conſequentiam, quia virtus exiſtit in eſſe cognito, quod eſſe, ſi ſumatur pro rebus ſignificatis, virtutem habet cauſandi, ſi verò ſumatur pro ſe ipſo præcisè, in quantum dicit cognitionem formalem, non habet illam virtutem, ſicut contingit in ſignis & vocibus rerum, quæ ſi ſumuntur pro ſeipſis, falſæ ſunt, ſi verò accipiantur pro ſuis ſignificatis, veræ.

Urgetur: In bonitate apprehenſa non poterit eſſe cognitum accipi pro ſuo ſignificato, ergò ſaltem in eo finis cauſabit ſecundum eſſe cognitum præcisè: probatur ant. quia illa bonitas nulla eſt ante apprehenſionem, quia ſecundùm eſſe reale, objectum tale bonum non eſt, alioquin non eſſet apprehenſa, ergò: ℟. negando ant. cujus probationis conſequens diſtingo; ergò bonitas apprehenſa habet rationem finis, ſi objectivè ſumatur, concedo, ſi formaliter, ſeu pro actu apprehenſionis, nego conſequentiam. Itaquè dum dico, quod ea ſe reale debeat movere, non intelligo, niſi eſſe reale

reale objectivum, non verò actuale, quod reverà aliud non est, quàm effectus.

Arguitur 2. Si Esse cognitum non moveret in genere causæ finalis, sequeretur, illam cognitionem esse puram conditionem, sed hoc dici nequit, ergò. probatur sequela, quia nulla conditio variat speciem alicujus causæ, sed cognitio variat speciem in potentiis appetitivis, quia appetitus naturalis, animalis, & rationalis differunt ex eo solùm, quòd primus tendat in rem non cognitam, secundus cognitam sensu, & tertius intellectu, ergò. R. negando mi. cum probationis ma. quia videmus, quòd potentiæ, & actus tantùm extrinsecè distinguantur, & per variationem conditionalem, & circa idem objectum formale, diversos specie actus haberi posse patet de amore viæ & patriæ, de cognitione Dei intutiva, & abstractiva &c.

QUÆSTIO III.

De Effectibus Finis.

In causalitate finis hic est ordo: Primò enim Agens intellectuale apprehendit aliquod sibi conveniens per cognitionem sufficientem, nam, ut ait D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 2. *Invisa amari possunt, incognita nequaquam*, cognitione habitâ voluntas ex naturali sua inclinatione & propensione in bonum, illud amat, affectat & desiderat; Amore, effectu, & desiderio concepto eadem voluntas toto conatu adlaborat, qui & qualitèr rem desideratam acquirere, & adipisci possit, intellectus verò ipsi lumine suo demonstrat plures vias, modos & occasiones, quæ omnia media dicuntur, quibus res acquiri potest, quâ propositione factâ voluntas unum eligit potiùs, quàm alterum, & hæc omnia inter terminos intentionis. Postmodùm verò, postquàm voluntas elegit sibi media, incipit per executionem ea applicare, & ordinare ad finis amati acquisitionem, fine illo accepto lætatur, gaudet, & sibi complacet in consecutione; sit exemplum vulgare de Medicina: Primò enim intellectus proponit homini laboranti febribus sanitatem, quam æger incipit amare, desiderare & affectare, posteà accedit iterum intellectus, & proponit voluntati media, quibus acquiri possit, nempè venæ sectionem, sudorem, choleræ expurgationem, quâ propositione factâ voluntas eligit sectionem, & applicat se, ut exequatur & sanitatem acquirat, sanitas finis fuit, eoquè accepto, voluntas lætatur, gaudet, & amat de consequutione sanitatis, in eaquè quiescit. De his ergò quæritur, an debeant omnes illi actus, qui intercedunt, effectus finis dici? ad quod Respondeo &

DICO 1. *Desiderium & amor, à quo incipit finis causalitas, & series reliquorum actuum, non est ejus effectus.* Ita Doctor q. 4. prologi. Et Scotist: communitèr contra Magistrium. Et Probatur ex Doctore citato, ubi ait: Finis non est causa nisi in quantùm amatus, & desideratus movet efficiens ad efficiendum, &c. sed finis, antequàm ametur & desideretur, ipse non est amatus & desideratus, ergò antequàm ametur, non causat; subsumo; sed finis deberet causare, antequàm ametur & desideretur, si amor & desiderium esset ejus effectus, ergò amor non est effectus; nullus enim effectus est, antequàm sua causa causet.

Dices: Ille est effectus finis, qui *propter ipsum* fit, sed amor ille, & desiderium fit propter finem, ergò erit effectus finis. R. dist. ma. qui propter ipsum fit sub ratione finis, concedo ma. sub ratione subjecti, nego ma. & distinguo etiam mi. similitèr, & nego consequentiam. III.

DICO 2. *Media non habent rationem effectus respectu finis, sicut nec consequutio, aut amor subsequens consequutionem & possessionem.* IV. *Media non habent rationem effectûs.*

Probatur Conclusio quoad singulas partes, & primò quidem de mediis, quia hæc habent suum esse, antequàm finis intendatur, ut patet de Medicina, quam Deus creavit, sicut & Medicum, & prudens eis tempore necessitatis utetur; nec refert, quòd Medicinæ non nunquam priùs attemperentur, quia hoc tantùm per accidens est, nec per hanc attemperationem esse suum accipiunt. Probatur de ipsa consecutione & possessione, quia hæc non fit propter aliud, sed nihil est effectus finis, nisi, quod est propter aliud, ergò. probatur mi. quia nemo habet & possidet finem, eoquè fruitur, ut habeat, possideat, & eo fruatur, ergò.

Probatur deniquè tertia pars: Tum, quia gaudium non fit propter finem, sed per finem: tum, quia, sive gaudium & delectatio subsequens quæratur, sive non, fit finis, tum deniquè, quia acquisito reali fine cessat motus finis intentionalis, sed gaudium illud non cessat tunc, sed primò incipit, ergò illud gaudium non causatur à fine, adeoquè non erit ejus effectus. Sed si quis minùs rigorosè loqui vellet, existimo, quòd omnia enumerata in hac conclusione admitti possent esse effectus finis, etiam sub ratione finis, quia omnia subsequuntur ex fine intentionaliter sumpto. Quidquid tamen sit de his

DICO 3. *Consultatio de mediis, eorumq; electio, executio, & applicatio sunt veri effectus causæ finalis, seu finis.* Hæc est communis, &c. V. *Consultatio & electio &c. sunt effectus.*

Probatur, quia hæc omnia elicit voluntas, ut allecta & mota ab ipso fine, ergò sunt effectus finis; probatur ant. Quia ideò consultat de mediis, ea eligit & applicat, quia amat & desiderat consequi finem, ergò. Nec refert, quòd finis illos effectus non attingat immediatè, sufficit enim, quòd mediatè eos attingat.

QUÆSTIO IV.

Quænam Agentia agant propter finem?

Imprimis certum est, nihil posse dici agere propter finem, quod sensu & ratione caret, nam, cùm agere propter finem aliud non sit, quàm ex electione comparare media ad unum certum finem determinata, quam electionem cùm habere nequeant, nec propter finem agere dici possunt: Undè quàmvis fæpè di- I. *Quæ sensu carent nequeunt agere propter finem.*

pè dicatur, omnia agentia naturalia propter finem agere; nihil operari fruſtra, hoc non eſt intelligendum, quaſi verò ipſa poſſent bonitatem finis, & mediorum congruentiam præcognoſcere, ſed ſenſus eſt, quòd in ſuum finem, ſeu terminum tendant, in quem ſunt ordinata ab Authore omnium, primoquè principio Deo.

II. *Homines & angeli agunt propter finem.*

Similiter certum eſt, homines, & Angelos propter finem agere, quia homines ad conſequendos honores, dignitates, divitias, beatitudinem multa adhibent media proportionata cum finis prægnitione & amore, Angeli quoquè fidelem hominibus cuſtodiam præſtant propter vitam æternam, eorumquè ſocietatem tutiùs conſequendam, dæmones è contrà propter eandem perdendam inſtigationibus, blanditiis, aliisquè mediis, veluti mille artifices utuntur, ut homines decipiant, in peccata inducant & ad gehennam pertrahant. Audi Mellifluum Doctorem Bernardum de utrisquè loquentem in ſolemniſimis ſuis ſermonibus in Pſalmum *Qui habitas*: De Angelis enim bonis ſerm. 12. ſic habet: *Quanta nobis, fratres, in hujus ſcripturæ verbis & eruditio & admonitio, & conſolatio exhibetur? Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Confiteantur & dicant inter gentes, quoniam magnificavit facere cum eis. Et ne quid in cæleſtibus vacet ab opera ſollicitudmu noſtræ, beatos illos ſpiritus propter nos mittit in miniſterium, cuſtodiæ noſtræ deputas, noſtros jubes fieri pædagogos. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis.* De dæmonibus verò ſerm. 3. ſic ait: *Vide, quia beſtia factus eſt* (homo) *cui venandæ laques parantur. Sed qui ſunt venatores iſti? Venatores utiq; peſsimi, & nequiſsimi, callidiſsimi, & crudeliſsimi. Venatores, qui cornu non ſonant, ut non audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatum: ipſi Rectores ſunt tenebrarum harum.* Quarè unica difficultas reſtat de Deo & brutis, num propter finem agant. Circa primum Animadvertendum, quòd in Deo triplicitèr quæri poſsit, an dari poſsit in ipſo finis; primò reſpectu actuum immanentium, ſecundò reſpectu actuum tranſeuntium, & tertiò reſpectu ipſarum rerum productarum: de quibus

III. *Deus quomodo agat propter finem.*

Dico 1. *In Deo non datur cauſa finalis reſpectu actuum immanentium vel tranſeuntium, benè tamen reſpectu rerum productarum, adeoq; verè dici poteſt, agere propter* finem. Hæc eſt communior in Scholis, &

Probatur 1. p. Quia reſpectu nullius eſt cauſa finalis propriè, reſpectu cujus non eſt cauſa efficiens, ſed reſpectu illorum actuum non datur cauſa efficiens, ergò nequè cauſa finalis. patet ma. quia cauſalitas finis eſt motio metaphorica, quæ nihil aliud eſt, quàm actio agentis propter finem facta: probatur mi. quia illi actus ſunt entia per eſſentiam, ergò nullam habent cauſam.

Probatur 2. eadem pars. Quia nihil fit, vel agit propter finem, quod non agit propter finem amatum, ſed actiones immanentes non fiunt propter finem amatum, quia actiones illæ ſunt amor, & cognitio, quæ non fiunt ob alium amorem, cùm ille primus ſit amor, & cognitio etiam ante amorem prærequiratur. Volunt tamen nonnulli, quòd quemadmodùm datur principium in divinis, ſic quoquè, licèt non detur cauſa finalis, quod etiam poſsit dari ratio finalis.

Probatur 2. p. Quia actiones tranſeuntes ſunt ipſæ actiones immanentes eſſentiales & communes tribus perſonis, quia ſicut dicunt Theologi: Opera Trinitatis ad extrà ſunt indiviſa, ſed actiones immanentes non habent rationem finis, ergò neq; tranſeuntes. IV.

Probatur 3. p. Primò ex Sacra Scriptura, Proverb. 16. ubi dicitur: Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Deinde Authoritate Sanctorum Doctorum, Auguſtini ſuprà, ubi demonſtrat, Deum non temerè gubernare, & regere univerſum, quibus addo alium adhuc in Epheſ. Pſal. 148. ubi totius univerſi gubernationem, ſuaviſſimamq; diſpoſitionem divinam deſcribens claudit: *Quidquid ergò hic accidit contra voluntatem noſtram, noveris accidere de voluntate Dei, de providentia ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius, & ſi nos intelligimus, quid, quarè fiat, demus hoc providentiæ ipſius, quia non ſit ſine cauſa (ſine) & non blaſphemabimus.* Ex Divo Bernardo verò copioſiſsima loca adferre poſſem, in quibus ſingularem Dei providentiam commendat, & qualiter propter hominem, tum univerſum condiderit, tum carnem noſtram aſſumpſerit, ut videri poteſt per totum tractatum de erroribus Albailardi, totamq; vitem myſticam, ad quos benevolum Lectorem remitto, addendo tamen duo alia loca, unum ex ſerm. 3. in die Pentecoſtes, ubi ait: *Tria in magno hujus mundi opere cognitare debemus, videlicet quid ſit, quomodò ſit, ad quid ſit conſtitutus. Et in eſſe quidem rerum inæſtimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice ſint creata. Sanè in modo ipſa Sapientia ſingularis elucet, quòd hæc quidem ſurſum, hæc verò deorſum, hæc in medio ordinatiſsime ſint locata. Si verò ad quid factus ſit, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratiſsimos quoq; multitudine & magnitudine beneficiorum poſsit obruere. Omnia fecit propter ſemetipſum gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos ſuos, pro eorum ſcilicet utilitate, ut illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finis.* Ergò Deus ex mente Bernardi omnia fecit propter cauſam finalem, quod clarè etiam oſtendit epiſtolâ 87. ubi docet, ex particulari ſuo judicio evenire, ut mala multa permittat, quia ea in bonum finem dirigere novit, ſic enim hortatur: *Dic, malum quidem egi, ſed factum eſt, & jam non poteſt non fieri. Quis ſcit, ſi mihi hoc Deus expedire providerit, & de malo meo, ipſe, qui eſt bonus, bonum mihi operari voluerit? Malum ergò puniat, quod ego feci, bonum autem maneat quod ipſe providit. Noſtris quidem inordinatis, ſeu voluntatibus, ſeu actionibus novit bonitas Dei uti, ſemper rectè in ſui ordinis pulchritudinem, ſæpè etiam piè in noſtram utilitatem. O clementiſsima circa filios Adæ divinæ pietatis recordatio, quæ ſua non deſinit largiri beneficia, non ſolùm ubi nullum invenit meritum, ſed plerumq; etiam ubi totum videt contrarium;* Sed iſta Deus non faceret, niſi ageret ex electione & fine, qui enim temerè agit, talia ordina-

ordinare nequit, quarè etiam totius Conclusionis probatio in hoc solùm consistit, quòd Deus agat liberè & rationabiliter; ergò Deus agit propter finem.

VI. Dices: Quod agit propter finem, debet ab eo moveri, sed Deus à nullo potest moveri, ergò Deus nequit agere propter finem. probatur mi. tum quia quod movetur ab alio, debet se nunc aliter habere, quod in Deo repugnat, tum, quia si esset aliquid maximè ejus gloriæ, & perfectionum manifestatio, hæc non sunt, ergò. R. dist. ma. debet moveri ab alio cum imperfectione, nego ma. à se ipso principaliter sive imperfectione & motione impropriè dictâ: concedo ma. & distingvo similiter mi. & consequentiam.

Instabis: Illa Gloriæ & perfectionum manifestatio nil Deo confert; Ergò. R. dist. ant. Nihil Deo confert intrinsecè, concedo: in genere morum, nego ant. Itaquè illa manifestatio cùm sit actualis DEI, tanquam summi boni, reverentia & contestatio, sufficiens est, ut possit movere, ut gratiâ ejus aliquid fiat.

VII. Dico 2. *Animantia irrationalia agunt propter finem, sed non propriè.* Hæc est communior. Et

Bruta agunt propter finem.

Probatur 1. p. Ideò homo agit propter finem, quia habet intellectum, per quem discurrere possit, comparare, & liberè se movere, sed animantia irrationalia etiam habent aliquam vim, unum quasi ex alio inferendi cum aliqua libertate, ergò etiam bruta animantia agere possunt propter finem: probatur mi. quia libertas in homine ideò colligitur, quia terretur pœnis, & provocatur præmiis, sed etiam sic bruta terrentur, & provocantur, nam si cani panem monstres, ad te accedit, si baculum, fugiet, ergò.

VIII. Probatur 2. eadem pars: Magis agunt bruta animantia propter finem quàm insensibilia, sed hæc agunt impropriè, in quantum subsunt supremo Dei dominio, & intentioni Authoris naturæ, ergò animantia etiam agent propter finem, saltem propriè & modo imperfecto.

IX. Probatur tertiò: Quia, secundùm Aristotelem & etiam experientiam, bruta animantia habeant memoriam, sed quæ memoriam habent, unum cum alio conferre possunt, ergò etiam bruta hoc poterunt: ma. patet, quia canis cognoscit suum Dominum & Benefactorem, eique blanditur, inimicum verò & percussorem fugit & allatrat etiam longo elapso tempore ab injuria illata. probatur etiam mi. quia non recordatur aliquis rei alicujus, nisi unum conferendo cum altero, ergò, si habent memoriam, habent vim conferendi; quarè subsumo, sed ut aliquid agat propter finem, nihil aliud requiritur, nisi quòd possit comparare media cum fine. ergò.

Probatur tertiò eadem pars X. multis experientiis: Nam, ut dicit D. Thomas: *Avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia utilis est ad nidificandum.* Erinaceus in globum se convolvit rotundum, ut volutando se poma, aliosquè fructus aculeis configere & in foveam deportare possit; Araneus texit telas, easquè hincinde expandit sese abscondendo in angulo, aut caveo ea, ne à muscis, quibus insidiatur, conspici possit. Apri in bitumine se volutant, ut ingentem crustam super se induant, aut ut arceant frigora, aut se invulnerabiles reddi posse putant. Canes laborantes, herbam vorant, ut sese expurgent: Cervi ad vias pariunt, ut ab aliis animantibus capacibus, vias hominum declinantibus, partus celent, vulnerati, aut veneno hausto dictamnum quærunt &c. Mitto gesticulationes & actiones Simiarum, historiasquè de Elephantibus, quæ omnia certè deducunt, animantia habere finem, quarè hæc & similia faciunt. Nolo tamen dicere, quòd formaliter ex cognitione finis operentur, sed tantùm materialiter, id est, ea secundùm materiam faciendo, qua ad finem inservirent.

Quarè probatur altera pars Conclusionis, scilicèt, quòd non agant propter finem propriè, tùm ex Authoritate Divi Augustini lib. 3. Trinit. cap. 3. ubi ait: *Jumenta non ideò movere membra sub sarcinis, quòd aliquid de illo opere cogitarent, sed naturali appetitu suæ voluptatis, & devitatione molestiæ.* Et clarissimè ex D. Bernardo. in Cant. serm. 81. ubi docet: *Propterea, quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia, sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent, quo se judicent, sive regant, sed nè instrumentum quidem judicii, id est rationem, inde est, quòd non judicantur, quia non judicant, quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?* Ratio etiam est, quia per cognitionem illam materialem & sensitivam, suprà probatam, non possunt unum cum alio formaliter conferre in ratione finis & mediorum, nec discernere, quodnam sit conveniens propter se, vel propter aliud, ideoquè non possunt dici, formaliter agere propter finem. Deinde videtur inconceptile dicere, quòd formica hâc æstate nata, in Autumno jam habeat virtutem providendi hyemem, ut propter eam congreget grana in cumulum, cùm nunquam antecedentèr viderit, vel experta fuerit hyemem, ergò signum est, quòd non ex fine formaliter cognito hæc agat, sed ex puro naturæ instinctu. Et sic facilè solvuntur, quæ ab Adversariis congeri possunt contra primam partem, quia hæc posterior eam totaliter limitat.

DISPUTATIO VIII.
DE CAUSA INSTRUMENTALI ET EXEMPLARI.

QUÆSTIO I.
De Causa Instrumentali.

I. *Instrumentum variè sumitur.*

Plurima fusè tradunt aliqui de his duabus causis, ego tamen pro fine hujus libri secundi ea brevibus expediam. Itaquè Notandum, *Instrumentum* multiplicitèr accipi posse, *primò* pro omni causa, quæ essentialitèr dependet ab alia superiori in operando, & hoc sensu quælibet causa creata instrumentum Dei vocari potest, & debet. Secundò sumitur pro eo, quod est pars totius, & cui competit esse principium operationis, & toti, non nisi ratione partis, & sic Philosophus 2. de Anima. t. 16. sumit nomen *Instrumenti* dum ait: *Organum sensuum esse instrumenta.* Verùm in his acceptionibus hic non agitur de instrumento. Quarè tertiò sumitur pro eo, quod inservit principali agenti ad producendum terminum per se ab eo intentum. Estquè triplex: *Supernaturale, naturale & artificiale*: *Supernaturale* seu morale dicitur illud, quod inservit agenti supernaturali, ex mera dispositione & ordinatione divina, sic sacramenta dicuntur Instrumenta gratiæ. *Naturale est*, quod naturali agenti famulatur ad aliquod opus naturale producendum, disponendo subjectum virtute propriâ, non tamen attingendo ipsum immediatè, sic calor est instrumentum ignis ad producendum alium ignem. *Instrumentum artificiale*, quod etiam propriè tale dicitur, à quo etiam nomen Instrumenti derivatum est, illud est, quod inservit principali agenti ad aliud opus artificiale efficiendum, non tantùm per virtutem aliquam innatam, sed etiam per aliquod receptum ab extrinseco, sic malleus, serra, &c. dicuntur instrumenta, & inserviunt Artifici non tantùm per propriam duritiem, gravitatem, &c. sed etiam per actualem motionem agentis. De Instrumento ergò in hoc sensu posteriotis acceptionis, prout naturale & artificiale complectitur, Quæritur primò: An sit activum, & quomodò? Secundò: Quomodo distinguatur à principali agente? & Tertiò, ad quod genus causæ reduci debeat? Ad primum

Proprium est triplex supernaturale, naturale & artificiale.

II. *Instrumentum, quod activum est, non attingit terminum princip. agentis.*

Dico 1. *Non omne Instrumentum esse activum, illud autem, quod est activum, non potest attingere terminum principalis agentis.* Ita Doctor, & Scotistæ communiter contra Thomistas & Recentiores.

Probatur 1. p. Calamus est instrumentum scriptorum, sed certum est, quòd concurrat ad scribendum ratione figuræ tantùm, talis, vel talis quantitatis, absquè ulla activitate præter illam, quam habet ad expellendum aërem, aut aliud corpus à loco, per quem transit, ergò. Præterea fistula organica ratione figuræ, ac quantitatis admittit tantum aëris, & non plus, & impedit, quò minùs progrediatur alio modo juxta concavitatem suam, nec habet aliam causalitatem, respectu soni causati; & si discurramus per omnia instrumenta artificialia, videbimus nullam activitatem, præter quantitatem & figuram, ergò omne instrumentum non est activum.

Probatur 2. pars: Accidentia omnia sunt causæ instrumentales naturales, verbi gratiâ, calor respectu ignis, &c. sed calor, licèt sit activus, non potest tamen attingere terminum principalis agentis, ergò instrumenta, quæ activa sunt, non attingunt tamen principalis agentis terminum; probatur mi. quia nullum accidens, nec in virtute propria, nec in virtute substantiæ potest producere substantiam, ut visum est suprà, & probatum, sed terminus ignis est ignis, ergò non potest calor eum attingere.

Dices: Si Instrumenta artificialia non haberent activitatem, non esset ratio, cur certa Instrumenta assumerentur ad causandum hunc potiùs effectum, quàm alium, sed hoc est contra experientiam, ergò. probatur sequela, quod in se nullam activitatem habet, non potest assumi ad aliquem effectum producendum, ergò si non agit, non est ratio, quarè unum potiùs adhibeatur, quàm alterum. Rò negando ma. cum sua probatione, Quia, licèt aliquid à se non sit activum, potest tamen habere aliquas conditiones, verbi gratiâ, acutiem, duritiem, ratione quarum potest moveri à causa principali ad causandum instrumentalitèr effectum, quatenùs scilicet ratione talium accidentium competit ipsi instrumento expellere aliud formalitèr à loco.

Ex his facilè deducitur, quomodò distingvatur à principali agente? scilicet, quòd causa instrumentalis non attingat effectum principalis causæ, sed tantùm aliquas dispositiones: si tamen videtur aliquando attingere, hoc non facit effectivè, sed formalitèr, expellendo aliud à loco modo suprà explicato, sic, verbi gratiâ, licèt ex motu serræ fiat, ut partes ligni sectæ occupent alium locum, sed tamen hoc est per accidens ad sectionem. Ad certum

III. *Refutatur quædam opinio.*

IV.

Dico 2. *Instrumentum reduci debet ad genus causæ efficientis.* Probatur: Quia non potest reduci ad genus causæ finalis, ut patet, nec materialis, cùm nullum sit subjectum, nec formalis, quia hæc communicat seipsam effectui, Instrumentum minimè, nec etiam exemplaris, & præterea nullum aliud est genus, ergò.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Causa Exemplari.

Exemplar, secundùm Aristotelem 10. Metaph. cap. 47. t. 32. *Est illud, in quo agens, vel operans inspiciendo agit & operatur.* Est autèm duplex *internum & externum. Externum* est illud, quod sibi ante oculos Artifex ponit, verbi gratiâ, pictor picturam, ad ejus imitationem pingendo imaginem: *Internum* est illud, quod sibi artifex in mente efformat, ut ad illius similitudinem ad extrà aliquid efformet. Hoc præmisso

II. Dicit alia. Dico 1. *Exemplar Est id, quod respicit causa efficiens, ut ad ejus similitudinem producat effectum.* Hæc in re est communis, &

Probatur, quòd sit bona, quia sufficienter declarat naturam exemplaris, dicitur, *quod respicit causa efficiens*, seu artifex, dum operatur, in quo convenit cum fine; dicitur, *ut ad ejus similitudinem &c.* in quo à fine distinguitur. Difficultas unica est, in quo nam consistat ratio exemplaris, an conceptu objectivo? vel an in formali? Primum affirmant Scotistæ cum Doctore 1. d. 35. quos sequitur Occhamus, secundum Thomistæ cum suo Principe D. Thoma, verùm tamen

III. Similar mihi communis sententia. Dico 2. *Exemplar non est conceptus formalis, quem agens habet, sed conceptus objectivus.* Ita prima sententia.

Probatur primò: Ex Philosopho 7. Met. t. 26. Secundò ex ratione: Illud est exemplar operis faciendi, quod agens respicit, & intuetur, dum operatur, sed patet ab experientia, quod non respiciat suam cognitionem, sed objectum aliquod aliud, ergò illud objectum, quod etiam vocatur conceptus objectivus, erit exemplar. Confirmatur: Quia pictor sensibiliter respicit ipsum prototypon, non verò suam cognitionem, dum pingit, ergò. Nec obstat Responsio Suarii agens posse respicere cognitionem per cognitionem reflexam, & sic operari ad imitationem ipsius: Quia experientiâ constat, si quis reflectat super se, dum agit exemplariter, quòd non producat effectum ad similitudinem cognitionis suæ, sed ad similitudinem objecti per cognitionem repræsentati. ergò. Sed principale fundamentum adferendo pro Contra: Sent:

IV. Dices: Si exemplar est conceptus objectivus, vel est eadem res, quæ fit ad extrà, vel alia distincta? Non primum, quia tunc idem esset exemplar, & ad exemplar factum: nec etiam secundum, quia sæpè non habet aliquis aliam rem propositam, quàm faciendam, ergò. R. esse rem ut cognitam, nec implicat idem esse exemplar, & ad similitudinem exemplaris factum, sicut non implicat idem esse finem moventem, & terminum productum, ut suprà dicebamus, quia objectum ut cognitum & ut futurum potest dirigere in seipsum actionem, ut ad esse reale, & reale, quoniam hæc causalitas non est, nisi moralis & metaphorica, quemadmodùm etiam de fine dixi suprà, ad quæ conformitèr etiam hic responderi potest. Sed

Dices adhuc, De ratione exemplaris est, V. dirigere & regulare artificem, sed hoc convenit conceptui formali, ergò. probatur mi. quia cognitio formalis est imago expressa, quæ ostendit rem & modum artifici. ergò. R. negando mi. ad cujus probationem dico, inde tantùm sequi, cognitionem esse exemplar formale, non verò objectivum, quia artifex, dum operatur, non respicit illam, sed ipsum exemplar, ad cujus imitationem pingit.

Dico 3. *Exemplar ad causam efficientem reduci debet.* Ita Doctor 1. d. 36. q. 6. n. 5. cum suis. VI.

Probatur, id, sine quo efficiens non est causa completa, debet reduci ad efficiens tanquam aliquid ejus, sed sine causa exemplari efficiens artificialitèr non est causa completa, ergò. probatur mi. tum, quia Philosophus 7. Met. t. 33. dicit: agentia naturalia producere sibi simile per formam, artificialia per exemplar: tum, quia artifex sine exemplari nihil producere potest. Confirmatur: Agens naturale completur in ratione principii per formam naturalem, ergò agens artificiale debet compleri per exemplar, ergò, sicut agens naturale per formam non est aliud ab efficiente, ita nec agens artificialitèr est aliud ab exemplari.

Dices: Ex Confirmatione & veritate VII. Illud, per quod agens naturale completur, est forma, sed artificiale completur per exemplar, ergò exemplar ad formam, seu causam formalem reduci debet. R. dist. ant. Forma, prout habet rationem causæ formalis, nego ant. prout determinat agens, verbi gratiâ, ignem forma ignis ad producendum alium ignem, concedo ant. & similitèr distingvo consequens, & nego consequentiam. Unde, sicut forma ignis non reducitur ad causam formalem alterius ignis producti, sic nec exemplar debet reduci; Si tamen aliquis vellet dicere, exemplar esse causam formalem in quantum ad ejus similitudinem aliquid efficitur, excitabit quæstionem de nomine.

Hinc etiam infertur, actionem causæ VIII. exemplaris non esse distinctam ab ipsa actione reali efficientis saltem realitèr, quidquid sit, utrum formalitèr, quia causa efficiens producit effectum exemplaritèr, modò exemplar maneat objectivè coram agente regulando, & determinando illud ad producendum talem effectum potiùs, quàm alium, verbi gratiâ, statuam potiùs, quàm campanam.

Quæres: Quænam agentia agant exemplaritèr? Ante resolutionem notandum, quod exemplar alio nomine vocetur idea, ita ut in Scholis exemplar & idea pro Synonimis usurpentur. In qua suppositione Respondeo & IX.

Dico 4. *Deum super omnia benedictum agere idealitèr.* Ita nostrorum Doctorum Trinitas, Nam inprimis Divus Augustinus, lib. 83. q. q. 46. ait: *Ideam esse exemplar* X. *Deus agit exemplaritèr.*

æternum & incommutabile in mente divina, secundùm quod quælibet res à Deo formalis est, antequam formetur: Unde postmodùm subdit: Restat, ut omnia ratione sint condita: singula igitur propriis creata sunt rationibus, has autem rationes (ideas) ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat. Similia habet D. Bernardus in tractatu: de vita solit. cap. ult. prope finem: Credendus est Deus immutabilis, mutabilia omnia immutabiliter faciens, intelligens & creans omnem intellectum & intelligentem, sapientia faciens omnem sapientem, veritas fixa, stans, indeclinabilis, ex qua vera sunt omnia, quæ vera sunt, in qua sunt æternaliter rationes (ideæ) rerum omnium evenientium temporaliter. Et clarissimè probat Subtilis 1. d. 35. q. 12. sic: Deus omnia causat, vel causare potest, non irrationabiliter, ergò rationabiliter, igitur habet rationem, secundùm quam format, non autem eandem omnium, ergò singula propriis rationibus, non autem rationibus extrà se, quia non eget in efficiendo aliquo alio à se, igitur rationibus in mente sua, nihil autem est in mente sua, nisi incommutabile, ergò omne formabile potest formare, secundùm rationem propriam sibi æternam in mente sua, nihil autèm ponitur in mente sua, nisi ideæ. Ratio pro his desumitur ex superioribus.

Bruta non agunt propriè exemplariter.

Bruta animantia, sicut propriè non agunt propter finem, ita etiam non agunt propriè & perfectè per exemplar, hinc, licèt simiæ exactè imitentur actiones humanas, quia tamen non discernunt sufficienter media, nec cognoscunt finem formaliter, ideoquè non agunt, ob defectum perfectæ cognitionis exemplaritèr. Insensibilia verò, quàmvis effectus sibi similes ex toto proferant: ut flores & arbores simillima folia, nihilominùs exemplaritèr non agunt, defectu præviæ cognitionis, nisi velis dicere, agere impropriè, in quantum subsunt ideæ divinæ; à qua omnis illorum actio dependet, non inficiabor, nam sic pariter dixi suprà, inanimata agere propter finem, in quantum subsunt intentioni Causæ primæ.

QUÆSTIO III.

De Fortuna, Casu, Fato & Monstro.

I. Pro complemento hujus libri addendum duxi examen causarum per accidens, idquè Laconicè, eò, quòd materia hæc fusiorem tractationem non exigit; antiquitùs tamen circa ista fuêre varii Philosophorum errores, quos optimè redarguit S. Augustinus 4. de Civitate. cap. 18. quorum enarratione omissa, ad solvendam per partes quæstionem procedo &

II. *Describitur fortuna.*

Dico 1. *Fortuna nihil aliud est, quàm causa per accidens, in iis, quæ ex electione agunt.* Ita communis: & explicatur Dicitur *causa*, quia aliquomodo est principium, à quo provenit effectus fortuitus, qui etiam aliquando *fortuna* vocatur, sicut apud Aristotelem res producta & acta *actio* dicitur, translato nomine causæ ad effectum. Dicitur *in iis, quæ ex electione agunt*, quia non omnis causa per accidens est fortuna, sed sola causa libera, quæ dicitur fortuna, quando ad actionem ejus intendentis per se aliquem effectum, alius, quem non intendebat, sequitur, aut si intendebatur, non habeat necessariam connexionem, sed merè accidentalem cum actione causæ, ut si quis fodiendo terram ad plantandam arborem, aut seminandum granum, inveniat thesaurum, aut si quis intendat lucrari & lucretur.

III. *Divisio.*

Dico 2. *Casus in strictiore acceptione est causa per accidens eorum, quæ non agunt ex electione*, est Philosophi hîc. Et patet ex superiori explicatione, per hoc autèm, quod additur *eorum, quæ non agunt ex electione*, distinguitur sufficienter à fortuna, & talis casus esset, si canis quærens domini chyrothecam perditam, vel projectam ut eam reportet, portaret marsupium aureis plenum, vel gallina terram radens, ut granum inveniat, reperiret gemmam &c. Ex quo deduco, Casum se habere ad fortunam, veluti aliquid superius, & fortunam posse aliquomodo speciem casûs dici.

Dico 3. *Fatum est ordo causarum secundarum producentium suos effectus secundùm infallibilem providentiam & dispositionem suavissimam Dei.* Hæc est contra Antiquos Philosophos, qui gravissimè in hac materia errârunt, nam aliqui dixerunt, esse astrorum constitutionem, & influxum necessitantem hæc inferiora, alium esse necessarium ordinem causarum secundarum sine dependentia ad Causam Primam, alii esse aliquam causam necessariam & inevitabilem: Hinc Sanctus Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 1. ait: *Prorsus divinâ providentiâ regna constituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quin ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine compellat, sententiam teneat, linguam corrigat.* & cap. 9. *Nos adversus istos sacrilegos ausus atq; impios, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, & voluntate nos facere, quidquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & novimus: Omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, ubi solet à loquentibus poni, est in constitutione siderum, quâ quisq; conceptus, aut natus est (quoniam res ipsa inaniter asseritur) nihil valere monstramus. Ordinem autem causarum ubi voluntas Dei plurimum potest, neq; negamus, neq; fati vocabulo nuncupamus, non enim abnuere possumus scriptum in litteris sanctis, semel locutus est Deus &c. Quod enim dictum est, semel locutus est, intelligitur immobiliter, hoc incommutabiliter est locutus, sicut novit omnia incommutabiliter, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Hâc itaq; ratione possemus à fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in aliare soleret intelligi, quò corda hominum nolumus inclinari.* Sic quoq; D. Bernardus epistolâ 255. docet: *Regna & jura Regnorum tunc sanè sana suis Dominis atq; illæsa persistunt, si Divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt.* & epist. 279. Comitem Henricum alloquens & à Deo omnia Regna & principatus esse ostendens ait: *Ad hoc te constituit Principem super terram Princeps Regum terræ, ut sub eo & pro eo bonos foveas, malos coerceas, pauperes defendas, facias judicium injuriam patientibus, si hæc facis, opus Principis facis & spes est, ut Deus tuum dilatare & roborare debeat Principatum, si non*

si non, timendum tibi, ne hoc ipsum, quod videris habere honoris & potestatis, auferatur (quod absit) à te. Vide, quomodò dispositioni divinæ Regna subesse asserit, & non ex alicujus fati necessitate, & inevitabili eventu.

V. Definitur monstrum.

DICO 4. *Monstrum est effectus naturalis à recta solitaq; dispositione, secundùm speciei perfectionem degenerans.* Hæc paritèr est communis. Dicitur *Effectus naturalis*, quia monstra tantùm reperiuntur, propriè loquendo in naturalibus, quarè effectus artis à regulis suis deficientes, non dicuntur monstra propriè, sed analogicè: dicitur *à recta solitaq; dispositione*, quia omne monstrum deflectit à lege per naturam constituta; dico particulariter & signanter, secundùm *speciei perfectionem*, & non *secundùm speciem* simpliciter, quia existimo, quòd quoque monstrum censeri debeat omne illud, quod etiam in integris regionibus, & provinciis ordinariè evenit, contra plures alios, qui putant pigmæos inillis provinciis, ubi dari dicuntur, & strumatos in Styria, Carinthia, Tiroli &c. monstrosos non esse, ex eo, quòd ordinarie id eveniat, nam sic clarè docere videtur Divus Augustinus, Lib. 16. de Civit. cap. 8. ubi hæc refert: *Quæritur, utrum ex illo uno homine* (Adamo) *propagata esse, credendum sit, quædam monstruosa hominum genera, quæ Gentium narrat historia? sicut perhibentur quidem, unum habere oculum in fronte media; quibusdam plantas versas esse post crura. Quibusdam utriusq; sexûs esse naturam: & dextram mammam virilem, sinistram muliebrem, vicibusq; alternis coeundo & gignere & parere: Alios ora non esse, eosq; per nares tantummodò suscepto, & emisso halitu vivere: Alios staturâ esse cubitales, quos pigmæos à cubito Græci vocant: Alibi quinquennes concipere fœminas, & octavum vitæ annum non excedere. Item ferunt, esse gentem, ubi singula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt & mirabilis sunt celeritatis, quos Sciopodas vocant, quòd per æstum in terra jacentes resupini, umbrâ se pedum protegant. Quosdam sine cervice habere oculos in humeris & cætera hominum, vel quasi hominum genera, quæ in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt ex libris deprompta veluti curiosiores historiæ. Quid dicam de Cynocephalis, quorum canina capita atq; ipse latratus magis bestias, quam homines profitetur. Qualis autem ratio redditur de monstrosis apud nos hominum partubus, talis de quibusdam monstrosis gentibus reddi potest.* Hæc Augustinus: Ego autèm ex posterioribus verbis sic subsumo: sed demonstrosis hominum partubus, quòd monstra sint, redditur ratio, quia à solita & consueta lege naturæ deviant & degenerant: hæc autèm ratio etiam reddi potest de integris nationibus; ergò dicendum paritèr monstra esse: probatur min. quia quemadmodùm unus homo se habet ad aliquam totam communitatem & totum regnum, ita se habet una natio ad totum universum, sed si unus homo in aliquo regno, vel provincia à solita debitaq; lege naturæ degeneret, dicitur monstrum; ergò etiam si aliqua integra natio degeneret secundùm speciei humanæ perfectionem debitam, monstrosa dici debebit.

VI. *Causæ ob quas monstra generantur.*

MULTÆ sunt causæ, cur monstra generentur: Primò etenim hoc evenit vel ex defectu, vel ex abundantia materiæ: Secundò ex indispositione primarum qualitatum: Tertiò ex indispositione secundinæ, in qua fœtus continetur dum est in utero: Quartò ex debilitate virtutis productricis: Quintò ex influxu astrorum & temperamento regionum: Sextò ex livida & maligna aliqua imaginatione, scribit enim Avicenna Gallinam incubantem ovis, aspectu perterritam edidisse pullos milvino capite: Et ego ipse hominem vidi sex digitalem, ita, ut pollex dexter formam forcipum cancri ex toto exprimeret, cujus defectûs, mater, quam paritèr novi, ansam præbuit ex contemplatione cujusdam cancri, rarioris magnitudinis, & illam fortem imaginationem, tenacemque specierum impressionem causam fuisse, tum ipsa fœmina sæpè confessa est, tum inde liquet, quòd si quando que in aliis digitus superfluat aliquis, quòd non exprimat præfatam figuram, sed habeat se potiùs per modum ramusculi ex alio digito prominentis, ut etiam vidi, in Conterranea quadam.

VII. *Monstrum non intenditur à natura.*

DICO 5. *Monstrum non intenditur à natura primariò, sed secundariò, quatenùs cùm non possit assequi finem perfectum, ipsum imperfectum quærit producere, Deus tamen ea primariò quandoq; intendere potest propter multa emolumenta, quæ tum ad correctionem hominum, tum ad pulchritudinis exhibitionem, tum ob alios fines, secundùm ordinatissimam suam præscientiam.*

Semper tamen ad majorem Gloriam in quam cedat etiam hoc opus, & hic labor Libri secundi Physicorum.

LIBER III.
DE MOTU.

ABsolutis & declaratis Principiis, naturâ, causisq; corporis naturalis aggreditur Aristoteles ad principaliorem ejus affectionem & proprietatem explicandam, quòd etiam præstat tam in hoc, quàm in quinto & septimo Libro, ita quòd magis Aristotelicè fieret, si etiam disputando in hanc materiam in plures divideretur tractatus, verùm, licèt conatus sim semper methodum ejus imitari, puto tamen materiæ unitatem ab obligatione hac dispensaturam, ut omne illud, quod de motu sparsim docet, hic collectim examinetur, quod etiam unicâ præstabo disputatione. Sit igitur

DISPUTATIO UNICA.
DE MOTU.

QUÆSTIO I.
Quid sit Motus?

I. *Triplex circumfertur definitio motûs.*

In Motûs descriptione & definitione exactam adhibuisse diligentiam monstrat earundem pluralitas, triplex enim fertur communitèr proposita ab eo, quæ, cùm non nisi terminis inter se differant, explicandi se, motûsq; notionem cupiditate factum esse credendum est: Primam itaque proponit cap. 2. hîc t. 6. *Quòd sit actus entis in potentia, prout in potentia est*, secundùm communiorem versionem, quam alii sic vertunt, *quòd sit actus ejus, quod in potestate est, quatenùs tale est*. Secundam in eodem cap. t. 16. *Motus est actus ejus rei, quæ vim habet, ut moveatur, quatenùs eam vim habet*, seu: *motus est actus mobilis, ut mobile est*. Tertiam verò tradit cap. 3. t. 36. dicens: *Motus est actus ejus, quod agere & pati potest, quatenùs tale est*. Circa quas definitiones electio est, quænam amplecti posit & debeat? fateor omnes valere, sed primam, præcisè propter hoc, quod sic ab aliis fiat ordinariè, tenendam, quarè

II. *Acceptatur prima.*

Dico 1. *Prima definitio suprà posita describit benè motum.* Hæc nulla indiget probatione benè sedulâ explicatione, quam secundùm aliorum captum faciam. Dicitur itaque quòd motus sit *Actus*, qui rationem generis habet, significatq; ipsam actualem actuationem, per quam in subjecto recipitur aliqua forma, quarè etiam dicitur actus imperfectus, ex eo, quòd de se respiciat adhuc aliam formam per modum termini perfectivi, hinc t. 6. sup. cit. Aristoteles: *Ejus quidem, quod potentiâ existit actu, quatenùs hujusmodi motus est, ut alterabilis quidem, quatenùs alterabile, alteratio* &c. t. 11. *Ædificabilis actus, quatenùs ædificabile, ædificatio*: &. 5 Phy. t. 5. *Non est albedo motus, sed dealbatio.*

Dices: Exemplaria Græca, ubi nostra versio habet actus, habent *endelechia*, sed *endelechia* significat idem, quod actum perfectum; ergò motus non erit actus imperfectus. R. 1. Græca non æqualitèr habent loco actûs *endelechia*, nam quædam habent *Energia*, ut vertit Simplicius, *Energia* autèm significat actum imperfectum. Deinde respondeo secundò, *Endelechiam* propriè sumptam significare actum perfectum, non tamen si sumatur in paulò laxiori acceptione, nam sic potest sumi tam pro actu perfecto, quàm imperfecto, nec hoc novum videri debet, nam generatio, quæ est via ad naturam 2. Phys. t. 14. vocatur ipsa natura, sic motus, qui est ipsa forma, acquisitio, *Endelechia* vocari potest. Tertiò: Motus non est actus simplicitèr imperfectus, sed tantùm secundùm quid. Imò etiam perfectus absolutè dici potest tunc, quando jam denominat subjectum ultimatè actuatum, per formam, tanquam per terminum, postquàm cessat illa via & tendentia, in quo statu subjectum dicitur esse subesse quieto, nam, ut vulgò dicitur, præsentibus habitibus cessat motus.

Altera particula in definitione est *tò Ens tûs in potentia*, id est, subjecti potentis formam recipere, ad quam est motus. In hac particula signanter dixit Aristoteles *entis* & non *corporis*, cum

tum, quia ad multa & in multis datur motus, quæ corpora non sunt, ut est materia prima, quæ movetur ad formam substantialem, &c.

V. Dices: Implicat, ut aliquid sit actus & etiam sit in potentia; ergò, si motus est actus, non potest esse entis in potentia. Respondeo negando ant. Nam idem, quod est in actu, potest esse in potentia simul sub diversa ratione, sic aqua dicitur sub actu frigoris, dum frigida est, & tamen est in potentia quoque, ut sit calida, deinde respectu diversorum temporum, Quando autem motus dicitur actus entis in potentia, non intelligitur actus perfectus, respectu cujus est in potentia, sed actus imperfectus, qui est via & tendentia, formalisque acquisitio actûs perfecti.

VI. Ultima particula exprimit rationem formalem ipsius motûs, ita ac si diceret: motus est actus entis in potentia, quatenùs est in potentia, ut si quis diceret: Calefactio est actus ligni calefactibilis non quatenùs est lignum, sed quatenùs est calefactibile, id est, in quantùm potest calefieri, ac per hoc bene exprimitur terminus *ad quem* est motus, sicut per priorem particulam exprimebatur terminus *a quo*, seu privatio calefactionis præcedens, nam cùm motus sit relatio formaliter, non potuit melius explicari, quàm per ordinem ad sua extrema, sicut quicunque alius respectus. Sed in contrà

VII. Arguitur: Si motus esset actus mobilis, mobile esset in potentia ad ipsum, omne enim perfectibile & determinabile per aliquem actum, est in potentia ad illum actum, quia potest determinari per illum, sed si in potentia est ad illum, potest moveri ad ipsum, & sic ad motum dabitur motus, & sic processus in infinitum, quod absurdum est; ergo motus non erit actus mobilis. R. dist. minorem pro prima parte, potest moveri ad ipsum per alium motum, nego min. seipso, concedo mi. pro prima parte, & nego eandem pro secunda cum consequentia. Itaque sicut agens principiat actionem, non per aliam actionem distinctam, quia actio seipsa egreditur ab illo, ita etiam mobile movetur ad motum, non per alium motum, sed per ipsummet motum, quo movetur.

Instatur: Si mobile movetur ad motum seipso; ergò etiam seipso actuatur, & non per aliam formam, probatur sequela, quia omne mobile actuatur per actum, sed motus est actus; ergò etiam actuatur per ipsum. R. dist. sequelam; actuatur seipso per motum egredientem actuatione propriè dictâ, nego sequelam: actione impropriè dictâ, concedo sequelam, similiter distinguo majorem & minorem probationis, & nego consequentiam.

Urgetur: Omnis actus propriè actuat, sicut omnis potentia constituit aliquid in esse potentiæ & subjecti, sed motus est actus; ergò propriè actuat. Verùm respondeo dist. ma. omnis actus perfectus, & completus propriè actuat, concedo ma. omnis actus imperfectus & incompletus, nego ma. & distinguo similiter min. Motus est actus perfectus & completus, nego mi. incompletus & imperfectus, concedo mi. & nego consequentiam. Itaque omnis actus perfectus & completus, qui cum forma convertitur, perfectè actuat, non verò incompletus, qualis est quicunque respectus rationis & motus, hi etenim non actuant, nisi formaliter, id est, in quantum sunt rationes formales ponendi formam completam in subjecto, quod erat capax recipiendi formam.

VIII. Hucusque Aristotelis expendi definitionem, quia tamen ex illa non sufficientèr liquet, quid nam ille actus entis in potentia, prout in potentia est, dicat, operæ pretium est, illud quoque examinare, & quidem Authores fusas desuper instituunt disputationes, diversasque adferunt opiniones, quibus omnibus omissis, veluti ad rem non ita pertinentibus

IX. Dico 2. *Motus Physicus formaliter sumptus est acquisitio formæ, ejusq; successio in subjecto post terminum à quo, ad terminum ad quem.* Ita Doctor 4. d. 11. q. 1. & d. 43. q. 1. quem sequuntur sui communiter & plures alii.

Motus Physicus formaliter est acquisitio.

Probatur Conclusio primò, Authoritate tum Divi Bernardi, Sermon 81. in Cant. ubi ait: *Omne enim, quod mutatur* (supple est) *dum de uno ad aliud transit*, similia habet D. Gregorius 5. Moralium, ubi ait. *Mutari esse, ex alio in aliud ire*, sed per transitum nihil aliud intelligitur, nisi successio, per ly *de uno* terminus *a quo*; per ly *ad aliud* verò, terminus *ad quem*; ergò motus formaliter aliud non dicit, quàm successionem post terminum *à quo*, ad terminum *ad quem*: tum Aristotelis, qui 6. Physicor. 32. ait. mutari aliud non esse, quàm aliter se habere nunc, quàm priùs: Nec refert, quòd non omnis mutatio motus sit Physicus, quia omnis motus mutatio tamen est.

X. Probatur etiam ratione, tum, quia mobile tunc dicitur formaliter moveri, quando post terminum *a quo* succedit terminus *ad quem*; ergò motus non est aliud, quàm talis successio: Tum, quia nihil aliud congruentiùs assignari potest, ergò: probatur ant. quia illud deberet esse vel ipsa forma, vel forma cum acquisitione simul, neutrum est: ergò: ma. est Adversariorum plurium, penes alios dicendi modos, probatur min. quoad primam partem, tum, quia forma est illa, quæ acquiritur per motum, tum, quia motus dividitur in instantaneum & successivum, velocem & tardum, sed forma non sic dividitur, ergò. Neque secundum, quia forma cum acquisitione est aliquod unum per accidens; ergò motus non potest pro formali dicere utrumque.

XI. Dixi in Conclusione notanter: *Motus Physicus*, qualem intelligo eum esse, qui fit connaturaliter per causas secundas, quia motus, qui fieret supernaturaliter per Deum, non requirit successionem in subjecto, sed præcisè successionem post terminum *à quo*, ad terminum *ad quem*. Item dixi: *formaliter sumptus*, quia si motus materialiter & fundamentaliter sumatur, tunc verum est, quòd importet ipsam formam, quæ per motum formalem acquiritur, per quæ, si benè notata fuerint, solvi poterunt multæ objectiones tam ex Authoritate, quàm ex ratione. Sed in contrà

Arguitur:

XII. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Nulla passio corporis naturalis potest esse relatio, sed successio illa post terminum *à quo* ad terminum *ad quem* est relatio; ergò motus, quia est prima & principalis passio corporis, non consistet in illa successione; probatur ma. quia passiones debent emanare à corpore, omne autèm, quod emanat ab alio, non est minùs perfectum illo, à quo emanat, ut patet de intellectu & voluntate, ergò. Sed respondeo dist. ma. Nulla passio potest esse relatio actualis & accidentalitèr separabilis, concedo ma. non potest esse relatio aptitudinalis & transcendentalis, nego ma. Imo quasi omnes passiones & potentiæ, formalitèr consideratæ, sunt tales relationes: Et hinc concessâ mi. nego suppositum conseq. quia supponitur, quod motus sit passio, cùm non sit, sed mobilitas, seu aptitudo ad movendum se ad formam sibi consentaneam, & consequentèr etiam ad motum, tanquam id, per quod acquiritur forma.

Instatur: Per motum actualem etiam corpus aliquod alteratur, sed per nullam relationem aliquid propriè alteratur; ergò motus non erit relatio: probatur min. quia omnis alteratio fit secundùm qualitatem, sicut augmentatio, secundùm quantitatem, & generatio secundùm substantiam, sed relatio non est qualitas; ergò per relationem nihil alteratur. Respondeo dist. min. motum actualem aliquod corpus alteratur, tanquam per rationem formalem per modum termini alterantis, nego ma. tanquam per rationem acquirendi terminum alterantem, concedo ma. & distinctâ similitèr min. nego consequentiam, per quæ patet adhuc, quid dicendum sit ad probationem. Itaque quando aliquod corpus alteratur, id quidem fit per qualitatem primariò & principalitèr, per motum autèm fit, tanquam per rationem acquirendi istam qualitatem.

XIII. *Secundum.*

Arguitur 2. In illo formalitèr debet consistere motus, cui formalitèr convenit definitio, sed hæc convenit ipsis formis, tam substantialibus, quàm accidentalibus; ergò motus non est aliquid distinctum ab ipsis formis: probatur min. quia major patet: quia Anima signantèr definitur, quòd sit actus corporis organici potentia vitam habentis, sed eadem est ratio de omnibus aliis, tam substantialibus, quàm accidentalibus, ergò. R. negando min. cujus probationem dist. Anima est actus &c. perfectus & completus, non relinquens subjectum adhuc actuabile, concedo ma. sic relinquens ex eo, quòd esset actus imperfectus & incompletus, nego ma. Itaque omnes formæ, tam substantiales, quàm accidentales sunt actus, sed perfecti & completi, qui dum actuant, ita subjectum exhauriunt, ut ipsum in potentia non relinquant. Sed

Instatur: Quando intenduntur qualitates, priores gradus actuant subjectum, ut ipsum adhuc in potentia relinquant ad posteriores, sed qualitates sunt formæ perfectæ & completæ, secundùm quemlibet gradum; ergò etiam actus completi ita actuant, ut subjectum adhuc in potentia relinquant: probatur ma. quia quando calor introducitur in gradu sexto, quando introductus est gradus secundus, subjectum verè actuatur, & tamen tunc adhuc in potentia est ad gradus subsequentes, ergo. R. distinguendo ma. Quando intenduntur qualitates priores gradus actuent in æquali imperfectione, nego ma. secundùm majorem perfectionem, concedo ma. & concessa min. nego consequentiam. Itaque motus, actuando subjectum, non facit, nisi per modum formalis acquisitionis, gradus autèm illi qualitatis non per modum acquisitionis formalis, sed per modum termini actuant, ita, ut licèt non exhauriant totam potentiam, exhauriunt tamen quoad illos gradus.

QUÆSTIO II.

An data definitio Aristotelis conveniat omni motui?

1 *Motus dum aliquid per creationem de non esse ad esse transit sine dependentia ad subjectum, hunc enim, certum est, non convenire.*

Procedit hæc quæstio de motu tantum modò Physico, non verò de eo, qui divinitùs fit, sed Motus Physicus est actus entis in potentia, prout in potentia, quatenus hujusmodi. Motus verò Physici & à subjecto dependentes varii sunt, nam alii sunt *acquisitivi*, alii *deperditivi*: *acquisitivi* ii sunt, *qui à negatione formæ in subjecto immediatè præcedente ad eandem formam transeunt*, dicunturquè positivi: alii *deperditivi*, qui & *negativi* vocantur, sunt, *quando fit transitus à forma ad negationem ejus*. Alii iterum sunt *successivi*, alii *instantanei*, *hi in instanti acquirunt suum terminum*; *illi verò per successionem temporis*. Alii, deinde sunt, *naturales*, *violenti*, *neutri*, *primi sunt cum inclinatione subjecti*, *secundi contra inclinationem ejusdem*, *ultimi verò nec contra*, *nec cum inclinatione*. Alii denique sunt *artificiales*, alii *naturales*, alii *animastici*, dum anima per suas potentias movet se, ad eliciendas volitiones, intellectiones & sensationes. De his omnibus quæritur, an definitio Aristotelis suprà data ipsis conveniant? Cui quæsito brevitèr satisfaciendo

1 Motus

Dico: *Definitio motûs ab Aristotele tradita convenit, non modò successivo, sed etiam instantaneo, naturali, violento & neutro, ipsisq; operationibus animasticis.* *Ita Doctor 2. d. 12. q. 1.* quem sequuntur sui communitèr, sicut etiam Recentiores, Hurtadus, Ruvius, Arriaga, Caraffa, Compt. & de motu successivo nulla est difficultas.

Probatur ergò de motu instantaneo primo, Authoritate Aristotelis t. 4. ubi, postquàm definivisset motum, recenset ea, quæ moventur, dicens: *Mutatur enim semper id, quod mutatur, aut secundùm substantiam, aut secundùm quantitatem, aut secundùm qualitatem, aut secundùm ubi*, sed generatio est mutatio secundùm substantiam, fitq; in instanti, ergò definitio motûs convenit etiam generationi & motui instantaneo; Nec juvat dicere, Aristotelem per generationem intelligere ipsam alterationem in quantum præcedit generationem, quia alterationis terminus tantùm debet esse qualitas, generationis verò substantia, & licèt præcedat generationem, nuntia, & licèt præcedat generationem, nuntia, & licèt præcedat generationem, nuntia, quam tamen attingit terminum principalem ejus.

Probatur

II. **Probatur secundò eadem pars:** Aristoteles cum definivit motum, cujus naturam dixerat esse principium, sed natura est principium non modò motûs successivi, sed etiam instantanei; ergò etiam instantaneus hîc definitur: patet mi. quia natura est principium generationis, corruptionis, & actuum animasticorum tam benè, ac est qualitatum, ergò.

IV. **Probatur tertiò:** Motus, quo movetur aër in instanti ad lumen, corpus ad animam, & materia ad formas substantiales, est actus imperfectus entis in potentia, ut in potentia; ergò sunt veri motus; probatur ant. quia isti actus sunt ex se insufficientes ad actuandum, & essentialiter ordinati ad ulteriorem terminum; ergò sunt actus imperfecti entis in potentia, ut in potentia.

V. **Probatur Conclusio de Motu** deperditivo: Quia subjectum per aliquem actum imperfectum est in potentia non modò ad formam, sed etiam ad privationem ejus, quia, licèt non sit in potentia ad ulteriorem actum, est tamen in potentia ab actu perfecto ad nullum actum. Deinde, motus violentus est similiter actus imperfectus entis in potentia, id est, in capacitate ad recipiendam illam formam contrariam, quàmvis non sit in potentia, prout dicit inclinationem. Operationes denique animasticæ motus quoque dici possunt, quia anima verè per illas actuatur, suntq; naturales, & probabiliter producuntur per actiones distinctas.

VI. **Dices:** Operationes animasticæ sunt actus entis existentis in actu & non in potentia; ergò operationes istæ motus dici nequeunt. R. Operationes animasticas esse actus entis in actu, si considerentur ipsimet actus vitales, qui per motum acquiruntur, non verò, si intelligantur motus, per quos operationes illæ acquiruntur. Itaque licèt ipsimet producantur à potentiis effectivè, hoc non obstat, quo minùs motus dici possint, nam etiam aqua se reducit ad pristinum frigus, grave deorsum per veros motus, ergò. Per hoc patet, quomodò respondendum sit in forma, scilicet distinguendum esse tam antecedens, quàm consequens. Sed contra motum instantaneum

VII. *Argumentum in contrarium.* **Arguitur:** Motus definitus debet ens, seu subjectum partim relinquere in actu, & partim in potentia, id est, quòd pars aliqua sit actuata, & pars subjecti non sit actuata, sed motus instantaneus hoc non facit, ergò: probatur mi. quia motus instantaneus totum simul ponit, nihilquè relinquit, quod non actuet, ergò. R. dist. ma. Motus definitus debet relinquere subjectum partim in potentia, & partim in actu, ita, quòd per motum non actuetur completè, sed petat adhuc ulteriùs actuari per terminum *ad quem*, concedo ma. ita, quòd ipsum subjectum relinquatur sub parte termini acquisiti, & sub alia parte acquirendi, nego ma. & distinctâ simiiliter mi. nego consequentiam. Quia, ut suprà dixi, motus non actuat per formæ receptionem & subjectationem, sed in quantum est ratio formalis, quarè forma dicatur acquiri, unde nec in motu successivo relinquit partem actuatam & partem actuandam, sed per quemcunque gradum formæ actuat partem formæ & alteram partem relinquit actuandam per alium gradum formæ, exemplifico: debet in subjectum introduci calor ut sex, productis tribus gradibus in subjecto, motus non relinquit capacitatem pro tribus gradibus in potentia, sed totaliter constituit sub actu, relinquit tamen in potentia, seu capacitate pro reliquis tribus gradibus, quos agens, suppono, potest introducere; Ratio est, quia quilibet gradus caloris est ejusdem rationis cum alio, & etiam cum ultimo & supremo, sed ultimus non relinquit rem inactuatam; ergò nec relinquet primus vel secundus.

Instatur: Si quilibet gradus actuaret, sequeretur, quòd indivisibilia motûs essent motus, sed hoc dici nequit, ergò: probatur ma. Quia sicut se habet unus gradus ad alium gradum & ad totum calorem, sic se habet unum instans ad aliud & ad omnia reliqua, ergò: probatur ant. quia eodem modo per instans aliquid acquiritur, ergò. R. negando sequelam ma. cum probatione sua, quia instantia non sunt, nisi termini copulantes, adeoq; non habent se, sicut aliæ formæ divisibiles. Deinde si etiam essent aliquæ formæ, concedendum esset, quòd possent moveri etiam in instanti, hoc tamen non esset contra conclusionem, quæ admittit motum instantaneum verum esse motum.

QUÆSTIO III.

An Motus à subjecto, termino, actione & passione distinguatur?

I. **Solet hîc** antecedenter examinari, quodnam sit subjectum motûs, suppono tamen, tanquam certum, cum communi sententia, esse subjectum ipsum contrà Soncinam & Fonsecam, ratio facilis est, quia forma debet subjectari in illo, quod denominat, sed motus est forma denominans mobile moveri, ergò: Nec refert, quòd mobile actuali motu acquirat formam aliquam intrinsecam & absolutam, quia est relativa, quæ sufficit, ut mobile denominare possit. Hoc supposito ad quæstionem

II. *Motus distinguitur à subjecto & termino.* **Dico:** *Motus realiter distinguitur à subjecto, termino, actione & passione.* Est Scoti 2. d. 13. q. 7. &c.

Probatur prima pars: Quia potest in rerum natura existere agens, verbi gratiâ, *ignis*, & subjectum, verbi gratiâ, *aqua*, & terminus per motum acquisibilis, verbi gratiâ, *calor*, quin aqua moveatur ad calorem; ergò motus, quo aqua movetur ad calorem distinguitur à subjecto, agente & termino, quæ probatio, licèt communis sit, est tamen optima, quia universaliter distinctionem colligere licèt ex separatione aliquorum, sive illa mutua sit, sive non.

Probatur secundò: Omnis motus aut est instantaneus, aut successivus; ergò motus distinguitur à subjecto & termino: probatur consequentia, omnia prædicata alicui convenientia competunt cuicunque identificato sibi, sed hęc prædicata non competũt subjecto & termino; ergò subjectum & terminus à motu distinguuntur; probatur mi. quia nec forma, nec

subjectum est quid successivum, sed omninò per manens: ergò. Eodem modo potest aliquis arguere ex alia divisione accidentali motûs in velocem & tardum; & ultimò Confirmatur: ad motum non datur motus, ad terminum datur motus; ergò motus & terminus distinguuntur. Ad motum autèm non dari motum probat Aristoteles à pari ex eo, quòd ad actionem & passionem non detur actio & passio, unde dum 5. Phys. t. 10. ait: ad Actionem & passionem non esse motum, quia ad motum non est motus, propositio non est causalis, sed tantùm comparativa, id est, sicut ad motum non est motus, ita nec ad actionem actio.

III. Probatur Conclusio etiam de actione & passione, quod à motu distinguantur. Quia actio & motus sunt in diversis subjectis, actio enim est in agente, motus verò in subjecto, quod transit à non esse formæ ad esse formæ. Deinde, actio & passio sunt receptus simplicitèr reales, motus verò tantùm secundùm quid, cùm ipsius extrema non simul existant.

Tertiò: Actio & passio possunt esse sine motu; ergò motus non est actio vel passio; probatur ant. quando subjectum non præcederet tempore formam, daretur actio ad formam & non daretur motus, quia non esset successio termini *ad quem* post terminum *à quo*.

IV. *Argumentum in contrarium.* Arguitur: Sequeretur, quòd mobile moveretur duplici motu, sed hoc est inconveniens dicere, ergo: probatur sequela, quia moveretur ad terminum, ut est certum; & moveretur etiam ad motum, qui est distinctus à termino; ergò moveretur duplici motu, cùm duplicem acquireret realitatem. R. negando sequelam, cujus probationem distinguo pro secunda parte, moveretur ad motum per alium motum, nego ant. ipso facto, concedo, unde licèt essent ibi duæ realitates, una tamen esset tantùm motus, altera verò esset terminus acquisitus per motum.

Instatur: Eo ipso, quòd acquirit mobile aliquam realitatem, qvam antè non habuit, movetur, quia eo ipso, quòd aqua habeat calorem, quem ante non habuit, movetur ad calorem; ergò etiam eo ipso, quo habet motum, quem antè non habuit, movetur ad eum; ergò movetur duplici motu. R. dist. ant. ita ut omnis realitas jam habita, & anteà non habita tribuat ipsi denominationem moti, formalitèr loquendo, nego ant. ita, ut quoties sit realitas aliqua jam habita & antè non habita, mobile verè moveatur & sit aliquid, à quo habet denominationem illam moti, concedo ant. & similitèr distinguendo primum consequens, nego ultimam consequentiam. Itaque quàmvis aqua, quando habet calorem, de novo necessariò moveatur, tamen non necessariò movetur per ipsum calorem, formaliter & proximè loquendo, sed movetur per aliquid aliud ad calorem, scilicet per ipsum motum.

QUÆSTIO IV.

Unde desumatur unitas specifica & numerica motûs?

Certum est, quòd motus, sicut & quæcunque alia res ex natura sua & entitate habeat tam specificam, quàm numericam unitatem, quia tamen rerum naturæ difficilè explicantur sine ordine ad extrinseca, ideò in hac quæstione quæritur per ordinem, ad quæ extrema possit colligi unitas, vel distinctio motûs? Quod ut melius intelligatur, Notandum primò, ad motum plura requiri, nempe mobile, terminum *à quo* & *ad quem*, modum tenendi, tempus, ipsum movens, &c. Secundò terminum *à quo* esse illum, à quo recedit motus, sicut terminus *ad quem* ipse est, ad quem accedit, quorum uterque duplex est, per se & per accidens, seu positivus & negativus, qui omnes quatuor in quolibet & motu Physico concurrunt, verbi gratiâ, quando materia ligni transit ad formam ignis, forma ignis est, quæ acquiritur, forma ligni est, quæ deperditur & utraque habet suam privationem, forma ignis immediatè præcedentem, & forma ligni immediatè sequentem, forma ignis est terminus *ad quem* per se & proximus, privatio ejus immediatè præcedens est terminus *à quo* per se & proximus: forma ligni est terminus *à quo* per accidens & remotus, & privatio ejus est terminus *ad quem* per accidens. Et hoc in quocunque alio motu demonstrari potest, ut quando subjectum transit de frigore in calorem, de albedine ad nigredinem, de loco ad locum, &c. in his enim semper inveniuntur isti quatuor termini. De quibus ergò etiam controvertitur, à quonam desumatur specificatio motûs; Et in hac materia, sicut fieri assolet, variæ, diversæq; sunt sententiæ, nam aliqui putant, motum specificari posse per terminum *à quo* positivum, alii per solum terminum *ad quem*, alii per motorem, alii per tempus, alii per subjectum &c. Et quidem motus diversificari possit per subjectum, videtur mihi, non esse defendere difficile, nam motus, quo homo movetur ad calorem, videtur essentialem ordinem dicere ad hominem, ut non possit esse motus leonis, aut alterius subjecti, nec motus leonis possit esse motus hominis, licèt haberent eosdem terminos tam *à quibus*, quàm *ad quos*. Similitèr ex diversitate motoris videtur motûs diversitas colligi posse, maximè si daretur aliquod agens, quod posset movere determinatis motibus, quibus non posset movere aliud agens diversæ speciei, ex eo, quòd tunc diceret essentialem ordinem ad aliquos motus, ad quos non diceret aliud agens. Verùm quidquid sit de hac re, existimo in re tam dubia, à communi non esse recedendum: quarè

Dico 1. *Motus non solùm specificatur per terminum ad quem, sed per terminum à quo per se sumptos.* Hæc est conformis Scoto, dictisq; in Logica de relationibus, & prima pars extra omne dubium est; secunda proinde probatur: Motus ex sua entitate est relatio, sed omnis relatio specificatur à suis extremis; ergò motus specificatur tam benè per terminum *ad quem*, quàm *à quo*, cùm

cùm sint ejus extrema: probatur min. per illos terminos motus specificatur simul, quos æqualiter respicit, sed æqualitèr respicit extrema, ergò. Nec juvat dicere, motum quidem respicere utrumq; extremum, sed terminum *ad quem* tantùm per modum formæ, & sic ab illa etiam solummodò specificari. Non valet, inquam, quia nulla est ratio, quarè respiciat terminum *ad quem* per modum formæ potiùs, quàm terminum *à quo*, si enim esset aliqua, tunc fortè, quia intrinsecè eum respicit; sed terminum *à quo* æquè intrinsecè respicit, ergò.

III. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Motus, si habeant species diversos terminos *à quibus*, dummodò habeant eundem specie terminum *ad quem*, sunt ejusdem speciei & contrà, licèt haberent eundem terminum *à quo*, dummodò haberent specie diversos terminos *ad quos*, essent diversæ speciei; ergò motus specificatur tantùm per terminum *ad quem*, & nullo modo *à quo*; probatur ant. quia dealbationes duæ possunt habere diversos terminos *à quibus*, verbi gratiâ, una viredinem & altera rubedinem, & tamen sunt ejusdem speciei, sicut ipse docet Aristoteles. Etècontrà, possunt aliqua transire, ex albedine ad viredinem, & ex albedine ad rubedinem in quo casu esset idem terminus *à quo* & tamen essent diversi motus, propter solos terminos *ad quos* distinctos. Sed hujus argumenti communis & facilis est solutio, unde respondeo dist. ant. Etiamsi habeant diversos terminos *à quibus* proximos, per se & negativos, nego ant. diversos terminos remotos, per accidens & positivos, concedo ant. & nego consequentiam. Sic quando duæ albedines à viredine & rubedine transeunt, viredo & rubedo respectu dealbationum sunt termini per accidens, nam licèt hi nunquam præcessissent, potuissent esse eædem dealbationes, quarè termini, à quibus specificantur dealbationes, sunt ipsæ negationes albedinum, sine quibus non possent fieri dealbationes, hæ autèm negationes albedinum, quia sunt ejusdem speciei, sicut etiam ipsæ albedines, ideò etiam motus sunt ejusdem speciei.

Instatur: Ab illo motus sumit specificationem, à quo desumit suam denominationem, sed non sumit denominationem à termino *à quo*, ergò: probatur mi. motus dealbationis sumit denominationem ab albedine, localis à loco, augmentationis ab augmento quantitatis, qui sunt termini *ad quos*, ergò. ℟. 1. Negando mi. universalitèr, nam corruptio substantialis dicitur talis, non à termino *ad quem*, qui est negatio, sed à termino *à quo*, qui est substantia. ℟. 2. negando ma. Nam quòd motus sumat specificationem, est ex natura rei, quòd autèm sumat denominationem, hoc est tantùm ex beneplacito Philosophorum, qui majoris expressionis gratiâ, ab hoc termino potiùs, quàm ab illo sumpserunt denominationem.

Urgetur: Quod non est, non potest ens reale specificare, sed terminus *à quo* negativus non est, ergò: probatur min. quia quando motus fit, terminus *à quo* evanescit, ergò: major etiam patet, quia specificatio debet à permanente desumi. ℟. dist. ma. Quod non est, non potest specificare ens reale, absolutè perfectum, concedo ma. ens secundùm quid reale & imperfectum, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam. Itaque terminus *à quo* sic dat specificationem motui, quemadmodùm ipsi dat esse; Esse autèm motus est tantùm secundùm quid, adeoq; etiam specificabitur tantùm secundùm quid, juxta commune axioma: quidquid est simplicitèr in entibus simplicitèr realibus, est etiam secundùm quid in ente secundùm quid, cùm ergò unitas specifica realis sit simplicitèr in ente reali, etiam secundùm quid erit in ente secundùm quid reale. Sed

IV. *Ad unitatem numericam motus requiritur unitas numerica mobilis & termini ad quem.*

Dico 2. *Ad unitatem numericam motûs requiritur unitas numerica mobilis & termini ad quem.* Ita Doctor 4. d. 43. q. 2. & alibi.

Probatur prima pars: Idem numero accidens, maximè respectivum, non potest transire de subjecto in subjectum, nec etiam potest simul reperiri in duobus subjectis, sed motus est accidens respectivum mobilis; ergò non potest transire de subjecto in subjectum, quod tamen contingeret, nisi requireretur unitas numerica mobilis.

Dices: Si canis vivus dejiciatur de turri, etiam ante medium moritur, nihilominùs continuo & unico motu descendit & cadit, sed tunc non est idem mobile; ergò ad unitatem numericam non requiritur idem mobile, ut patet, cùm aliud sit mobile canis, aliud cadaver canis; ergò: quod confirmatur aliâ manifestâ experientiâ, nam ex arbore abscindi potest partim viridis & vivens ramus & ex parte aridus, sed tunc non est idem mobile, & tamen eodem motu caderet & descenderet deorsum, ergò. Sed respondeo negando mi. quia tam in virga, quàm in cane, manet idem subjectum immediatum, nempe compositum ex materia prima & forma corporeitatis, quàmvis non maneat idem subjectum denominationis.

Instabis: Homo deambulando unicum habet motum, & tamen non est idem mobile, etiam secundùm compositum ex materia & forma corporeitatis, quia dum unus pes movetur, alter quiescit, & sic est de quocunque alio animalis progressivo motu. ℟. dist. ant. Habet unicum motum simplicem, nego ant. ex pluribus partialibus intermixtis quietibus compositum, concedo ant. Verùm

V.

Probatur Conclusio pro secunda parte: Quia terminus *ad quem* est principalis in motu, & ab ipso maximè specificatur motus; ergò si requiritur unitas numerica mobilis, etiam requiretur termini *ad quem*.

VI. *Non tamen unitas temporis vel motoris.*

Dico 3. *Ad unitatem numericam motûs, non requiritur unitas temporis, neq; motoris.* Est etiam Doctoris.

Probatur prima pars: Quia motus nullam dicit dependentiam ad tempus extrinsecum, nec est assignabile aliquid, quarè motus haberet sic necessariam connexionem cum tempore, nam si esset idem mobile, ut ait Philosophus 5. Phys. l. 36. & eadem rediret sanitas, rediret quoque eadem mutatio, quàmvis in alio tempore, ergò.

VII. Dices: Si semel tempus interrumpatur per cessationem motûs, etiamsi parum tantùm mobile quiescat, si iterum incipit moveri, tunc non eodem ampliùs motu, sed movetur alio, quia motus præteritus jam omninò præteriit; ergò requiritur unitas temporis. R. quòd quàmvis defactò sumatur ab unitate temporis, cùm non producatur idem numero terminus diversis temporibus, tamen potest Deus producere totam substantiam motûs & mobilis, non quidem secundùm continuationem, sed secundùm entitatem.

VIII. Probatur secunda pars: Quia motus hujus calami idem numero est, sive ego ipsum moveam, sive moveat eum Titius vel Angelus, ergò: probatur ant. Est idem effectus in absolutis, sive eum producat causa *A*, sive ipsum producat causa *B*, ut superiùs dixi, examinando, an idem effectus possit produci à totalibus duabus causis divisim; ergò erit etiam idem motus, sive ego moveam calamum, sive ipsum moveat Titius: probatur consequentia, quia ideò est idem effectus productus ab hac vel illa causa, quia supponitur esse eadem numero forma & materia, nihilquè essentiale deesse. Sed etiam in utroque motu est idem mobile, idem terminus, nihilquè aliud requiritur, ergò. Confirmatur Conclusio: Quia si ego traherem navim, & postmodùm Titius superveniat, & sine interruptione trahat eandem, unus erit motus, & tamen motores sunt diversi.

QUÆSTIO V.

Ad quæ prædicamenta detur motus?

I. *Ingressus ad quæstionem.* Olim hæc quæstio apud Galenum & Valesium satis fuit controversa, & etiamnum est hodie, dum alii sic, alii verò sic opinantur, mea mens est quæstionem difficultati nominali esse obnoxiam, in re tamen quid sentiam, brevibus expediam & aperiam: unde controvertitur, an adres, quæ in omnibus prædicamentis continentur detur motus? id est, an motu acquirantur? an verò tantùm ad aliqua? & si hoc posterius, tunc quænam sint illa? Ad quam quæstionem divisim respondendo

II. *Ad substantiam non datur motus.* Dico 1. *Ad substantiam in prædicamento primo directè collocabilem non datur motus.*

Probatur hæc ex mente Aristotelis & ratione desumpta: Omne, quod in rerum natura movetur, seu ad quod & in quo datur motus, debet esse, sed substantia in prædicamento primo directè collocabilis non est, dum movetur; ergò ad illam non datur motus: patet major, quia nihil moveri potest, nisi existens; probatur minor, nam Aristot. 1. Periherm. dicit: *Quod generatur, non est*, sed substantia generatur; ergò, quando ad ipsam deberet dari motus, non est. Dixi tamen in conclusione, ad substantiam in prædicamento directè collocabilem, quia ad substantiam, quæ indirectè & reductivè in eo collocatur, sanè motum dari probat continua mutatio, quòd materia ab una forma ad aliam transeat, quæ motu mediante producitur. Et si dicas, materiam non habere latitudinem successivè percurrendam, nihil dicis, nam imprimis id absolutè negari potest, requiri, & si detur, quòd requiratur, habet tamen quælibet substantia materialis aliquam latitudinem independenter à quantitate, ut probavi in Logica. Per hoc patet etiam, quid dicendum sit ad Aristotelem, qui suprà non obscurè docere videtur, ad substantiam dari motum, quia non loquitur in sensu conclusionis, sed indifferenter.

III. Dico 2. *Ad quantitatem etiam non datur motus proprie dictus.* Hæc ex ratione superiori deduci sic potest. Ut ad aliquid detur motus proprie dictus, debet subjectum priùs existere quàm moveatur ad id, sed ad quantitatem non existit priùs subjectum in probabili sententia; ergò ad eam non datur motus: probatur min. quia quantitas subjectatur in toto compósito substantiali; ergò non priùs existit, antequàm sit quantitas, cùm ad productionem totius producatur ipsa quoq;. Dixi tamen motum proprie dictum, quia motus minùs strictè sumptus pro qualibet acquisitione per se alicujus termini, tunc potest dici, quòd ad eam detur motus & hoc est, quod universaliter tenetur, quòd quantitas acquiratur in augmentatione, ita, ut eadem substantia quæ modò fuit parva, fiat major, &c. Et talis motus non requirit contrarium, quod necessarium existimant, qui ad quantitatem dari motum absolutè negant, nam nec qualitas, absolutè loquendo, contrarium requirit, cùm sufficiat, quod subjectum per motum nunc aliter se habeat, quàm antè & defactò contingit, quòd aer moveatur ad lucem, quàmvis certum sit, lucem non habere qualitatem contrariam.

III. Dico 3. *Ad qualitatem verus datur motus ita proprius & strictè dictus.* Hanc esse extra controversiam, probant quotidianæ & continuæ experientiæ, quibus videmus, quòd subjecta nunc transeant de calore ad frigus & è contrà, de albedine ad nigredinem & è contrà, de mœrore ad lætitiam & è contrà, & sic de aliis

I. Dico 4. *Ad ubi extrinsecum datur verus motus, non tamen ad ubi intrinsecum.* Hæc est communior.

Probatur quoad primam partem: Quia reverà acquirit mobile de novo locum extrinsecum, & quidem successivè per ubi intrinsecum, tanquam per acquisitionem formalem, non minùs quàm aqua acquirit calorem. Nec refert, quòd locus ille extrinsecus non subjectetur in mobili, hoc enim non requiritur absolutè, sicut neque interest, quòd non accipiat esse per motum, quantùm ad substantiam, sufficit enim, quòd quando fit motus ad ipsum, accipiat per actionem causæ efficientis aliquid, unde contineat actu locatum, quod non habebat ante illam actionem.

Probatur altera pars: Quia secundùm commune dictum Philosophi; *ad motum non datur motus*, sed ubi intrinsecum est formalissimus motus, quo mobile movetur ad talem superficiem; ergò ad illud non datur motus. Deinde motus debet esse actus entis in potentia, prout in potentia est, id est incompleta, & imperfecta actuatio in illo genere, sed ubi intrinsecum est perfecta actuatio, ergò: probatur minor, quia habitu hoc ubi non est

est expectanda aliqua forma perfectior in eodem genere, ergò suo genere erit perfecta actuatio

VI. Opponitur tamen Authoritas Scoti 3. d. 1. q. 1. dicentis, quòd ad ubi detur motus, ergò mala conclusio. Respondeo, Scotum loqui de motu, quatenùs coincidit cum actione agentis, non verò loqui de motu mobilis, qualis est ille, qui negatur terminari ad ubi intrinsecum.

Instatur: Quod per se terminat actionem agentis, per motum propriè acquiri potest, sed ex dictis ubi intrinsecum terminat actionem agentis, ergò adipsum verè dabitur motus. Respondeo negando ma. nam ad hoc, ut detur motus ad aliquid, præter hoc, quòd terminet actionem, debet esse aliquid acquisibile per aliud, & quod non sit ipsa acquisitio essentialiter.

VII. Dico 5. *Ad quinq; reliqua prædicamenta, probabile est, dari etiam motum minùs rigorosè acceptum.* Hæc videtur esse contra communem Doctoris mentem.

Probatur tamen Authoritate Aristotelis q. 3. Phy. t. 3. ubi ait: *Quarè motûs & mutationis tot species sunt, quot entis*, similiter Doctor asserit ad *sex ultima dari motum*, qui, cùm non sit rigorosus dicendus propter aliud dictum Aristotelis, *quòd ad motum non detur motus*, optimè explicatur, & intelligitur de motu minùs rigoroso. Deinde ad ubi datur motus, ergò etiam ad Situm, quia situs est species, ubi, omnis autem species participat rationem generis. De habitu quoquè patet, tum, quia ille respectus per se fit & intenditur ab agente: tum, quia ùnio hypostatica terminat motum secundùm Doctorem, sed hæc non pertinet ad aliud prædicamentum, quàm habitum; Ergò ad sex prædicamenta datur motus. Intellige tamen indefinitè conclusionem.

QUÆSTIO VI.

An quilibet motus possit fieri in instanti?

I. Suppono: Generationem viventium instantaneam esse, generationẽ verò non viventium, nutritionem, augmentationem, alterationem, inter qualitates contrarias & motum localem fieri successivè. Et Ratio de generatione viventium est, quia hæc requirit determinatum subjectum debitè dispositum & organizatum, ut non possit in quamcunquè materiam introducere, quibus dispositionibus positis non requiritur aliqua successio: In generatione verò non viventium, nutritione, augmentatione & alteratione, cùm fiant inter contraria, quæ agens limitatæ virtutis non potest unicâ vice mutando superare, sed priùs secundùm unam partẽ eamq; viciniorem & postmodùm in aliam, necessaria est talis successio. In motu verò locali, tum sunt quoquè contraria, ut sursum, & deorsum, tum semper est latitudo, & distantia, quæ unicâ vice percurri non potest.

Hoc supposito hîc quæritur, an omnes enumerati motus successivi possint fieri in instanti? idquè de potentia absoluta; nam naturaliter fieri non posse, concedunt omnes, Ad quod

II. Dico 1. *Nullus motus successivus, etiam de potentia Dei absoluta, potest fieri in instanti.* Hanc puto esse extra controversiam. Et *Motus nequit fieri in instanti.*

Probatur: Omnis motus successivus ex natura sua & ratione intrinseca includit respectum, secundùm prius & posterius, sed Deus nequit immutare naturas rerum, ergò nequit facere, ut motus successivus fiat in instanti; ma. patet, quia per hoc distinguitur motus successivus ab instantaneo: minor etiam est certa, consequentia ergò optima.

III. Dico 2. *Quilibet terminus per motum successivum acquisitus, & acquisibilis, potest divinitus acquiri in instanti:* ita Doctor 2. d. 2. q. 11. & 3. d. 2. q. 3. Quem sequuntur Regentes Parisienses, Mastrius & Belletus, ac alii. *Benè tamen terminus per motum acquisibilis.*

Probatur primò: Tota ratio successionis in acquirendis illis terminis provenit ex resistentia contrarii, quod motor & agens non potest in unico instanti superare, sed Deo non est difficile, actionem agentium contrariorum impedire, eorumquè resistentiam vincere, ergò Divinitùs poterit quilibet terminus in instanti acquiri, major est certa, probatur mi. quia nullum contrarium agere potest, nisi Deo coagente, ergò potest Deus non coagere, & sic impediet actionem eorum, quâ impeditâ, poterit statim introduci forma, quod Confirmatur: Quia quò motrix virtus est major & efficacior, eo velociùs movet & agit, sed virtus Dei est infinitæ activitatis, ergò in instanti agere potest, & quamcunquè introducere formam.

Probatur secundò: Tum, quia Theologi communiter docent, Resurrectionem mortuorum in instanti futuram, sed in illa erunt omnia membra debitè ordinanda & disponenda, suisquè organis distingvenda, ergò omnes illi motus fient in instanti; tum quia corpus Christi in utero sacratissimæ virginis Mariæ organizatum fuit, sed tunc omnes motus, qui requiruntur ad adducendam materiam in locum debitum &c. in unico instanti facti sunt, ergò.

IV. Quæres: An defactò aliquis motus, ex enumeratis successivis, fiat in instanti? Respondeo affirmativè, ratio est: Quia defacto aër illuminatur in instanti, sed ista illuminatio est aliquis motus ex illis successivis, quia est alteratio, ergò.

QUÆSTIO VII.

Utrum quidquid movetur, ab alio moveatur?

I. De Triplici motu moveri potest hæc quæstio, de intentionali scilicet, quo potentiæ vitales moventur ad suos actus vitales; emanativo, quo subjecta moventur ad suas passiones; *De triplici motu potest moveri quæstio.*

nes; & Physico, quo res movet se ad aliquam formam Physicam; de prioribus duobus non in tantùm controvertitur, unde tota difficultas est de tertio motu, pro quo Nota, dupliciter intelligi posse, agens se movere, vel quatenùs est agens univocum, vel quatenus est agens æquivocum, exemplum primi, si calidum formaliter seipsum calefaceret; exemplum secundi, quando calidum virtualiter, reddit se calidum formaliter. Quo præmisso ad quæstionem

II. *Idem potest seipsum movere.*

Dico: *Idem potest seipsum movere quatenùs est agens æquivocum.* Ita D. 1. d. 3. q. 7. &c. quam præter suos sequuntur Aversa, Hurtadus, Arriaga, contra Thomistas.

Probatur primò: Quidquid habet principium, producendi aliquam formam, potest eam producere in quocunquè subjecto capaci talis formæ, ergò poterit etiam illam producere in seipso, cùm præexistat tali formæ, sitquè ejus capax, nec in hoc ulla est repugnantia, quia defactò amotis impedimentis grave tendit, & movet se deorsum, aqua semel calefacta reducit se ad pristinum frigus, qui motus aliis causis adscribi non possunt, ut patet ex sæpè dictis, & etiam adhuc dicendis magis patebit; ergò.

Probatur secundò: Potest se aliquid movere, tanquam causa totalis motu intentionali, ergò etiam Physico: probatur consequentia, tum ab omnimoda paritate, cùm unum non sit difficiliùs, quàm alterum, ergò. tum, quia quòd idem non possit seipsum movere motu Physico, tanquam causa principalis, non oritur ex ratione moventis & mobilis ut sic, sed ex ratione moventis talis, quia si oriretur hoc ex ratione communi moventis & mobilis, idem nequiret seipsum movere motu intentionali: probatur etiam principale ant. Quia voluntas potest se movere ad volitionem, tanquam causa totalis, cùm ab objecto non verè, sed tantùm metaphoricè moveatur. Sed

III. *Opponitur & solvitur Arist.*

Opponitur Authoritas Aristotelis 8. Phys. t. 40. ubi probat, quòd omne, quod movetur, non à seipso moveatur, quia alioquin sequeretur, quòd totum moveret & moveretur, alteraret & alteraretur, &c. quæ omnia absurda sunt, ergò. R. 1. cum Doctore, Philosophum non agere de movente æquivoco, sed de univoco, nostra tamen conclusio est de agente æquivoco. R. 2. Dictum Philosophi adhuc duplicitèr intelligi posse: *Nihil a se ipso moveri*, vel ut non possit aliquid movere se de novo ad aliquid, ad quod non poterat se antè absque dependentia alicujus extrinseci: Vel sic, Nihil posse se ipsum movere, quin moveatur ab aliquo priùs, quantùm ad recipiendam virtutem motivam ab illo alio, quorum utrumq; verum est sed non contra conclusionem.

Instatur: Si Aristoteles voluisset agere de talibus motibus, gratis suprà t. 19. dixisset: Omne, quod se movet, debere distingvi in partem per se moventem, & per se motam, ergò non in his sensibus, sed absolutè dixit, nihil movere posse seipsum. R. negando sequelam, quia in isto loco Aristoteles agit tantùmmodò de motu organico animalium, non verò de motu in communi.

Arguitur Ex ratione: Idem nequit esse in potentia, & in actu simul, respectu ejusdem, sed si idem posset seipsum movere, esset in actu & in potentia simul, ergò. probatur mi. quia quod movetur, est in potentia, ut patet ex definitione, quod verò movet, est in actu, quia nihil agit, nisi quod est in actu, ergò si idem moveret se, esset in potentia, & in actu simul. R. dist. ma. sub eadem ratione, concedo ma. sub diversa ratione, diversoquè respectu, nego ma. & distinguo etiam minorem, esset in actu virtuali, & potentia formali, concedo min. est in potentia formali, & actu formali, nego minorem & consequentiam. Itaquè verum est, quòd idem non possit movere, & moveri actione univocâ ad formam ejusdem rationis cum agente, ut: calidum nequit se movere ad calorem, idem tamen potest movere, & moveri actione æquivocâ, quando motus terminatur ad formam diversæ rationis, & hoc non modò hic evenit, verùm etiam in pluribus aliis casibus, nam etiam dicitur communiter, quòd relativè oppositi non possint esse in eodem subjecto, verum est tamen, quòd secundùm diversam rationem esse possint. IV. *Argumentum in contr.*

Instatur: Ideò dixit Aristoteles, idem non moveri à seipso, ut tandem deveniatur ad primum motorem immobilem, scilicet Deum; Nam omne, quod movetur, ab alio movetur, quæro de illo alio, an sit mobile vel immobile, si immobile habetur intentum, quòd detur motor immobilis, si mobilis, ergò ab alio est mobilis, & sic consequentèr, donec veniatur ad primum motorem immobilem, sed hic discursus Aristotelis non valeret, si idem posset seipsum movere, ergò. R. 1. negando mi. Quia licèt Angelus, verbi gratiâ, moveatur à seipso in actu secundo, tamen non habet actum primum, seu potentiam ad se movendum à seipso, sed à Deo, à quo habet talem potentiam se movendi. R. 2. Malè supponi in majori, quòd ex isto principio posset demonstrari Motor primus immobilis, tum, quia rationes suprà adductæ contrarium convincunt, tum, quia Aristoteles ipse dicit, animalia seipsa movere & non ab alio.

QUÆSTIO VIII.

A quo levia moveantur sursum, & gravia deorsum?

Non quæro, quodnam sit principium passivum motûs gravium deorsum & levium sursum, quia sic certum est, esse ipsam naturam cujuscunquè substantiæ gravis & levis, sed est difficultas de principio activo, quod duplex esse potest, *quod* & *quo*, Principium *quod* est illud, quod immediatè & per se dicitur causare motum: *Quo* verò illud est, quod est ratio formalis, quâ mediante principium *quod* causat motum. In qua materia multiplex omninò est opinio: Nam aliqui asserebant medium causare illum motum, alii cœlum, alii generantem, quod posterius communiter tenent Tho-

Thomistæ post Divum Thomam 1. p. q. 18. a. 1. quos etiam nonnulli Recentiores sequuntur. Econtrà post Doctorem Subtilem Scotistæ omnes negant generantem movere gravia, vel levia. Eos sequuntur Nominales, Recentiores aliqui, ut Arriaga, Hurtadus, Vasquetz, Murcia, &c. quos sequendo interim contra priores sententias

II. *levia aut ima non moventur à cælo.*

Dico 1. *Gravia non moventur deorsum, nec levia sursum à medio, vel à cœlo, aut astris, nec etiam à generante. Ita Doctor 2. d. 2. q. 10. Et*

Probatur prima pars: Si medium esset causa motûs effectiva gravium deorsum & levium sursum, sequeretur, eundem aërem esse causam duorum contrariorum, sed hoc inconvenientissimum est asserere, ergò. probatur sequela, quia in quantum cederet gravi, causaret motum deorsum, &, in quantùm cederet levi causaret motum sursum, sed sursum, & deorsum sunt motus contrarii. ergo. Confirmatur, nihil potest seipsum movere actione univocâ, sed si aër causaret motum deorsum, moveret seipsum univocè, ergò. probatur minor, quia causaret cedendo, ergò priùs deberet seipsum movere ad cessionem, quia quo aliquid causat, debet priùs esse ab ipso causato.

III. Probatur 2. pars. Motus gravium deorsum est naturalis, ergò non fit ab impulsu astrorum, vel ab ipso cœlo, probatur consequentia, quia quod fit per impulsum alicujus, fit violenter, ergò, ant. patebit ex sequentibus, Confirmatur etiam: Quod fit, & movetur ab impulsu, rejicitur ab ipso impellente & movente, sed levia non removentur à cœlis & ab astris, imò ad illa potiùs avicinant, & approximant per ascensum, ergò levia non moventur ab astris, vel ab impulsu astrorum & cœlorum.

IV. Probatur tertia pars primò: Potest grave moveri deorsum & leve sursum, etiam generante destructo, ergò isti motus non proveniunt à generante: ant. patet. probatur consequentia ex Aristotele 2. Posteriorum 11. ubi ait: Effectus in actu dum causatur, requirit causam in actu. Sed generans non est, ergò.

V. Dices: Generantem non esse in tali casu secundum se, esse tamen secundùm suam virtutem, quatenùs produxit grave cum omnibus passionibus connaturaliter sibi debitis. Verùm hæc responsio facit quæstionem realem, nominalem, si enim ideò generans dicitur movere gravia, quia produxit ea, nullus inficiabitur, sed hoc est plùs, quàm impropriè loqui, si enim hoc sufficit, ut dicatur generans movere gravia deorsum, tanquam principium activum, sequetur, quòd meus parens, qui tamen litteras non noverat, producat hanc Scripturam, & me in aquam projecisse, dum semel fluvium navigans incurius in eum incidi, quod longè abfuisset à paterna pietate & effectu, imò plura alia similia absurda sequerentur, ut, quòd non modò parens meus, sed etiam avus & atavus hæc facerent, quæ risum faciunt mihi.

VI. Probatur eadem pars tertia secundò: Omne grave motum deorsum velociùs in fine, quàm in initio, ut tenetur communiter, secundum tritum illud: *Motus in fine velocior*, sed si generans moveret grave deorsum, motus in fine non esset velocior, ergò generans non movet grave deorsum. probatur mi. quia generans agit uniformiter in tantum, in quantum potest, ita quòd etiam in principio debeat esse intensior & vehementior, ergò ille motus in fine velocior non potest esse à generante. probatur ant. quia quò mobile est magis approximatum, sed in principio est maximè approximatum; ergò tunc etiam motus erit maximè velox.

VII. Dices: In motu violento motum in principio esse velociorem, quàm in fine, eò, quod impulsus semper deficiat à mobili, quo magis à movente recedit, in motu verò naturali deorsù mobile approximando centro disponi, ut eò meliùs ab agente impulsù recipiat. Ita Respondent Complutenses, sed insufficienter, si enim agens, & generans intra motum ejusq; durationem moreretur, sicut fieri potest, quæro, à quo tunc proveniret illa major velocitas, non ab gente, quòd supponitur non esse, & esse per virtutem gratis dici, suprà ostendi, adeoq; stat argumentum. Deinde detur, quòd generans sit vivens & præsens, tunc sic non potest generans causare majorem velocitatem, nisi imprimendo mobili aliquam virtutem, sed tunc non potest ei aliquam imprimere, ergò, tum, quia deberet agere indistans, tum, quia posset ubi deorsum esse extra sphæram activitatis agentis. Sed principaliter incontrà

VIII. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Quodcunquè generat aliquod grave vel leve, tribuit eis proprium esse & omne, quod spectat ad connaturalem eorum dispositionem, sed ad naturalem dispositionem gravium spectat, ut sint deorsum & levium, ut sint sursum, ergò generans eis tribuit ubi deorsum, & ubi sursum, & consequenter à generante movebuntur: Respondeo Distinguendo ma. tribuit eis &c. quod spectat ad naturalem eorum dispositionem in actu primo, concedo ma. in actu secundo, nego ma. & concessâ mi. distinguo similiter consequens, & nego consequentiam. Itaquè nec esse non est, ut generans tribuat reigenitæ omnia in actu secundo, alioquin deberet habere omnes actus secundos in instanti generationis, quos unquam habere poterit.

Instatur: Projiciens lapidem violenter, tribuit ei, quidquid spectat ad motum in actu secundo, ergò etiam generans. probatur conseq. quia eodem modo se habent generans, & vis ab eo impressa, sicut projiciens, & vis ab eo impressa, sed &c. ergò. R. negando consequentiam cum paritate majoris, quia projiciens per se intendit imprimere talem vim, cùm alius effectus primariò intentus non sit assignabilis, generans verò non intendit per se, sed per accidens, in quantum intendit producere effectum, cui tantùm accidit gravitas.

Urgetur: Quod est in actu primo tantùm tale, non potest se reducere ad actum secundum, nisi aliunde determinetur, ergò si non acqui-

non acquirit mobile grave, nisi in actu primo, motum non poterit se in actu secundo movere, sed debebit ab alio moveri: probatur consequentia, quia quod est in actu primo tale, est indeterminatum & indifferens, ergò. R. negando ant. & patet ratio ex dictis, deinde ad probationem consequentiæ dico, mobile in actu primo posse, vel seipsum determinare, positis certis conditionibus, & requisitis, vel determinabitur ab aliis causis, quæ vel concomitantur, vel subsequuntur, aut antecedunt.

IX. *Principia quibus sunt gravitas & levitas. quæ grave & leve.*

Dico 2. *Principia* Quibus *motuum gravium, & levium immediata & proxima sunt gravitas & levitas*, Quæ *verò grave & leve*. Ita Doctor suprà. & 9. Met. t. 17. Et

Probatur 1. p. Si aliquod grave esset impeditum à motu, removeret impedimentum per propriam gravitatem, ut patet, si supponeretur grave alicui asseri, qui propter gravitatem gravis frangeretur, sed non frangeretur, nisi quia grave tendit ad centrum, & principium, *quo* grave tendit ad centrum, est gravitas, ergò. Confirmatur: Quia illud est ratio formalis alicujus, quo posito ponitur effectus, & quo ablato non ponitur, sed positâ gravitate, & ablato quocunquè alio ponitur motus deorsum, ergò gravitas est principium *quo* immediatum motûs deorsum. Idem dicito de levitate. Unde

Probatur 2. p. Quia forma est ratio formalis agendi, cui inexistit, si est accidentalis; vel illius, quod constituit, si est substantialis, sed gravitas est forma gravi inexistens, ergò erit ratio ut *quo* egendi ipsius gravis, & consequentèr grave erit ipsum principium *Quod*.

X. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Illud debet constitui principium motûs deorsum, quod est natura, sed gravitas non est natura, ergò gravitas non erit principium *quo* motûs: major probatur quia natura est principium motûs & quietis, minor etiam patet ex dictis, quod primo non insit, sicut inesse debet natura. Sed R. dist. ma. debet constitui principium passivum, concedo, activum, nego; Quia, ut suprà dixi, non est controversia de principio passivo, quia sic est ipsum mobile ut *quod*, & forma mobilis ut *quo*, sed de principio activo motûs, quarè respectu hujus motûs forma non est principium immediatum & proximum, benè tamen respectu aliorum.

Instatur: Dantur multi motus, etiam locales in gravibus & levibus, qui non possunt provenire, nisi à formis substantialibus, ergò formæ substantiales non tantùm erunt principium passivum aliorum motuum, sed etiam activum motûs localis; probatur ant. multis experientiis, tum, quia si infundatur aqua super tabulam siccam valdè, aut super folia olerum, omnes guttæ aquæ conglobantur in figuram sphæræ, unde etiam, qui scrupulos plumbeos pro Bombardis conficiunt, eà viâ rotunditatem quærunt, sed iste motus non potest provenire à gravitate, ergò à forma substantiali, tum, quia si pars ligni viridioris apponatur declive deorsum ad ignem, aqueus humor ascendit sursum &c. ergò. R. negando ant. ad probationem ab experientiis dico, quòd illi motus causentur à contrariis, quatenus propter approximationem singulæ proprias vires quò ad unum & in seipsis constringunt, ut eò fortiùs resistere valeant, sicut etiam fieri solet in antipeciistasi, unde si accidentia essent sine subjecto, adhuc isti motus causarentur, ut patet in speciebus consecratis, quarè hi motus sunt violenti, quia sunt contra inclinationem. R. 2. Omnes tales motus provenire à virtute aliquâ omnibus rebus indita, quæ virtus, ut conservet subjectum in suo esse, movet illud juxta exigentiam contrariorum, eo modo, quo Conimbricenses concedunt in omnibus rebus dari virtutem quandam ad impediendum vacuum.

QUÆSTIO IX.

A quo moveantur projecta violentèr?

Per projecta violentèr intelligo ea, quæ non moventur localitèr virtute suâ propriâ connaturali, sed ex eo, quòd causa aliqua extrinseca non solùm tollat impedimentum motûs, sed etiam cum quodam impetu ea aliquò impellat, quarè quæstio est, à quo nam moveantur projecta, postquàm jam semel projecta sunt, & separantur à causa projiciente; nam dubium non est, quin causa principalis secunda, unde principium motûs projectorum oritur, sit ipsamet causa impellens. Prima sententia dicit, quòd motus ille proveniat, quantùm ad primam partem, à projiciente, illam verò producere aliam, & istam tertiam, tertiam quartam, & sic usquè in finem. Secunda dicit: quòd proveniat à gravitate, & levitate projectorum modificatis à projiciente, ita aliqui Recentiores. Tertia assignat medium pro causa hujus motûs, ita Cameratius citans pro se Aristotelem, Scotum, Divum Thomam &c. Quarta denique dicit: hunc motum causari à virtute quâdam motiva, mobili à projiciente impressâ, quam virtutem impulsum vocant, ita verè omnes Recentiores apud Mastrium, Pontium, &c. cum quibus etiam resolvendo

Dico 1. *Motus projectorum non provenit à motu, aut gravitate vel levitate, aut solo medio.* Ita quarta sententia.

Probatur quoad singulas partes, & imprimis prior. Motus localis est ens successivum, cujus partes simul non existunt, ergò dum existit pars posterior, non existit prior & consequentèr pars posterior non causatur à priori.

Probatur 2. p. Ab eadem forma non possunt provenire effecta opposita & contraria, sed si gravitas & levitas essent causa projectorii, provenirent ab ipsis effectus contrarii, ut patet, dum lapis moveretur sursum, & prima projiceretur deorsum, ergò. Confirmatur: Quia modificatio non destruit naturam gravitatis, ergò non erit causa, ut grave sursum tendat, sed solùm, quòd non tam velociter petat deorsum, sicut peteret, si non esset modificatio. Deinde nequit assignari, quid nam sit ista modifica-

dificatio, à quo proveniat, quomodò fiat? ergò non est asserendum, projecta modificari.

II. Dices: Si gravitas & levitas non possunt modificari, ut ab ipsis proveniant motus contrarii, ergò nec poterit aliqua alia qualitas sic modificari, quam pono infrà esse virtutem motivam; probatur consequentia, quia etiam ab ipsa non poterunt provenire effectus oppositi & contrarii. Resp. negando consequentiam cum sua probatione, ratio disparitatis est, quia illa qualitas est de se indeterminata ad motum, tam sursum, quàm deorsum, adeoquè uterquè ab ipsa provenire potest, gravitas & levitas verò sunt determinatæ ad unum certum motum, adeoquè per modificationem non poterunt acquirere, ut nunc moveant sursum, nunc deorsum, quia earum essentiæ non possunt immutari.

IV. Probatur tertia pars ex mente Scoti 2. d. 2. q. 9. In vacuo, si daretur, potest fieri motus successivus, sed in vacuo nullum esset medium, ergò medium non est causa, quòd moveantur projecta.

Probatur secundò: Quia videtur incredibile, quòd maxima corpora & ponderosissima, qualia sunt lapides, & globi ferrei per solum aërem moveantur, tanquam per causam, quia globi tormentarii etiam contra validissimos ventos feruntur, & quæcunquè obvia quatiunt & sternunt, ergò medium solum non est causa projectorum violentèr.

Probatur tertiò: Si motus projectorum proveniret ab aëre, tanquam à causa, non esset in principio velocior, quàm in fine, sed motus projectorum in principio est velocior, sicuti naturalium in fine, ergò non provenit ab aëre: probatur sequela, aër tam in principio, quàm in fine est ejusdem rationis, sed quæ sunt ejusdem rationis, æqualitèr causant, si habeant idem passum eodem modo applicatum, ergò etiam non posset esse in principio velocior, quàm in fine, sed deberet esse semper æqualis. Confirmatur: Si solus aër est causa motûs sursum lapidis, sequeretur, quòd deberet volare & tendere usquè ad sphæram ignis, quia est ubiquè ejusdem rationis, cùm non possit assignari ratio, quarè hìc ipsum portet & non etiam alibi.

Probatur quartò: Si aër est causa motûs projectorum, sequeretur, quòd plumam deberet fortiùs impellere & velociùs portare, quàm lapidem vel sagittam, sed hoc videmus experientiâ, non fieri, ergò: probatur sequela, quia aër facilìùs potest agere in corpus leve, quàm in corpus grave, ergò. Confirmatur Conclusio quoad eandē partem. Quia navis contra aërem, ventum, ipsumquè aquæ decursum remigantium impetu impulsa, desinente remigantium motu, adhuc ad illam partem movetur ad quam erat impulsa, sed non potest dici, quòd motus ille ab aëre, aut ab aqua proveniat, cùm potiùs ipsum impediant ad adversam partem tendendo.

F. Amandi Hermann Physica.

Dices: Frequentèr motus violentèr motorum provenit à solo aëre, ergò dicendum est, semper fieri: probatur ant. quia magna campana elevata ab eo sursum, qui funem trahit campanæ manubrio alligatum, & postea sibi relicta non solùm descendit ad perpendiculum, sed etiam sursum ab altera parte, & talis motus continuatur diu, sed non potest hic motus alicui alteri tribui, quàm aëri, ergò. Resp. negando ant. ejusquè probationis mi. quia ille motus, quâ parte est sursum, provenit ab impulsu impresso ipsi ab agente, nam quò fortiùs trahitur, eò fortiùs & diutiùs movetur, quâ parte autèm deorsum est, debet tribui gravitati campanæ. VI.

Dixi in Conclusione *aut à solo medio*, quia non nego medium aliquo modo concurrere, imò id concedendum est, nam medium juvat tum impellendo à tergo, ut vacuum impediatur, tum, quia quando est ab agente commotum, aliqualitèr defert mobile, ut videmus fieri in reculis levioribus. VII.

Dico 2. *Motus projectorum principalitèr provenit ab impulsu impresso à projiciente.* Hæc sequitur ex prima. VIII. *Provenit ab impulsu.*

Probatur primò: Quia non est aliud assignabile, ergò. Secundò: Projiciens immediatè per seipsum impotens est, movere lapidem per spatium distans à projiciente, tum quia cùm lapis movetur in spatio distanti, projiciens nihil agit in medium, ergò non potest agere in lapidem distantem, aliàs ageret in distans, quin ageret in propinquum, tum, quia si lapide projecto moriatur projiciens, lapis adhuc movebitur, sed tunc non à projiciente, qui amplìùs non est, ergò debebit moveri ab impulsu impresso ab agente.

Opponitur Authoritas Aristotelis 2. Cœli. 35. dicentis: Motum projectorum esse velociorem in medio quàm principio, vel fine, sed si impulsus fieret à projiciente, motus deberet esse in principio velocior, quàm in medio, ergò projecta violentèr non moventur ab impulsu: major universale quasi est axioma, probatur mi. quia projiciens agit uniformitèr & in medio augmentum in impulsu producere non potest, propter distantiam, ut fateor ipse, ergò. Sed Resp. Aristotelem ibi loqui de motu viventium, non verò de motu inanimatorum, & quòd motus noster in medio sit velocior, quàm in fine vel principio, inde provenit, quòd in principio spiritus vitales & animales quòdammodò sint somnolenti & tepidi, & per cursum paulatim excitentur, unde fit, quòd in medio cursu sunt vehementiùs calefacti, atquè adeò vigorantur & intensiorem causant impulsum, durante verò diutiùs motu iterùm, ob fatigationem & spirituum exhalationem, languescunt & motus consequentèr fieri debet remissior. IX. *Opponitur & solvitur Arist.*

Instatur: Non modò in animatis, sed etiam in non viventibus motus projectorum in medio est velocior, quàm in fine vel principio, ergò nulla solutio, & consequentèr motus non

causatur ab impulsu, quia illius intensionis non potest assignari causa impulsus, quia alioquin idem seipsum intenderet: probatur ant. Nam rei militaris & fortioris Armaturæ experti, prout ipse frequentèr audivi à nobilibus viris militibus præclaris, Tormentum quodlibet, secundùm quod magnum est, in proportionata distantia collocari debet, ut murum quatere & confringere possit, ita quòd si nimis propinquum sit muro perfrigendo, non plùs efficere, quàm si esset nimis distans, sed hoc non ob aliam rationem, quàm, quod non habeat medium, per quod vires suas intendat, ergò etiam in non animatis motus in medio est velocior. Respondeò, si vera est ista experientia, ut puto esse, illam velocitatem majorem non quidem provenire ab impulsu solo, sed etiam à medio, quod propter fortem impetum concurrit ad intensionem motûs, ad impediendum vacuum, eò, quòd aër vehementèr per primum pulsum commoveatur, qui dum incipit languescere, aër etiam non concurrit ampliùs tam fortitèr, ideoquè in fine, sicut in principio motus est remissior, usquè dum tandem totaliter desinat & cesset.

Urgetur: Si aer concurrit ad intensionem motûs, sequetur, quòd, quò diutiùs aer concurrit, eò magis motus deberet intendi, & sic usquè ad infinitam distantiam intendi posset, sed hoc est falsum, & contra omnes experientias, ergò: probatur sequela, quia aer ubiquè est ejusdem rationis, ergò si semel potest intendere semper poterit, & consequenter intendet continuò, ergò: probatur ant: quia non potest assignari, quando nam cessaret intendere, vel cur? sicut nec potest assignari tempus, vel ratio, cur ipse impulsus desinat, cùm non desinat per corruptionem subjecti, nec per introductionem contrarii, nec per ullam aliam causam corrumpentem, ergò. Respondeo negando sequelam, cum sua probatione, & dico rationem esse, quarè aer non semper concurrat ad intensionem motûs producendam, quia impulsus à projiciente impressus incipit languescere, ideoquè aer non ita celeritèr & velocitèr accurrit, impulsus verò ipse desinit, ex eo, quòd non petat connaturaliter diutiùs conservari juxta conditionem subjecti & circumstantiarum, eo modo, quo desinit sonus, quem negat nemo, nullus tamen aliam affert rationem, cur desinat, nisi quia diutiùs conservari non exigit.

X. Dices: Sed nequè assignari potest, quomodò producatur iste impulsus, an in instanti? vel tempore? non primo modo, eò, quòd habeat contrarium, est enim contra naturalem subjecti inclinationem; nec etiam successivè, seu in tempore, quia tunc esset priùs in una parte, quàm in alia, cùm omnes tamen simul moveantur. Resp. impulsum illum produci in tempore, seu successivè, ratione motûs localis necessariò requisiti ad projectionem, quia pellens pellendo movet; Nec refert, quòd habeatur priùs in una parte, quàm in alia, dummodò antè projectionem omnes partes impulsum habeant.

QUÆSTIO X.

A quo moveantur corpora, quæ resiliunt?

Cùm motus projectorum fiat per impulsum, seu qualitatem motivam mobili ab agente impressam, ut dixi quæstione præcedente, certùm est etiam, motum resilientium fieri per qualitatem impressam, quia sunt etiam violentèr reprojecta, nec de hoc supposito priori ulla est controversia, dubitatur tamen de causa, quænam producat hanc qualitatem, quæ corpus facit resilire, an videlicet projiciens, an verò corpus ipsum resistens. Ad quam postmodùm sequitur alia difficultas, scilicet; An corpus resiliens in puncto suæ resilientiæ quiescat, an verò uno eodem motu continuo moveatur à projiciente usq; adipsum? Utramquè difficultatem breviùs, quàm potero, expediam, unde

Dico 1. *Probabiliùs videtur, quòd impulsus, quo projectum resilit, causetur à projiciente vel impellente, & non a corpore, à quo fit resilientia.* Ita Scotistæ communitèr &

Probatur primò: Quia pila, verbi gratiâ, projecta contra parietem eò fortiùs & vehementiùs resilit, quò fortiùs & validiùs fuit projecta, sed hoc non potest aliundè provenire, quàm ab impellente, ergò: patet major, quæ est manifesta experientiâ, probatur mi. quia si esset aliquid, à quo provenire posset, esset paries, sed ab eo provenire nequit, ergò: probatur mi. quia in pariete nihil est, præter duritiem & quantitatem, sed neutra est ita activa; probatur de quantitate, quia alioquin Mathematicus agendo de quantitate, non abstraheret à motu; Neque durities causa esse potest, quia si Deus conservaret corpus aliquod molle in suo esse, secundùm quantitatem & figuram, æquè haberetur motus, ac si fuisset ibi corpus aliquod durum, ergò.

Probatur secundò: Omnia, quæ impulsum projectis imprimunt, debent eum imprimere mediante motu, qui est causa vel saltèm conditio necessariò requisita, sed corpora, à quibus fit motus reflexus, non moventur antecedentèr, ergò illa corpora non possunt imprimere impulsum; major & minor est certa, consequentia ergò est optima. Confirmatur Conclusio: Quia reflexio lumenis fit ab agente, à quo actione directà productum est, & non à corpore, à quo fit reflexio, ergò etiam resilientia corporis projecti non fit à corpore resistente, sed à projiciente.

Dices: Motus sursum & motus deorsum distinguuntur specie, ergò non possunt provenire ab eodem impulsu, ergò est diversus impulsus, quo resilit pila à terra sursum, verbi gratiâ, & quo projicitur vel impellitur deorsum. R. 1. dist. distinguuntur specie accidentali, transeat, substantiali, nego ant, & consequentiam. R. negando consequentiam, quia quemadmodùm eadem virtus locomotiva animalis potest movere sursum & deorsum, ita etiam impulsus, cùm sit ex se indeterminatus, determinabitur porrò ab extrinseco.

Per

IV. Per hæc tamen non velim negare, quin corpus reflectens, vel resilire faciens concurrat etiam, non quidem effectivè, sed per modum alicujus conditionis necessariæ, & hoc quàm maximè patet, quòd corpora projecta non æqualiter resiliant ab omnibus corporibus, si enim pila projiciatur contra saccum lanâ repletum, verè non facit tantam resilientiam, ut proinde etiam ii, qui in oppugnationibus sese contra Tormentorum vim & conquassationem munire volunt, soleant opponere saccos lanâ repletos, ad quos globus tormentarius evibratus plurimùm debilitatur.

V. Dico 2. *Mobile aliquando in puncto reflexionis quiescit, id tamen non est absolutè necessarium semper fieri. Ita Doctor quodlib. 12. a. 3.* Et

Probatur quoad 1. p. Quia si pila mollior seu rarior projiciatur contra parietem, tunc prior pars pilæ priùs tempore tangit parietem, quàm aliæ, ita, ut per compressionem successivè tangant secundùm majorem vel minorem superficiem, ergo priores quiescunt, usquè dum tetegerint aliæ, patet ant. quia si eadem pila inficeretur colore rubro, relinqueret partem parietis coloratam, secundùm ipsam magnitudinem suam, ergò quievit, quia ad alterationem faciendam necessariò requiritur tempus.

VI. Probatur secundò eadem pars: Ex quadam experientia sic: Si traheretur una linea in aliquo spatio ab *A* usquè ad *B* directissimè, ità, quòd nihil obstet, & altera trahatur similis linea, sed quæ solùm usquè ad medietatem prioris lineæ pertingat, & imaginetur, quòd sit linea *A* usquè ad *C*, in *C* si aliquod corpus resistens & impediens motum pilæ, tunc si per utramquè lineam projiceretur aliqua pila, illa, quæ fuisset directè projecta ab *A* usquè ad *B*, citiùs esset in *B*, quàm altera pila, quæ esset projecta ab *A* usquè ad *C*, antequàm rediret ad terminum *A*, sed hujus tardioris motûs non potest allegari alia ratio, nisi quòd pila in objecto aliquantulum quieverit, ergo. probatur mi. quia suppono, pilas esse per omnia pares, æqualiterquè motas, & spatium directum non esse minùs, quàm illud, per quod reflexè movetur, ergò. Et hæc experientia si vera est, rationi certè prævalet.

Attamen probo alteram partem Conclusionis: Quia si projiceretur aliquod corpus leve sursum, cui ingens lapis vel aliquod aliud corpus grave obviaret & occurreret, in tali casu corpus leve deberet resilire & reflectere, sed tunc non quiesceret, ergo. probatur mi. quia si corpus leve tunc quiesceret, deberet etiam quiescere corpus grave, verbi gratiâ, lapis molaris, sed tale corpus non quiesceret, ergò nequè corpus leve, probatur ma. quia tunc lapis molaris non penetraret corpus leve, & consequentèr si corpus leve quiescit, impedit, quò minùs tempore quietis lapis ejus occupet locum, ergò etiam lapis quiesceret; probatur etiam minor, quia videtur incredibile, quòd corpus quodcunq; leve, verbi gratiâ, pluma posset impedire motum lapidis maximi deorsum, ergo.

Pro fine hujus quæstionis, totiusquè disputationis adhuc nonnulla dubia resolvenda erunt, quæ non videntur mereri fusiorem examinationem, quamvis plura difficultatate non careant, sunt tamen apud omnes obvia: unde VII.

Quæres 1. An idem possit moveri motibus contrariis? Respondeo, in genere substantiæ, qualitatis & ubi, idem non potest moveri motibus contrariis completis, benè tamen inadæquatis. VIII. *An idem possit moveri motibus contrariis.*

Patet prima pars, idem non potest generari, & corrumpi simul & semel, fieri & destrui &c.

Probatur secunda pars: Quia nequit una eademquè qualitas simul & semel intendi & remitti, nec deniq; lapis eâdem vice potest ascendere sursum, & descendere deorsum.

Probatur tertia pars: Quia in omnibus viventibus, & maximè sensitivis & rationalibus idem corpus simul & semel crescit & decrescit, ergò idem corpus movetur duobus motibus contrariis; probatur ant. quia calor naturalis depascit aliquid de viventis substantia per suam activitatem, & etiam virtus nutritiva è contrà alimentum in substantiam alitì convertit defectumq; priorem supplet, ergò idem crescit & decrescit, & consequentèr idem movetur motibus contrariis. Verùm quia in accreatione non modò quantitas, sed substantia etiam acquiritur, ideò videtur idem etiam secundùm substantiam moveri posse motibus contrariis, non quidem per quos poneretur, & non poneretur ad esse, sed per tales, per quos transiret à minori ad majorem, vel ab æquali deperdita, ad æqualem acquirendam. Imò si hoc sufficit, posset dici, quòd idem etiam posset moveri motibus contrariis localitèr, si illud habeat ubi definitivum, & sic anima movetur sursum & movetur etiam deorsum, verbi gratiâ, manu dextrâ sursum, sinistrâ deorsum, neq, juvat dicere, motus hosce esse inadæquatos, quia licèt verum sit, quòd sint inadæquati respectu corporis, non est tamen verum respectu animæ, quæ non secundùm partem sed secundùm se totam movetur.

Quæres 2. Unde proveniat, quòd motus gravium deorsum & levium sursum sit in fine velocior, quàm initio vel medio? Respondeo rationem esse, quia gravia in se producunt qualitatem impellentem, quæ, quò longior est motus, eò magis augetur, ac proinde in fine, quia magis impelluntur, magis moventur, quæ etiam causa est, quòd grave cadens ex altiori loco plùs noceat, quàm si caderet ex demissiori; item ratio est, quòd faciant resilitientiam à proprio centro, puta, si lapis, aut globus rotundus caderet ad terram duram, vel saxosam resiliret contra propriam inclinationem, quem resultum non producit gravitas globi, sed illa qualitas impressa, quàmvis etiam obstaculum concurreret & figura, nam puto si lapis magnus quadratus ex summo aliquo loco caderet, quod exiguam, imò nullam faceret resistentiam. Sed IX. *Cur motus in fine velocior.*

Quæres 3. An in projectis idem eveniat? Respondeo negativè, sed motus illorum in medio est velocior, quia usquè ad medium qualitas impressa ab agente non remittitur, ideoquè aër concurrens ad impediendum vacuum, concurrit etiam ad augendum motum, remittente autèm impulsu projicientis, cessat etiam aër fortiter concurrere, & sic motus iterum elangueſcit, ut suprà dixi.

XI. *Quare unum projectum citiùs moveatur alio.*

Quæres 4. Unde proveniat, quòd unum projectum magis & velociùs moveatur, quàm alterum? Resp. hoc posse provenire ex pluribus capitibus; Primò si medium sit densius, vel rarius, nam si densum est, magis impedit, quàm si sit rarum &c. Secundò ex parte mobilis, si huic possit imprimi major vel minor impulsus, quemadmodùm enim corpus maximum & vires moventis omninò excedens nullatenùs moveri potest, ità pariter si sit aliquod corpus, quòd etiam valdè exiguum impulsum recipere possit, parùm, aut nihil movebitur, ut patet de palea, pluma, &c. Tertiò denique, si Movens fortiùs vel remissiùs imprimat impulsum, & suam applicet potentiam & virtutem motivam. Quartò etiam ratione figuræ, quia globus sphæricus faciliùs descendit, quàm si esset aliquod corpus planum. Sed

XII. *Unde desumatur velocitas motus.*

Quæres 5. Unde desumatur velocitas motûs unius corporis gravioris, præ alio? si suprà nominata omnia sint paria, puta, si lapis centum librarum & alter quinquaginta dejiciatur ab eadem turri, eâdem vi, per eundem aërem, unde proveniat, quòd unus velociùs moveatur præ alio? Resp. hoc provenire à gravitate majori; & ratio est: Quia ideò grave descendit, quia habet gravitatem, ergò ideò magis descendit, quia habet majorem gravitatem; ant. patet probatur consequentia: Quia, sicut calor est causa caloris, ità major calor est causa majoris caloris, ergò etiam, sicut grave est causa descensûs, ita major gravitas erit causa majoris, seu velocioris descensûs. Aliqui Recentiores dicunt, æquali motu pondus majus & minus moveri deorsum, & adducunt pro probatione experientiam, quæ si vera est, prævalebit omninò rationi, de ea tamen multum dubito.

Quæres 6. Ad quod prædicamentum motus collocari debeat? Resp. Si motus fundamentalitèr consideretur pro termino acquisito per motum, quòd tunc collocari non possit ad unum determinatum prædicamentum, sed ad substantiam nunc, paulò post ad quantitatem &c. Si verò formalitèr consideretur, tunc probabilitèr referri potest ad passionem, non quidem in quantum est correlatio ad actionem, sed prout dicit illud, à quo habet aliquid pati formalitèr. Et hæc de motu ad Motoris æterni qui

Immotus Stabilisquè manens dat cuncta moveri,

Gloriam & Honorem dicta sufficiant.

LIBER

LIBER IV.
DE LOCO & VACUO.

DUplici de causa Aristoteles post motum agit de loco & inprimis quidem, quia inter celebriores motus, localis est, eo itaque explicato conveniebat, ut ejus terminum quoque, qui locus est, explicaret; secundò, quia quælibet res existens pro aliqua proprietate & affectione locum sibi vendicat, ideò hæc affectio hîc prætermitti non debuit. In materia de Loco addit Aristoteles disputationem de vacuo, duplici, ut existimo, etiam de causa, primò, quia contrariorum eadem est ratio & disciplina, secundò, quia multi Antiqui inter locum, & vacuum non distinxerunt, ideóq; simul congruè examinantur. Sit igitur

DISPUTATIO IV.
DE LOCO.

QUÆSTIO I.
Quid sit Locus?

I. Intricatissimè Authores passim disputant de Loco, ejusq; natura, absque omni prorsùs necessitate, cùm id magìs faciant, ut Aristotelis dicta defendant, tanquàm essent oracula plùs, quàm Delphica, & non ut veritatem ostendant, cùm tamen rationi favendum esset potiùs, quàm ejus authoritati, cùm imbecillitatis signum sit, ex authoritate solùm edissere, quare

II. Locus multiplicitèr accipi potest.

Notandum: Locum multiplicitèr accipi posse: Primò enim capitur pro omni eo, in quo aliquid recipitur, sic dicitur, materiam esse locum formarum, intellectum specierum intelligibilium, & hæc acceptio est planè metaphorica; Secundò accipitur pro loco artificiali, sic Professor dicitur sedere in chatedra, vinum in vase vel amphora &c. Verùm in his acceptionibus de eo non agitur, sed in acceptione Physica, pro eo scilicet, qui necessariò requiritur ad motum lationis, tanquam terminus *ad quem*, qui in se locatum formalitèr continet, & in hac acceptione dupliciter considerari potest; *formaliter* vel *fundamentaliter*, seu materialitèr; Locus *formaliter* sumptus non est aliud, quàm respectus rei locantis ad locatum, *materialitèr* verò sumptus est ipsa res, quæ fundat respectum, & de hoc loco eoq; proprio & immediato, non verò de communi & mediato procedit controversia, quidnam sit? Circa quam materiam tam olim, quàm nunc plures fuerunt sententiæ, Solemniores sunt duæ: Prima est Platonicorum, Stoicorum & Academicorum, qui omnes asserunt, locum non esse aliud, quàm spatium aliquod, seu intercapedinem intra cujus latitudinem corpus locatum continetur. Secunda sententia est Aristotelis, qui vehementissimè in priorem invehitur, magìs tamen oppugnandi & taxandi arrogantiâ, quàm veritatis tuendæ gratiâ, qui cum Peripatecis docet, locum non esse spatium, *sed superficiem ambientem corporis immobilem*, quæ definitio ratione posterioris particulæ *immobilis* tot habet explicationes, quot sunt capita explicantium, nam Arriaga dicit, & putat Aristotelem per illam non definivisse alium locum, quàm terræ, quòd qualitèr dictum sit, non est opus censuras Solemniorum adferre Doctorum, cùm etiam Rustici & Villani modicè informati eam refellere possint: Pererius &c. asserunt Locum esse immobilem respectu corporum simplicium, non verò mixtorum, sed nec hoc veri apparentiam habet, cùm Aristoteles non tantùm Simplicium corporum Locum definire intenderit, utpotè cùm agat de eo, veluti proprietate & affectione communi aliis corporibus; Thomistæ verò dicunt Locum esse immobilem per ordinem ad partes fixas totius mundi; attamen non implicat, quin columna possit poni in aliquo loco, quâ immotâ Deus moveret totum Universum, prout se facturum Archimedes spopondit, si pedem extra mundum figere valeret, sed in tali casu

mutarentur partes universæ & moverentur, non tamen columna, ut suppono, ergò locus non est immobilis per ordinem ad partes fixas universi. Alii aliter explicant, & quilibet in suo sensu se abundare autumat, ita, ut quæstionem putem esse magis nominalem, quàm realem, quarè existimo, extremas illas duas sententias facilè concordare posse, quod præstare conabor mediante distinctione de loco principaliori & primario, & de loco secundario, seu minùs principali, unde

III. *Locus primarius est spatium.*

Dico 1. *Locus primarius cujuscunq; corporis est spatium, quod corporis partibus secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem occupatur.* Hanc reor esse conformiorem menti Sanctorum Patrum, quàmvis sit difformis Aristoteli, &

Probatur Eorundem authoritate, nam Divus Augustinus frequentèr docet: Cœlos esse in loco, sed nisi esset spatium locus, non essent in loco, ergò: major probatur, nam lib. 2. serm. Dom. in mont. cap. 5. ait: *Sunt enim Cœli excelsa mundi corpora, quæ non possunt esse nisi in loco*: probatur etiam minor, quia Cœlum supremum non est in superficie; ergò si spatium non esset locus, Cœlum supremum non esset in loco. Similitèr Divus Bernardus Serm. 86. dicit: *Neq; corpus locus animæ est. Locus siquidem cujuscunq; rei finis est suæ substantiæ*; ergò superficies non est locus, alioquin non dixisset Sanctus Pater, locum esse finem suæ substantiæ, sed potiùs initium superficiale alienæ; nam Cœlum supremum, quod in loco esse non negatur, non habet, nisi finem suæ substantiæ. Quarè licèt in eodem Sermone Sanctus Abbas dicat: *Mensuram in loco & tempore considerari*, hoc tamen intelligi debet in sensu sequentis conclusionis, de superficie, quæ reverà mensuræ rationem habet. De mente Doctoris subtilis planè ambigendum non est, nam licèt nonnunquam locum dicat esse superficiem continentem, attamen 5. Metaph. q. 9. n. 15. expresè docet: *Quæ Philosophus dixit in prædicamentis de loco, non sunt vera*, clarè autèm 4. Phys. q. 2. n. 7. refert sic: *Aliqui dicunt, quòd contentum spatium intra latera continentis, quod est præcisè æquale corpori locato & contento, sit locus ipsius & ista opinio est multùm probabilis, nec potest evidenter impugnari.* Ex qua doctrina & ratione implicitè insinuata formo argumentum ex ratione, &

Probo Conclusionem secundò sic: Locus debet esse æqualis & proportionatus locato, sed solum spatium est sic proportionatum, ergò: probatur mi. quia non superficies; ergò solum spatium: probatur ant. Superficies non est longa, lata & profunda simul, sed corpus locatum circumscriptivè est longum, latum & profundum simul; ergò superficies non est æqualis, & proportionata corpori locato, consequentèr nequit esse locus.

IV. Probatur secundò: Angelus & Anima rationalis, etiam separata, est in loco, sed angelus & anima non sunt in superficie; ergò superficies non est locus primarius: ma. est indubitata: probatur mi. quia superficies est inepta ad locandum angelum, cùm sit divisibilis, divisibiliterq; partes ambiens, sed angelus non est sic divisibilis; ergò superficies non potest locus esse angeli vel animæ.

Probatur tertiò: Ex proprietatibus & ratione loci, ad quem spectat, quòd repleatur à corpore, quo abscedente adhuc maneat, ita, ut actualitèr ab eo separari possit, & quòd commutato mutetur locus, eoq; manente locus remaneat, sed hæc omnia principalitèr competunt spatio, ergò: ma. patet; probatur mi. quia spatium repletur per triplicem dimensionem corporis, & eo mutato mutatur locus, ut si angelus de uno spatio supra superficiem cœli supremi moveret se ad aliud, sicut etiam quodcunque aliud corpus ibi, vel in vacuo alium acquireret locum & si idem spatium repleret, maneret in eodem loco, estq; separabile, ut de se patet, ergò. Alia adhuc, eaque potissima ratio hujus conclusionis est intricatissima difficultas, & involutio in explicanda superficiei immobilitate, quæ sufficiens ratio esse potest, ut ab ea discedatur, quoniam, sicut nihil debet fieri per plura, quod potest fieri per pauciora, ita nihil debet explicari per obscuriora, cùm per clariora fieri possit, cùm claritas amica sit veritatis.

Dices: Quando corpus ponitur in aliquo loco, perit ejus spatium; ergò spatium non est locus: probatur ant. quia spatium non est aliud, quàm negatio omnis corporis, sed posità formà perit negatio; ergò posito corpore perit negatio, seu spatium. Sed R. negando ant. Ad cujus probationem dico, spatium non esse puram corporis negationem, sed etiam capacitatem, ut repleatur ab aliquo corpore, unde, sicut non perit potentia, quando ponitur actus, ita nec tollitur spatium, seu capacitas, quando in eo ponitur aliquod corpus. Deinde si negetur, quòd continentia sit de essentia, vel ratione loci intrinseca, nullo modo demonstrari potest, cur spatium non sit locus? aut cur superficies tantùm esset? Sed Prosequor argumentum superius sic, &

Probo Conclusionem ultimò: Si spatium non esset locus primarius, esset superficies immobilis, hæc non est, ergò: ma. est Adversariorum: probatur mi. quia potest haberi eadem superficies & tamen mutari locus; ergò superficies immobilis non est locus: probatur ant. quia potest Deus mecum transportare superficiem hanc Comencensem usque Cistercium; ergò tunc est eadem superficies, & tamen est alius locus. Deinde superficies illa, quasi omni momento mutatur & movetur; ergò locus esse nequit, nec juvat dicere, mutari solùm, quantùm ad numerum, non verò quantùm ad æquivalentiam, quia alioquin dicam, si me moveam ex hoc cubiculo in aliud, quòd non mutem locum, quia habeo eandem superficiem secundùm æquivalentiam, licèt non sit eadem in numero. Aliqui ad argumentum dicunt, illam immobilitatem superficiei non esse naturalem, sed supernaturalem, quia Deus miraculosè mecum transferret Camencio usque Cistercium eam superficiem, sed malè adhuc; essentiæ rerum sunt immutabiles, etiam respectu potentiæ divinæ; ergò si immobilitas est de essentia

tia loci, nec supernaturaliter mecum transportari poterit.

Dices: Locus est relatio realis prædicamentalis, sed omnis relatio debet habere terminum realem; ergò etiam locus; subsumo, sed nihil potest assignari, quod sit terminus realis, quàm superficies; ergò superficies erit locus, isq; primarius. Sed respondeo dist. mi. Omnis relatio debet habere terminum realem, si sit relatio de quarto prædicamento, & simpliciter realis, concedo mi. si non sit de illo prædicamento, & secundùm quid tantùm realis, nego mi. & consequentiam. Itaque dantur multæ relationes, quæ ad alia prædicamenta spectant, ut motus alterationis, generationis, corruptionis, destructionis, quorum aliqui vel non habent terminum realem *à quo*, alii verò non habent terminum realem *ad quem*, ut est corruptio, annihilatio. R. secundò hoc argumentum æquè esse solvendum Adversariis, nam illi concedunt, quòd motus localis possit fieri in vacuo, sed ibi non esset terminus *à quo* & *ad quem* realis; ergò hoc non sufficit simpliciter ad rationem relationis; Nec valet dicere, quod habeat terminum realem mediatum; quia omnis relatio debet subjectari in termino proximo, qui dicitur esse terminus motûs localis: Deinde eodem modo dicam ego, quòd motus non habeat terminum realem principalem, benè tamen minùs principalem & secundarium, quia

IX. Motus localis non habet terminum realem principalem.

Dico 2. *Superficiem ambientem corpus locatum esse locum secundarium minùs principalem & per accidens.* Hæc videtur colligi posse ex Doctore, qui in 4. d. 10. q. 2. & in 2. d. 2. q. 6. &c. dicit, locum esse continens, sed superficies est continens; ergò superficies est locus, non primarius, ut ex ipsa mente subtilis suprà deductum est; ergò secundarius & minus principalis.

Probatur etiam ratione: Quia verè conveniunt munia loci superficiei, ergò: probatur ant. quia ambit corpus, repletur, & corpus in ea contentum, dicitur locatum; ergò: quòd autèm non sit primarius, patet, tum, quia potest esse aliquid in loco absque eo, quòd sit in superficie, ut patet de Cœlo supremo & de vacuo, si in eo poneretur aliquod corpus, quia hæc sunt alicubi, quòd autèm est alicubi, est in loco, quia, ut dicit D. Augustinus, quod nullibi est, nec est; ergò etiam illa sunt in loco, sed non sunt in superficie, ergo. Deinde per accidens est, quòd aliquod corpus ambiens præextiterit. Sed de hoc iterum redibit sermo, cùm egero de spatiis imaginariis, quod præstabo in disputatione sequenti, interim sit

QUÆSTIO II.

An & quomodo Deus sit in Loco?

Titulus quæstionis procedit tam de spatio, quàm de superficie, seu, tam de loco negativo, quàm positivo, quarè pro faciliori resolutione Notandum: Aliquid posse esse in loco multipliciter: Primò *indefinitè*, id est, sine omni fine; Secundò *definitè*, id est, limitatè ad aliquem certum locum vel spatium; Tertiò *circumscriptivè*, quod tunc contingit, quando aliquid est ita in loco, ut omnes partes loci commensurentur à partibus locati, & è contrà partes locati commensurentur partibus corporis locantis per veram coextensionem. Quartò potest aliquid esse in loco *circumscriptivè*, (*definitivè* vulgo) & est, quando aliquid est in loco sine tali commensuratione. Quintò denique *sacramentaliter*, quando aliqua quantitas est in loco aliquo, sine coextensione ad locum, & sine extensione ad partes ipsiusmet quantitatis, & sic est in Eucharistia Christus Dominus, qui non modò est ibi compenetratus cum quantitate panis, sed etiam cum omnibus partibus suis, ita, ut totus sit in qualibet parte hostiæ & totus in tota. De hoc modo essendi in loco, non spectat agere ad Physicum; de loco verò circumscriptivo non potest esse dubium, quæritur ergò de aliis essendi modis in loco, an Deus ibi sit & quomodò? Ad quod

Dico 1. *Deus non est in aliquo loco positivo Aristotelico.* Hæc non est in dubio, nam fide tenetur, Deum nullis claudi terminis, nullo circumscribi loco, ut palàm docent tum Sacra Scriptura, tum Sancti Patres, qui omnes docent, totum orbem non posse capere vel comprehendere Deum. Adduco tamen particulariter Doctores nostros Sanctos Augustinum, qui Serm. 1. verb. Apost. dicit Deum *nusquam inclusum* & Epist. 52. ait: *Neq; enim locis corporalibus vel extenditur, vel includitur; Ad eum ergò, qui ubiq; præsens est & ubiq; totus, non pedibus ire licèt, sed moribus.* Et lib. 6. Confess. cap. 3. *Tu enim Altissime & proxime, secretissime & præsentissime, cui membra non sunt alia majora, alia minora, sed ubiq; totus es, & nusquam locorum es.* Mellifluus quo que Bernardus Sermo. 6. in dedicat. templi ait: *Licèt enim in omni loco sit, qui nullo claudatur loco, signanter tamen dicimus Pater noster qui es in cœlis, quòd alitèr illic & proprio quodam modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens.*

II. *Deus non est in loco Aristotelico.*

Probatur etiam ratione: Omne illud, quod continetur in loco positivo Aristotelico, debet posse ambiri & claudi terminis loci, sed Deus non potest sic ambiri; ergò Deus non continetur in loco Aristotelico: probatur mi. tum, quia omne illud, quòd sic continetur, debet esse quid finitum; Deus autèm est infinitus, ergò: tum, quia quod sic ambitur, non est immensum & ubique, Deus autèm est immensus & ubiquè, ut proinde canat Ecclesia in laudem B. V. quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti: ergò.

Dico 2. *Deus est in loco negativo, seu spatio, non tamen per aliquod superadditum.*

III. *Deus est in loco negativo seu spatio.*

Probatur Conclusio quòad primam partem, tum ex Patribus suprà, qui docent, Deum ubiquè esse, sed locus negativus est ubiquè; ergò Deus est in loco negativo, non quidem, quòd ab eo ambiretur & contineretur, sed quia ubicunque spatium est, ibi Deus est: tum secundò; Deus ubiquè est, ubicunquè potest esse, sed potest esse in omnibus spatiis; ergò Deus ubiquè est. Confirmatur: Si Deus annihilaret totum aërem, aut sphæram ignis, quod

quod facere posse, ostendam inferiùs, in tali casu esset adhuc in illis spatiis & illis vacuitatibus, ergò: Plures probationes pro hac parte adducam infrà, cùm dicam, Deum esse etiam in spatiis imaginariis. Interim

IV. Probatur secunda pars: Ideò fit aliquid creatum in loco de novo per aliquod extrinsecum superadditum, quia simpliciter potest esse sine illo loco, sed Deus nequit esse simpliciter, quia omni spatio sit necessariò præsens; ergò est illi præsens sine aliquo de novo superaddito: probatur mi. tum, quia sic dicitur communiter de omnibus formis extrinsecùs advenientibus, quæ ideò contingenter denominationem subjectis dant, quia sine illis esse poterant, prout patebit discurrenti per omnia prædicamenta extrinsecùs advenientia: tum, quia ideò Titius est in loco hoc, verbi gratiâ *A*, per aliquod de novo superadditum, quia potest esse sine illo, sine quo, si esse non posset, nihil ipsi superaddendum foret, ergò: probatur mi. quia Deus, ut ex Patribus suprà liquet, necessariò præsens est cuicunque loco: ergò.

V. Dices: Deus aliquando est præsens rebus creatis, & aliquando non est præsens; ergò adhoc, ut sit Titio præsens, de novo debet esse ipsi præsens per aliquod de novo superadditum, probatur ant. Quia antequàm Titius esset productus, non erat ipsi præsens, post productionem fuit, & post destructionem iterum non est; ergò rebus creatis aliquando est præsens, aliquando non. Sed respondeo dist. ant. Deus est præsens rebus creatis aliquando, & aliquando non est immediatè, concedo ant. mediatè nego ant. Itaque Deus habet necessariam & incommutabilem præsentiam ad spatium, & eo mediante ad omnes creaturas, quarè quando creatura inducuntur per productionem in spatium, mediante spatio fit illis præsens, quando iterum tolluntur, non est ipsis præsens, quia ampliùs ipsæ creaturæ non sunt, nec tamen per hoc mutatur, quia per productionem creaturarum nihil de novo acquirit, & per destructionem nihil perdit.

Instabis: Omne ens in actu primo tale, fit tale in actu secundo per aliquod de novo superadditum, sed Deus est tantùm præsens creaturis non existentibus per actum primum; ergò fit præsens illis in actu secundo per aliquod de novo superadditum: patet major: probatur minor: quia Deus est omnibus præsens per immensitatem, sed immensitas est attributum in actu primo; ergò est præsens illis per actum primum. Sed respondeo negando minorem cum probationis mi. quia immensitas non est actus primus, sed secundus, quod patet ex eo, quod neque æternitas sit attributum in actu primo, nam secundùm Boëthium, est tota simul & perfecta beata possessio, sed tam benè æternitas commensuratur tempori, quàm immensitas loco; ergò si æternitas est actus secundus, etiam erit immensitas. Deinde si daretur, esse actum primum, hoc nihil obesset conclusioni, quia tamen exinde non liceret inferre, quòd esset præsens rebus per aliquid realiter superadditum.

Dico 3. *Deus non est in loco, seu spatio per suam operationem*: hæc est contra Thomistas & Nonnullos per omnia.

Probatur ex Authoritate D. Bernardi Serm. 3. super *Missus est*. Ubi dicit: *Deum ubique esse per suam substantiam*; ergò ex mente D. Bernardi non est præsens per operationem.

Probatur etiam ratione: Si Deus non esset præsens omnibus rebus per suam substantiam, sed solùm per operationem, sequeretur, quòd, si in spatiis imaginariis moveret aliquod corpus, lapidem verbi gratiâ, aut etiam in vacuo, quòd mutaretur localiter, sed hoc implicat & repugnat immensitati divinæ, ergò: probatur sequela, quia si esset vacuum aliquod quadratum, & Deus moveret lapidem ab uno latere ad alium, tunc in alio latere de novo acciperet esse locale, quia de novo operaretur ibi; ergò mutaretur localiter, probatur ant. quia antecedenter ibi non erat, cùm antecedenter ibi non operaretur: ergò

QUÆSTIO III.

Quomodo Angeli sint in Loco?

Angelos esse in loco, res omninò extra forum contentiosum, litesq; Scholasticas deducta est, nam hoc probant clarissimè sacræ paginæ, Sanctorumq; Patrum indubitata testimonia, qui angelos alios è cœlo dejectos, ad Tartara destrusos, alios in aëre Principes tenebrarum harum & rectores mundi docent, alios fidelium præesse orationibus, easq; in sublime Altare deferre perhibent, quòd Mellifluus Doctor suis inculcavit frequenter verbis & testatum reliquit scriptis, sic enim ait Serm. 7. in Cant. *Doleo proinde, aliquos vestrùm* gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cœli Cives revereri, sed in præsentia *Principum, tanquam mortuos apparere; cùm vestrâ ipsi alacritate permoti, vestrum interesse solemniis gratulentur & delectentur, vereor, ne vestram desidiam quandoq; abominantes, cum indignatione recedant, & incipiat unusquisq; vestrum serò cum gemitu dicere Deo: Longè fecisti Notos a me &c.* Ed *propter attendite Principes vestros, cùm statu ad adorandum vel psallendum, & state cum reverentia & disciplina, & gloriamini, quia angeli vestri quotidiè vident faciem Patris; Nimirum missi sunt in ministerium propter nos &c.* breviter & compendiosè ait D. Aurelius: *Quidquid est, alicubi esse necesse est*, sed Angeli sunt, ut fide creditur, ergò necesse est, eos alicubi esse, adeoque in loco. Nec de hoc ulterior est controversia; maxima tamen inter Thomistas & Scotistas, quorum primi putant, Angelos non esse in loco, nisi per solam operationem, ità, quòd si non operantur alicubi, ibi non sint, è contrà verò Scotistæ putant & docent, esse eos in loco, non per operationem, sed per suam substantiam & naturam, cum quibus etiam resolutivè

Dico: *Angelus non est in loco per solam operationem, sed etiam per suam substantiam.* Ita Authores secundæ sententiæ, & ante ipsos Mellifluus, Bernardus Serm. 5. in Cant. ubi ait: *Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri, sui*

salvè corporis instrumento (suprà enim multa dubitativè de Angelorum corporibus asseruit) *ita nobis immisceatur & infundatur quo ejus participatione docti, sive doctiores vel boni, sive meliores efficiamur*, id est per suam solam operationem voluntatis & clarè suprà relatus Serm. 86. de diversis ait: *Locum cujulibet rei esse finem suæ substantiæ*; ergò locus angelorum non est per operationem, sed per substantiam.

III. **Probatur etiam ratione primò:** Potest Angelus operari in aliquo loco, in quo non est; ergò Angelus non est in loco per operationem: patet ant. quia possunt illud aliqua, quæ sunt imperfectioris naturæ, quàm sit natura angelica, nam quotidiè faciunt hoc astra, cœli &c. quæ in terris producunt mineralia, ergò: probatur etiam consequentia. Quia si angelus esset in loco per operationem, deberet esse in omni loco, ubi est sua operatio, sed sua operatio potest esse in pluribus locis distantibus & adæquatis totalibus; ergò etiam angelus deberet ibi esse & si esset, tunc esset naturalitèr replicatus in pluribus locis adæquatis: probatur minor. Si Angelus, verbi gratiâ, aliquis ex inferioribus loqueretur Archangelis, ut fieri posse non est dubium, cùm etiam ego quotidie pro cathedra facio, tunc esset in omnibus locis Archangelorum, in quibus produceret suam locutionem, sed Archangeli possunt esse centum, qui audiant suam locutionem; ergò ille Angelus loquens esset in centum locis Archangelorum, & consequentèr naturalitèr in tot locis replicatus, quæ omnia sunt absurda, adeóque quàm maximè fugienda.

IV. **Probatur secundò:** Potest ex libertate sua cessare ab omni operatione, quod non videtur implicare, cùm sit agens liberum, vel saltem poterit à Deo impediri, quò minùs operetur, sed in tali casu angelus erit, & tamen non operabitur; ergò erit in loco & non per operationem; probatur minor, quia tunc non cessabit esse; ergò erit in loco adhuc, sicut antecedentèr fuit, probatur ant. quia angelus per liberam suam cessationem ab operatione non destrueret se, nec per denegatum concursum ad actiones suas annihilaretur, cùm angelus alius vel etiam ipse Deus videret eum esse adhuc hic, verbi gratiâ, Camencii in Refectorio, ergò. Nec dicas, in tali casu Angelum non futurum in Refectorio Camencensi actu, sed tantùm habitudine, quia esset actu indistans ab hoc refectorio; ergò actu esset in loco, idquè formalitèr, cùm hoc nihil sit aliud, quàm ab eo nullo modo esse distantem.

V. **Probatur Conclusio tertiò:** Possunt duo Angeli secum invicem pugnare & ab eodem loco expellere, ut factum legitur in Apocalypsi beati Joannis, sed in tali casu Angelus devictus pelleretur loco, non per suam operationem; ergò etiam antecedentèr non fuit in eo per operationem: ma. est certa, minor probanda est: Quia tunc angelus vel invitus & renitendo perderet locum, vel indifferenter habendo, si renitendo, haberet operationem ad hunc locum, secundùm velle, quem tamen perdere cogeretur, si indifferenter se habendo; ergò tunc non ageret & operaretur, & tamen alium acquireret locum. Confirmatur: Quando anima Lazari fuit deportata ad sinum Abrahæ, illa accepit locum per solum motum Angelorum, & non per operationem suam, ergò. Sed in Contrà

VI. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Si Angelus est in loco per suam substantiam, sequeretur, Angelum debere semper habere æqualem locum, sed hoc videtur esse contra naturæ angelicæ actualitatem, & sphæram sui termini, ergò: probatur sequela, quia substantia ipsius est semper æqualis. Sed respondeo negando sequelam, cujus probationem dist. Substantia Angeli est semper æqualis, secundùm entitatem & rationem fundamentalem essendi in loco, concedo, secundùm applicationem per imperium voluntatis determinantis substantiam ad majorem vel minorem locum occupandum, nego ant. & consequentiam. Itaque, licèt fundamentalitèr habeat angelus esse in loco per suam substantiam, quoad magnitudinem, tamen intra suam sphæram habet à voluntate.

Instatur: Si Angelus est in majori, vel minori loco per determinationem suæ voluntatis, sequeretur, eum esse in illo loco majori vel minori, per suam operationem, determinatio enim voluntatis est utiquè sua operatio; ergò etiam simpliciter in loco per suam operationem. Respondeo distinguendo sequelam; erit per suam operationem & determinationem in majori, vel minori loco effectivè, concedo, erit per suam operationem in loco, tanquam per rationem formalem vel fundamentalem, nego ant. & consequentiam.

Urgetur: Sequeretur, quòd Angelus posset se ab omni loco absolvere, quod est inconveniens. Sed respondeo negando sequelam, vel si mavis, distingue; poterit se ab omni loco, secundario & Aristotelico absolvere, transeat, quia hoc non videtur implicare, quò minùs si Deus faceret vacuum intra sphæram ignis, quò minùs, inquam, posset se illuc ponere, imò de facto, cur non posset se ponere supra convexam cœli supremi: posset se absolvere ab omni loco primario & per se, seu ab omni spatio, nego sequelam; quia quemadmodùm non potest se destruere, ita nec potest se ab omni tali loco absolvere. *Eo ipso enim, quòd est, necesse est, ut alicubi sit*, ut frequentèr intonat magnus Augustinus.

QUÆSTIO IV.

De Modo Essendi in Loco Corporum.

I. *Explicatur sensus quæstionis.*

Certum quoque est, omnes substantias corporeas esse in loco, & hoc quidem circumscriptivè quemadmodùm angeli dicuntur esse in loco definitivè, difficultas tamen est, An, quando totum aliquod Physicum ponitur in loco aliquo, verbi gratiâ homo, singulæ partes hominis habeant suas particulares præsentias & singulares ubicationes, an verò ubicentur & præsentes sint unâ præsentiâ totius, similiter an etiam quantitas & qualitates in homine repertæ

singulæ suis propriis præsentiis ubicentur? De partibus tamen integrantibus non currit quæstio, quia hæ supponuntur ubicari particularibus præsentiis, nam præsentia manûs non est pedis, nec pedis est capitis &c. Itaquè ad quæstionem

II. Omnes partes subst. quantitas & qualitates sunt in loco per propriam præsent.

Dico: *Partes essentiales substantiæ corporeæ, imò etiam quantitas, & quælibet qualitates sunt præsentes in loco per propriam præsentiam.* Ita Scotistæ communiter. Et

Probatur, quòad singulas partes, prima quidem sic de hominis partibus: Nullum spirituale potest esse præsens per ubi circumscriptivum, sed anima hominis est spiritualis, ergò non potest esse præsens loco per ubi corporis, quod est ubi circumscriptivum, patet ma. quia ubi circumscriptivum exigit commensurationem partium rei locatæ ad partes rei locantis, anima non habet extensionem partium, ergò.

Sed probatur etiam universaliter de quibuscunque aliis formis substantialibus primò: Quia licèt aliqua uniantur in eodem spatio temporis, non tamen durant unicâ duratione, sed duabus; ergò etiam, licèt aliqua uniantur in eodem loco, non debent existere unâ præsentiâ, patet consequentia à paritate, probatur ergò ant. materia est unita cum forma & existunt in eodem tempore, sed non existunt eâdem duratione, ut de se patet, ergò.

Secundò probatur: Item, potest Deus destruere formam substantialem, & relinquere materiam nudam & spoliatam omnibus accidentibus, sed destructâ formâ destruitur etiam ejus præsentia, quia destructo subjecto destruitur etiam ejus modus; ergò materia existit per præsentiam distinctam à præsentia formæ, non enim est necesse, ut materia etiam statim destruatur. Eodem modo potest fieri argumentum de forma, si destrueretur materia.

Imò de omnibus accidentibus, de quibus probatur Conclusio primò sic: Si destrueretur quantitas & relinqueretur substantia sine ea, hæc non statim deberet deperdere suam præsentiam quam in loco antè habuit, & si substantia destrueretur relictâ quantitate, hæc etiam non deberet statim perdere & mutare suum locum; ergò quantitas non est in loco per præsentiam substantiæ, nec substantia per præsentiam quantitatis.

Secundò: Quandocunquè aliqua forma potest poni in pluribus & non est potior ratio, cur sit in uno subjecto & non in alio, debet poni in omnibus, sed non est ratio, quòd præsentia & ubicatio, quæ est forma respectiva, ponatur in quantitate potiùs, quàm in qualitate vel substantia, in quibus omnibus esse potest; ergò debet poni in omnibus: probatur ma. quia ideò dicitur, quòd similitudo inter duas rosas tam benè sit in rosa *A*, quàm rosa *B*, & ideò admittitur apud Scotistas duplex unio in composito substantiali, quia tam benè materia dicitur uniri formæ, quàm forma materiæ: probatur min. quia alioquin si poneretur in uno subjecto præsentia, deberent omnia alia esse in loco per hanc præsentiam, quòd inconveniens est: Deinde quando separantur accidentia à substantia, quælibet habent proprias præsentias; ergò etiam habebant conjuncta.

III. Argum. tum ratione rerum.

Arguitur: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas in composito aliquo substantiali ponere plures ubicationes: ergò: probatur mi. Quia si unica fuerit, omnia, quæcunque unita fuerint composito, erunt præsentia, ergò. R. negando mi. Quia necessitas est, quia potest aliquod compositum poni in uno loco cum quantitate, & omnibus qualitatibus & in alio loco sine omnibus illis, quod signum evidens est, illa non poni in loco eâdem ubicatione. Si autèm ista omnia ubicarentur unicâ ubicatione, tunc esset impossibile, ut unum ubicaretur sine altero, ut patet, cùm materia non possit ubicari sine seipsa, &c.

Instatur: Non potest unum compositum poni sine quantitate & qualitatibus in uno loco & in altero sine illis, nisi per Dei potentiam; ergò, naturaliter loquendo, omnia sunt ubicata unâ ubicatione, licèt supernaturaliter ubicarentur pluribus. Sed R. negando consequentiam, quia, si semel unicâ ubicatione compositum non potest esse in loco, nunquam erit, tum, quia Deus non variat naturas rerum, tum, quia forma nunquam impeditur, quod potest præstare in genere formæ, si autèm impeditur, signum est, quòd nunquam præstare poterit.

Arguitur secundò: Omnia, quæ sunt in toto quanto, sunt quanta eâdem quantitate; ergò etiam omnia, quæ sunt præsentia in eodem loco, sunt præsentia unicâ ubicatione. R. negando consequentiam; Disparitas est, quia plures præsentiæ sunt compossibiles ad seinvicem, non verò plures quantitates. II. Idem

Instatur: Quantitas est fundamentum, seu ratio fundandi præsentiam; ergò si quantitas est una, etiam præsentia & ubicatio erit una. R. primò, negando ant. Quia fundamentum est substantia, imò dici potest, esse omne id, quod potest esse præsens in loco. Et si tibi hoc non placet. R. secundò dist. Quantitas est ratio fundandi præsentiam, quæ facit esse in loco impenetrabiliter, concedo ant. quæ facit esse in loco simpliciter, aut definitivè, nego ant. & similiter dist. consequens. Contrà I. Responsionem

Urgetur: Non potest aliquid esse fundamentum præsentiæ, nisi quod potest per se moveri motu locali, sed multa, quæ sunt in composito, non possunt per se moveri motu locali, ergò. R. negando ma. Quia in omni debet poni præsentia, quod potest moveri, sive posteà moveatur per se, sive non, dummodò res sic mota possit esse in loco præsens absque eo, quòd etiam illud alterum sit præsens, quæ est ratio multiplicandi præsentias.

QUÆSTIO V.

An res possint aliquæ esse, & non esse in ullo Loco?

Ad hanc quæstionem Scotistæ defendentes Locum Aristotelicum superficiei, non modò respondent, id fieri posse, ut res aliqua sit, & tamen nullibi sit, imò hoc defactò contingere cum Cœlo supremo, quod quoad superficiê convexam, seu quòad locari non est in aliquo loco, benè

benè tamen quòad superficiem concavam, seu quòad locare; Quidquid tamen dicant ipsi, ego

II. Dico: *Nullam creaturam esse dabilem, quæ ad extrà producta sit, & non sit in aliquo determinato ubi, seu: Nullam creaturam posse esse & nullibi esse:* Ita Scotistæ complures post subtilem Doctorem, & Recentiores catervatim contra Pontium, Vasquem & Oviedo.

Probatur Conclusio primò Authoritate Sanctorum nostrorum Doct. D. Augustini Epist. 57. ubi ait: *Spatia Locorum tolle corporibus, nusquam erunt & quia nusquam erunt, nec erunt:* & 151. docet: *Omne corpus in loco esse:* lib. de immort. animæ: cap. 1. ait: *Quidquid est, nusquam esse non potest.* D. Bernardus, licèt hoc expressis non habeat terminis, clarè id tamen insinuat, dum docet: *Finem substantiæ cujuslibet rei locum esse.* Ex quo sic argumentor: Implicat rem esse sine suæ substantiæ fine, id est, sine suæ naturæ limitatione; ergò implicat creaturam esse sine loco & omni ubi, quod Confirmari potest tali ratione: Implicat rem esse in rerum natura & non durare; ergò etiam implicat rem esse extra suas causas sine omni ubicatione.

III. Probatur Conclusio etiam Ratione, primò: Si posset aliqua creatura esse & nullibi esse, maximè, quæ fuisset creata ante mundi constitutionem, vel defactò in spatiis imaginariis vulgò dictis, sed hæc necessario esset in loco; ergò non potest aliqua creatura creari, quæ non sit in loco: probatur mi. tum, quia locus nihil est aliud, quàm spatium, ut suprà dixi: tum sic, si aliqua creatura crearetur in vacuo, quod Deus potest facere, etiam secundùm ipsos Adversarios, à terra usque ad sphæram ignis: illa creatura in eo casu esset in loco; ergò etiam illa, quæ crearetur in spatio imaginario; probatur consequentia ab omnimoda paritate, cùm spatium imaginarium & vacuum inter se non differant, nisi penes terminos, quòd hoc scilicet, sit finitum, alterum infinitum.

Probatur secundò: Nulla creatura existere & creari potest, cui non sit Deus intimè præsens; ergò etiam nulla res, quæ non sit alicubi: ant. est certum & à nemine negatur: probatur consequentia, Deus esset illi creaturæ præsens intimè; ergò etiam creatura Deo, sed esse præsentem alicui, arguit locum; ergò illa creatura esset in loco: probatur ma. quia correlativa sunt ista; ergò si Deus est præsens creaturæ, creatura erit præsens ipsi. Confirmatur: illa creatura esset Deo præsens non in quantùm Deus ubiq; est, alioquin esset immensa, sicut Deus, sed tantùm prout Deus habet virtualem determinationem; ergò etiam tantùm correspondaret ipsi in quantum haberet virtualem determinationem, & consequentèr haberet determinatam ubicationem.

IV. Dices: Creaturam illam futuram intimè præsentem Deo propter Dei immensitatem, non verò per ubicationem in ipsa creatura receptam. Sed Contrà: Illa creatura non esset præsens Deo ubiquè; ergò per aliquod in ipsa superadditum esset potiùs præsens huic virtuali determinationi Divinæ, quàm alteri; probatur consequentia, quia illa creatura est indifferens, ut sit præsens huic virtuali determinationi, quàm illi; ergò quòd huic sit præsens & non illi, per aliquid superadditum esse deberet, quia illa creatura, quæ esset præsens virtuali determinationi Divinæ *A*, posset fieri præsens virtuali determinationi *B*, etiam postquàm jam semel posita fuit ad determinationem virtualem *A*. Confirmatur: Quia si Deus in tali casu crearet duas creaturas, tunc non esset utrique præsens intimè per eandem virtualem determinationē, alioquin etiam ipsæ creaturæ essent sibi intimè præsentes; ergò per aliam & aliam, & consequentèr per aliquod spatium inter se distans; ergò sunt & essent in loco, distantia etenim quælibet arguit locum, sicut etiam ipsa indistantia.

V. Probatur Conclusio tertiò: Nulla fieri potest creatura, quæ non posset moveri; ergò nulla creatura fieri potest, quæ non sit in loco: ant. patet: probatur consequentia; Omnis motus localis supponit ubi, ergò: probatur ant. quia est transitus ab uno ubi ad aliud. Sed in contrà

VI. *Argumentum in contrarium.* Arguitur: Omne absolutum prius alio potest esse sine quocunque posteriori, sed creatura quælibet, est aliquod absolutum prius, quàm sit ubi & præsentia localis; ergò poterit creatura produci sine illo posteriori ubi, quia poterit Deus productà creaturâ suspendere suam actionem ad producendum ubi. Sed respondeo dist. ma. nisi prius absolutum dicat necessarium respectum & dependentiam ad posterius, concedo, si dicat, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam, si enim argumentum valeret, concluderet etiam, quòd posset aliqua creatura existens intra sphæram hujus mundi absolvi ab omni ubi, quia tunc creatura est aliquod absolutum prius ubicatione; ergò poterit Deus productâ creaturâ suspendere actionem ad producendum ubi, & sic etiam hîc esset sine omni ubi, quod tamen Advers. negant.

Instatur: Quòd creatura ponatur ad esse sine omni ubicatione, nulla est omninò implicantia, ergo. R. negando ant. Quia implicantia est formalis contradictio, quæ exinde sequeretur, nam esset hîc & non esset hîc, quod implicat, esset enim, quia quælibet res necessariò incidere debet in aliquam partem spatii imaginarii, & aliquam determinationem virtualem præsentiæ Divinæ; Non esset verò ex supposito.

QUÆSTIO VI

An duo corpora possint esse simul in eodem Loco?

I. *Doctor subtilis defenditur & laudatur.* Doctor Subtilis hanc & sequentem quæstionem, more suo, subtilissimè resolvit & probat, verùmtamen aliqui ejus rationes non penetrant vel cavillant, aliqui verò, quorum syncerior est mens, & amor veritatis purior, sicut alibi, ita hîc doctrinam ejus quàm summè reverentur & amplectuntur, etiamsi non sint de iis, qui in verba ejus jurarint, ut est Pater Thomas

Comptonius S. J. Doctor solidus & moderatus, verè morigeratus, qui, postquàm retulisset sententiam Durandi & Recentiorum Thomistarum, negantium duo corpora posse esse in eodem loco, aut idem corpus in duobus, & postquàm insinuàsset sententiam Alensis & communiorem priori oppositam, ait disp. 35. Phys. Sect. 3. n. 4. *Tandem hanc sententiam in 4. d. 10. q. 2. tenet & optimè explicat, & illustrat, auctissimus Scotus, Doctor verè subtilis, Oxoniensis quondam Academiæ splendor, non alienigena, ut quidam non rectè opinantur, sed in Anglia natus, ut clarè in sua Britannia ostendit Gu. Camdemus in Northum p. 670. Horum tamen hac in parte studium non improbo, is enim est Scotus, ut non tres tantùm, sed & trices tres de eo nationes meritò certare posint.* Sed ad rem ipsam progrediendo, quæstio procedit de duobus corporibus completis, idquè, num naturalitèr? an verò tantùm Divinitùs duo corpora in eodem loco esse possint? Utrumquè est resolvendum, & ad primum

II. *Duo corpora non possunt esse in eodem loco naturaliter.*

Dico 1. *Duo corpora nequeunt naturalitèr esse in eodem loco.* Ita Doctor suprà & communior.

Probatur primò: Ex authoritate D. Augustini contra Epist. funda. cap. 16. ubi ait: *Quidquid qualibet crassitudine distenditur, non potest, nisi minùs per partem habendo aliud hic & aliud ibi: Minor est enim digitus, quam tota manus & minor est digitus unus, quàm duo & alibi est iste digitus, alibi ille, alibi tota manus. Similiter aërii partes suos quæq; implent locos, nec fieri potest, ut aër, quo impletur hæc domus, simul secum habere possit in eadem domo etiam illum aërem, quem vicini habent.* &

III. Probatur secundò ratione: Quia impenetrabilitas naturalis ita annexa est quantitati, ut ea nullatenùs agentis naturalis virtute separari possit, sed omnia corpora habent annexam naturalitèr quantitatem; ergò habent annexam impenetrabilitatem.

IV. Probatur tertiò Experientiâ: Quia videmus, quòd ad positionem unius corporis semper expellatur aliud, sive densum illud sit, sive rarum, sive fluidum, sive solidum, sed hoc non contingit ob aliam rationem, nisi quia duo corpora, qualiacunque demùm illa sint, naturalitèr simul esse non possint; patet ma. quia ad applicationem serræ vel securis, cedit lignum, ad evibrationem globi tormentarii perforatur murus, franguntur lapides & saxa, ad intrusionem gladii dividitur corpus humanum & econtrà, si unum corpus non expelleret aliud, ita, quòd simul compenetrativè esse possent, esset semper timendum nobis, nè pergentes in terra solidissima mergeremur, sicut sibi mergi timuit Divus Petrus, quando ambulavit in fluctibus maris, & eodem modo timere quis deberet si in Golfo navigaret, nè tota navis in fundum descenderet, ac similia alia, imò si unum corpus posset in loco esse cum alio, frustraneæ essent cistarum & thesaurorum obserationes, quia quilibet posset se illuc immittere & quæ sibi placita forent, inde auferre.

V. Verùmtamen non desunt aliquæ experientiæ, quæ videntur contrarium demonstrare, nam inprimis panis immersus in vinum ebibit illud; ergò panis & vinum sunt in eodem loco. Deinde dum ex aqua & farina conficitur panis, aqua penetrat omnes partes farinæ. Tertiò, vascineribus plenum tantum capit de aqua, quantum si cineres ibi non essent. Sed respondeo: Omnes & singulas illas experientias nequidquam convincere. Nam inprimis vinum non est in eodem loco cum pane, sed tantùm in poris ejus continetur: ad secundam dico, aquam commisceri non per compenetrationem, sed per juxta positionem; Ad tertiam denique experientiam respondeo, negando eam simpliciter, aut si vera est, tunc dico, rationem esse, quòd in cineribus multùm de aëre, & de exhalationibus contineatur, quæ postmodùm per aquam expelluntur, & reliqua aqua transit ad ipsos poros cinerum. Alia videtur superesse realis difficultas de duabus superficiebus, quæ seinvicem secundùm se totas tangunt; ergò illæ duæ superficies sunt in eodem loco. Sed respondeo, eas quidem se immediatè tangere, sed hoc non est aliquod inconveniens, quòd duæ superficies contiguæ seipsas tangant, benè tamen, quòd duæ continuæ, propter infrà dicenda de continuo, aft ex hoc non sequitur, quòd sint in eodem loco, maximè ex sententia Adversariorum, cùm non possit assignari, quęnã haberet rationẽ locantis, & quænam rationem locati, & sic non modò duorum corporum planorum superficies se penetrarent, sed etiam omnium aliorum, adeóque meræ admittendæ essent compenetrationes, unde hoc argumentum Adversariis solvendum est, quia mihi potiùs favet ad negandam superficiem esse locum. Sed venio ad principalem quæstionis difficultatem, an videlicet duo corpora completa totalia possint esse in eodem loco circumscriptivè per Dei potentiam? ad quam

Dico 2. *Possunt Divinitùs duo corpora esse in eodem loco circumscriptivè simul & semel.* Ita Doctor 4. d. 49. q. 16. n. 4. & 5.

Probatur primò Authoritate Sanctorum Patrum D. Augustini Epist. 3. ubi ait: *Ipsa virtus Dei per inviolatæ Matris virgineæ viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Simili modo describit Mellifluus Doctor admirabilem sacratissimæ Virginis Mariæ partum, ut Mater esset sine corruptione, quod nequaquàm contigisset, nisi in partu duo corpora penetrata fuissent, nam aliàs claustrum virginale læsum fuisset. Audiatur suavissimè alloquens ipsam Theothocon. Sermon. 3. super *Missus est. Aperi Virgo sinum* (sunt ipsiusmet verba) *Expande gremium, præpara uterum, quia ecce factum est tibi magna, qui potens est, in tantum, ut pro maledictione Israël, beatam te dicant omnes generationes. Nec susceptam habeas prudens Virgo foecunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato, gravida eris, sed non gravata, paries, sed non cum tristitia,* nescis

neſcies virum & gignos filium. Qualem filium? Illius erit Mater, cujus Deus eſt Pater, Filius paternæ charitatis erit corona tuæ caſtitatis, Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergò Virgo fœcunda, caſta puerpera, Mater intacta. & ſerm. 4. ſuper idem appellat eam *Matrem ſine corruptione*, ſed hæc incorruptio non fuiſſet, niſi filius Virginis uterum penetrâſſet, ergò ex mente Sancti Bernardi infertur, duo corpora in eodem loco eſſe poſſe, imò hoc modo Sanctiſsimi noſtri Pædagogi docent, ſed & omnes alii Patres & Scholaſtici Authores ex Matris integritate, ſicut etiam ex ingreſſu per januas clauſas, ex reſurrectione non avoluto lapide, & ex penetratione Cœlorum ad Hebræos 4. inferunt & concludunt duo corpora Divinitùs eſſe poſſe in eodem loco.

VII. Dices: Sanctos Patres allatos optimè explicari debere de integritate Matris Virginis per hoc, quòd uterus virginalis ſimplicitèr fuerit dilatatus ſine ulla fractione membri virginei, ſicut contigiſſet aliis fœminis, ſi Status Innocentiæ perſeverâſſet. Sed contrà primò: Si talis dilatatio uteri & membri virginei ſalvaret Matris integritatem, & hoc idem contigiſſet aliis fœminis in Statu Innocentiæ, ſequitur, quòd omnes fœminæ in Statu Innocentiæ poſt partum manſiſſent Virgines, aut ſi illæ propter dictam uteri dilationem non manſiſſent, quòd nec Beatiſsima Mater Maria manſiſſet. Contrà ſecundo. Reſponſio illa exiguum prædicatum, imò parvum cultum Virgini puriſsimæ affert, ex eo, quòd in ſuo partu aſsimiletur aliis Mulieribus, cùm tamen Patres eam compellent *Singularem Solam ſine Exemplo, quæ ventre beato gaudia Matris habens cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Contrà tertiò: Si uterus Virginis fuit dilatatus in partu, ergò non fuit ita ſolidè clauſus, ſicut antè partum, adeoquè non erit æqualitèr Virgo ante, in, & poſt partum, omnis enim dilatio minuit ſoliditatem clauſuræ. Contrà quartò. Quando uterus virginis amabilis dilatatus fuit, vel fuit clauſtrum à loco amotum, vel non; ſi fuit amotum; ergò clauſtrum non manſit integrum, & eodem modo, ut fuit antecedentèr, quòd minùs rectum, minusquè pium eſt dicere; Si verò dicas, clauſtrum manſiſſe immotum à loco, ergò duo corpora fuerunt in eodem loco, quia Chriſtus Dominus tranſivit per illud immotum. Deniq; Reſponſio eſt extorta, & minùs honorem, cultum, devotionem & pietatem promovet, quàm fieri debeat, cùm ſit omni laude digniſsima.

VIII. Dices 2. Integritatem glorioſiſsimæ virginis, quam Patres ita deprædicant, ſalvari adhuc poſſe alio modo, absquè eo, quòd dicatur, fuiſſe factam corporum compenetrationem, nempe, aſſerendo Chriſtum Dominum tranſiſſe de extremo in extremum, non tranſeundo per medium, quo facto Mater integra permanſit ſine ulla penetratione. Sed præterquàm quòd difficiliùs ſit, aliquid tranſire ab extremo in extremum, non tranſeundo per medium; Reſponſio non videtur favere genuino & claro ſenſui Scripturæ, Myſteriisquè Fidei, nam ſi tranſiiſſet Chriſtus Dominus de extremo in extremum, non tranſeundo per medium, non poſſet dici natus de Beata Virgine, naſci enim non ſignificat habere ſuum eſſe quomodocunq; extra ſuas cauſas, ſed per particularem influxum illius, quæ dicitur parere, ſi autèm ſic tranſiiſſet, nullo modo talem influxum præſtitiſſet, quare etiam, qui poſthumi defunctis Matribus prodeunt in lucem, non dicuntur nati, ut patet in Sancto Raymundo, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui ob hoc, quòd ex defunctæ Matris latere exciſus fuerit, cognomento dictus eſt *Non Natus*.

Reſtat autèm probare Concluſionem rationibus, & primò deſumo ex D. 4. d. 10. q. 2. n. 21. Quidquid non involuit repugnantiam & contradictionem, poteſt divinitùs fieri, ſed eſſe duo corpora in eodem loco, non involuit repugnantiam & contradictionem, ergò. ma. eſt certa, probatur mi. Ibi ſolummodò eſt contradictio, quando de eodem, ſecundùm idem, & pro eodem aliquid affirmatur & negatur, ſed quando duo corpora eſſent in eodem loco penetrata, hoc non fieret, ergò: probatur minor: Quia ideò affirmaretur, quia poneretur quantitas, cujus ratio eſt expellere aliud ab eodem loco & ideò negaretur, quia non expelleret, ſed hoc non facit idem affirmari & negari, ergò: probatur mi: Quia effectus formalis quantitatis non eſt expulſio alterius quantitatis ab eodem loco, ergò: probatur ant. quia expulſio eſt quid negativum, ſed nullum negativum eſt effectus formalis & primarius formæ poſitivæ, ergò neque quantitatis: probatur ma. à paritate aliarum formarum, tam ſubſtantialium quàm accidentalium, nam effectus formalis aquæ non eſt expulſio ignis, nec effectus formalis albedinis eſt expulſio nigredinis, ſed conſtituere aquam, & conſtituere album. Ergò &c.

Probatur ſecundò: Poteſt eſſe aliqua quantitas absquè extenſione locali circumſcriptiva, ergò poterit etiam eſſe unum corpus penetratum cum alio corpore; patet ant: Quia in Euchariſtia eſt corpus Chriſti quantum, absquè ulla extenſione locali circumſcriptiva, cùm totus Chriſtus ſit in tota hoſtia, & totus in qualibet parte: probatur conſequentia, magis connaturale & adnexum eſt quantitati ſeipſam extendere circumſcriptivè, quàm aliam expellere ab eodem loco, ita ut cum alia compenetretur, ergò: probatur ma: Quia quodlibet, quod eſt ad ſe, eſt magis adnexum abſoluto, quàm quod eſt ad aliud, ſed extenſio ipſiusmet quantitatis eſt ad ſe, ergò. Per hoc argumentum ſolvitur alia inſtantia Durandi, quòd ſcilicet videatur eſſe de ratione quantitatis extendere partes ſubſtantiæ, & ſic ſi duæ quantitates poſſent ſe invicem penetrare, poſſet etiam eademmet, & ſic penetrata eſſet ſine ratione ſua formali, verbi gratiâ, linea ſi penetraretur ſecundùm ſuas partes, non haberet ampliùs rationem lineæ, cùm ipſius ratio non ſit eſſe in puncto; quia ratio quantitatis eſt tantùm extendere in ordine ad ſe, non verò in ordine ad Locum, unde licèt tunc aliquod corpus non eſſet ampliùs extenſum in ordine ad locum, eſt IX.

tamen in ordine ad se, prout fide creditur evenire in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo, ut dixi, licèt omnes partes sint compenetratæ per ordinem ad locum, non sunt tamen compenetratæ in ordine ad se, sed extensæ, quæ extensio in hoc consistit, quòd caput sit immediatè unitum collo, collum humeris, humeri pectori, & sic deinceps, & quòd caput sit immediatè unitum pedibus, quàmvis sit in loco pedum, quòd necessariò dicendum est, nisi velimus dicere, corpus Christi esse ibi sine quantitate, contra Concilium Tridentinum, aut esse ibi corpus modo confuso, & sic non esset debitè organizatum, nec consequenter animatum, cùm anima non sit, nisi in corpore organizato ut est Actus, Sed

X. Dices: Duæ partes quantitatis successivæ non possunt esse simul in eadem duratione, ergò nequè duæ partes quantitatis permanentis. R. negando consequentiam; Ratio disparitatis est, quia partes quantitatis successivæ dicunt essentialitèr successionem, non sic autèm duæ quantitates permanentes, alioquin nec possent duæ quantitates successivè esse in eodē loco, una post alteram, quia duæ quantitates motûs nequeunt coexistere simul in eodem tempore, nec successivè.

XI. Dices: Non potest explicari, quomodò illa corpora se haberent secundùm agere & pati. Sed R. probabile esse, quòd eodem modo haberent se, quo antecedenter se habuerunt, videlicet, si essent contraria, quòd etiam tunc in se invicem agerent, ratio est, quia per penetrationem non tollitur corporum activitas. Eodem modo dico, si quæratur: An unum videatur per modum unius, an verò per modum plurium, quòd si essent ejusdem speciei, viderentur ab oculo humano per modum unius, si diversæ, probabile, ut aliud & aliud, sicut etiam ea videret angelus, & anima separata, licèt essent ejusdem speciei.

QUÆSTIO VII.

An idem corpus possit supernaturalitèr esse in pluribus Locis?

I. *Hæretici negant posse poni corpus in pluribus locis.* Sicut Superiori quæstione examinatum fuit, an duo corpora possint esse in eodem loco, ita hîc quæritur vice versâ, utrùm idem corpus esse possit in duobus locis, & hoc sive circumscriptivè, sive definitivè, sive naturalitèr, sive supernaturalitèr. In qua materia Wiclefus, Calvinus, aliiquè hæretici negant simpliciter, posse aliquod corpus poni in pluribus locis, etiam divinitùs, & hoc potissimùm, ut suum apparentiùs tueantur errorem de reali præsentia Corporis Christi sub speciebus panis & vini, nam si nequiret unum corpus definitivè esse in pluribus locis, sequeretur optimè, nec corpus Christi ibi esse posse. Divus Thomas 4. d. 19. q. 1. ad 3. & d. 43. q. 2. a. 2. &c. D. Bonaventura, Durandus & potiores Thomistæ, quàmvis concedant, idem corpus posse esse in pluribus locis, negant tamen, quòd possit esse circumscriptivè. Scotus verò 4. d. 10. & signanter q. 2. per totum affirmat, licèt naturaliter idem corpus nequeat esse in duobus locis, posse tamen esse divinitùs, tam definitivè, quàm circumscriptivè, Scotum sequuntur, præter suos, cum suo Principe Occhamo Nominales, Alanus, Sotus, Bellarminus, Major Coninck, Hurtadus, Oviedo, Arriaga, Comptonus & plures alii, quos Authores citant & referunt cumulatim. Sermo tamen est de loco adæquato & totali, non verò de inadæquato & partiali. Itaquè

Dico 1. *Idem corpus nequit naturaliter esse in pluribus locis adæquatis sive definitivè, sive circumscriptivè.* Hæc est extra omnium controversiam, & quidem res tam clara est, ut probatione non opus habeat, nam ad replicationem circumscriptivam nulla allegabilis est causa secunda, minùs ad definitivam, cùm ad hanc etiam requiratur compenetratio partium quantitatis in ordine ad locum, quam nulla causa secunda, nec angelica quidem efficere potest.

Dico 2. *Potest divinitùs unum idemq; corpus esse in pluribus locis definitivè*: Hæc est omnium Cathelicorum contra perversissimos hæreticos. Et

Probatur principalitèr ex Mysterio Sanctissimi Eucharistiæ sacramenti, in quo totus Christus, qui in Cœlo ad dexteram Dei Patris sedet, sub qualibet parte speciei panis continetur, cui doctrinæ illustre dat testimonium Mellifluus Doctor Bernardus epist. 69. ad Guidonem Abbatem de tribus Fontibus, inquiens: *Cùm ergò priùs de pane corpus, quàm de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur, si per oblivionem tardiùs quod posteriùs sacrandum est, apponatur, non video, quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quòd si Domino post factum de pane suum corpus, vini consecrationem placuisset aliquando intermittere, aut certè penitus omittere, nihilominùs corpus manssisset, quod fecerat, nec factis facienda præscriberent.* Hæc probatio ex authoritate sufficiat, res enim est Theologica; Philosophicè tamen

Probo Conclusionem secundò: Potest Spiritus esse in duobus locis definitivè, ergò poterit etiam corpus: patet ant. quia Angelus potest esse in toto hoc cubiculo, & etiam totus in qualibet ejus parte, ergò simul & semel erit in pluribus locis. Quod si dicas, ista loca non esse adæquata, difficultas vero est de locis adæquatis, non verò inadæquatis; Nihil evincis, nam argumentor sic: potest aliquid esse definitivè in pluribus locis inadæquatis, ergò etiam in adæquatis: probatur consequentia; Quia quæ repugnantia est, quòd non possit esse aliquid in pluribus locis adæquatis, est etiam quòd non possit esse in inadæquatis, ergò: probatur ant. quia etiam idem esset reproducendum, repetendum, dividendum à se &c. ergò. Sed res ipsa clarior evadet ex Conclusione sequenti; unde

Dico 3. *Potest idem corpus supernaturaliter poni in duobus locis adæquatis circumscriptivè.* Ita Doctor subtilis cum Authoribus suprà relatis.

Probatur

Probatur Conclusio primò

Ratione desumptâ ex Authoritate D. Augustini lib. de Cura pro Mort. ger. cap. 16. ubi ait: *Alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, alia sunt, quæ naturaliter, alia, quæ mirabiliter fiunt.* Et suprà dixit: *Demum, Deum aliquid facere posse, quod nos non possimus investigare.*

VI. Probatur, inquam, Conclusio sic: Dandum aliquid est, Deum facere posse, quod nos non possumus investigare, quia alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, sed naturaliter potest esse aliquid in uno loco, imò tam necessariò in eo est, ut nec esse possit sine omni loco, ergò divinitùs poterit esse in duobus simul, ma. est Augustini: minor est certa, consequentia est optima, quæ adhuc probatur, potest semper aliquid fieri divinitùs, ad quod natura habet inchoatum principium, ut dictum est de potentia obedientiali, sed natura corporea habet inchoatum principium ad essendum in duob⁹ locis, ergò potest divinitùs esse in iis, major suprà est probata: probatur mi. quia corpus habet principium, ut sit necessariò in uno loco, sed esse necessariò in uno loco, est inchoatum principium, ut non necessariò possit esse in duobus, ergò; Ex hinc

VII. ## Probatur Conclusio secundò

ex communi quidem, verissimo tamen principio: Quidquid non involuit contradictionem & formalem repugnantiam, potest Deus facere, nam in hoc sensu nihil impossibile est apud Deum, sed quòd corpus aliquod sit in duobus locis circumscriptivè, non involvit aliquam repugnantiam & contradictionem, ergò; ma. est indubitata: minor patebit ex responsionibus ad argumenta objecta, consequentia ergò est optima, ut, licèt nullum aliud argumentum esset, rem posset istud sufficienter reddere probabilem.

VIII. ## Probatur Conclusio tertiò

à pari: Potest aliquod corpus poni in duobus locis ita, ut in uno sit circumscriptivè & altero definitivè, ergò poterit etiam poni in duobus locis circumscriptivè; patet ant. ex Mysterio Eucharistiæ in qua Christus Dominus est modo inextenso & definitivè, in cœlo verò circumscriptivè juxta illud D. Aug. relati. d. 2. cap. Prima Hæresis: *Donec finiatur sæculum, sursum est Dominus*: probatur consequentia: Tum, quia omnes implicantiæ, quæ adduci possunt contra existentiam ejusdem corporis in duobus locis circumscriptivè, currunt etiam contra existentiam in uno circumscriptivè, & in alio definitivè, ergò si non obstantibus illis implicantiis unum corpus potest esse in uno loco circumscriptivè & in alio definitivè, poterit etiam esse in duobus circumscriptivè, applicanti patebit antecedens, ergò. Tum, quia quod potest illud, quod est difficilius, potest & illud, quod est facilius, sed difficilius est, quòd unum corpus sit in uno loco definitivè, & in altero circumscriptivè, quàm quòd sit in duobus circumscriptivè, ergò si primum potest Deus facere, ut vel catholicè adversarii concedere debent, poterit & alterum: probatur mi. Illud est difficilius, ad quod faciendum plura requiruntur miracula, sed ad ponendum unum corpus in uno loco circumscriptivè & in aliis definitivè, plura requiruntur miracula, ergò est difficilius: probatur mi. quia ut aliquid ponatur in duobus locis circumscriptivè, nihil requiritur, præterquàm quòd corpus sit in hoc loco, & etiam sit in altero loco, ut verò ponatur in alio definitivè, non sufficit, ut corpus habeat alium, & alium locum, sed etiam requiritur, ut in illo alio loco sit compenetratè in ordine ad locum, modoquè indivisibili & spirituali, ita ut existat totum in toto loco, & totum in qualibet parte, sed ad hoc requiritur aliud miraculum, scilicet compenetrationis, ergò plus requiritur. Confirmatur Conclusio, & hæc ratio: Potest unus locus supernaturaliter circumscribere duo corpora quanta, ergò poterit etiam unum corpus circumscribi à duobus locis: ant. patet ex superiori quæstione, probatur consequentia, quia sicut locus est determinatus, ut unum circumscribat corpus naturaliter, ut omne aliud ab eo excludat, ita etiam est determinatum corpus, ut in uno sit loco, & naturaliter non possit esse in duobus & è contrà, ergò si non obstante determinatione loci ad unum corpus circumscribendum, potest adhuc divinitus circumscribere plura, ita non obstante determinatione corporis ad unum locum, poterit adhuc divinitus circumscribi à pluribus.

IX. ## Probatur quartò ex Scriptura: Christus Dominus defactò est in cœlo circumscriptivè, usquè ad resurrectionem universalem hominum, juxta illud Actorum 3. *Quem quidem oportet cœlos suscipere, usquè ad tempora restitutionis Omnium*, id est, usquè ad universalem resurrectionem hominum, ut exponunt eum Sancti Patres, sed hoc non obstante Christus etiam sæpè in terra suis sanctis corporaliter apparere dignatus est, ergò simul fuit in cœlo & in terra: probatur mi: Nam apparuit Sancto Paulo, Damascum cum epistolis à summis sacerdotibus proficiscenti, Actorum 9. nec potest dici, quòd tunc fuerit Angelus aliquis, aut corpus aliquod aëreum, tum, quia expressè dixit: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, tum, quia ipse Doctor Gentium attestatur hoc, dum sese inter oculatos Resurrectionis Christi testes commemorat. 1. ad Corinth. 15. dicens: *Novissimè autem omnium, tanquam abortivo, visus est, & mihi.* Imò capite 23. recensetur, quòd ei Dominus Jesus secundò apparuerit confortando eum, & exhortando ad constantiam, quoniam sicuti Jerosolymis eum testificatus fuerat, ita Romæ debere testificari. Similiter apparuit etiam Sancto Petro ut narrat Hegisippus lib. 3. Excidii Jerosol. c. 2. Romà propter persecutionem gravissimam fugienti, ad Portam, nunc dictam Sancti Sebastiani, quem Petrus etiam interrogâsse dicitur: *Domine quò vadis?* Cui Dominus: *Romam iterum crucifigi pro te.* Ad quam vocem Petrus perterritus Romam reversus est, in cujus rei, & facti memoriam Sacellum extructum est, dictumquè *Domine quò vadis*, quod meis oculis vidi, & debitâ veneratus sum reverentiâ;

Divus

Divus Gregorius narrat etiam, quòd & Antonio post flagellationem à Dæmonibus perpessam & Tarsillæ apparuerit, ergò.

X. Dices: Christum Dominum in his & similibus apparitionibus deseruisse cœlum ad breve tempus, & sic non nisi in uno loco circumscriptivè fuit, nec hoc est contra scripturam, quæ tantùm de longa mora intelligenda est, quòd scilicèt Christus per longum tempus non abfit à cœlo, usquè ad resurrectionem. Sed malè, nam, ut benè respondet Baro; Quælibet exceptio debet minùs excipere, quàm ipsa regula in se contineat, si enim plùs contineret, jam non esset exceptio, sed regula, sed exceptio illa plùs facit, quàm ipsa regula & doctrina, docens Christum non abscessurum à cœlo nisi in die Judicii, ergò illa exceptio de parva mora non valet: probatur mi. quia in die judicii, non nisi semel in brevissimo spatio, in momento, in actu apparebit extrà, sed defactò non brevi tempore, nec per momentum, sed per notabile abfuit, suis commiscendo sermonem, idq; sæpè, ergò exceptio illa plùs facit, quàm ipsa regula & doctrina.

XI. Probatur quartò ab exemplis Sanctorum, qui uno, eodemquè tempore in diversis locis fuerunt, ut narrat D. August. lib. de cura pro mort. cap. 17. de quodam Monacho P. Joanne Lycopolitano, Sancto Ambrosio Episcopo Mediolanensi, qui simul Mediolani fuit, & Turonis in funere Sancti Martini, ut habet etiam BreviariumRom. quod & ipsi S. Doctori Augustino contigit, unde ait serm. 32. cap. 2. de diverſ: *Quid enim sumus, quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, & ego nesciebam, & admonebantur, ut ad istam Civitatem venirent. Quis sum ego? Homo sum unus de multis, non de Magnis.* De Sancto Adalberto narrat quoquè Historia & Breviarium Bohemicum eum Romæ & Pragæ simul fuisse, & hic pontificalibus usum chyrothecam oblitum fuisse, unde nonnullus facetus paritèr & ingeniosus volens Bohemis & Polonis, quis ipsorum Sacras corporis ejus Reliquias possideat, decidere litem concertantibus utrimquè, utrisquè adscripsit inquiens: *Ut vivens, sic moriens duplicem Sanctus deposcit Locum.* Quod qualitercunquè sit; simile factum recenset Baro de S. Baldredo, qui in tribus Ecclesiis, in quibus verbi prædicatione laboraverat, sepultus dicitur, & hoc ob contentionem exortam, cùm quælibet Ecclesia suum esse diceret. De Sancto Antonio simile quid legitur in Chronicis Fratrum Minorum, sicut etiam de S. Francisco Xaverio glorioso Indiarum Apostolo Ecclesiæ Universæ, & Societatis Jesu summo splendore, & aliis sexcentis, ad quorum omissionem, tum solita brevitas, tum obvius occursus stimulant. Sed contra Conclusionem

XII. *Opponitur & explicatur D. August.* Opponitur Authoritas Magni Divi Augustini. lib. 20. contra Faustum cap. 21. ubi ait: *Christus secundum præsentiam corporalem simul & in sole, & in luna, & in cruce esse non posset*, ergò unum corpus nequit esse in duobus locis circumscriptivè. Sed Respondeo negando consequentiam, quia Divus Augustinus tantùm vult, quòd Christus non sit ubiquè, ubi est divinitas, sicut moderni volunt ubiquistæ, & quòd non sit ibi eo modo, quo Manichæi fabulabantur esse, & ratio prioris dicti patet ex eodem Sancto Antistite lib. 22. Civit. cap. 29. dicente: *Nulla creatura corporalis potest, sicut Deus, simul & hic esse & ibi*, ex quo tamen non infertur, quòd nullum corpus possit esse in duobus locis, nam per hoc statim non erit ibi, sicut Deus, id est, necessariò, sed merè contingentèr, ex libera Dei voluntate & decreto; Deinde Augustinus simplicitèr intelligi debet de potentia ordinaria, quia ipse magis Omnipotentiam Divinam extollit, quàm restringat, ut patet ex superioribus, hic autèm multum restringeretur, ergò.

Instatur: Si corpus Christi supernaturaliter posset esse in sole, luna, cruce, altari, sequeretur, quòd posset esse in infinitis, sicut dicunt ubiquistæ, sed hoc nequit esse, quia aliquin deberet dici immensum, sicut est ipse Deus. Sed Respondeo communi Responsione; Primò, quòd ex hinc sequeretur, quòd nec corpus Christi posset esse in pluribus locis definitivè, quia sequeretur, quòd posset esse in infinitis, quæ existentia adhuc magis argueret infinitatem, quia modus existendi definitivè in loco magis accedit ad modum, quo existit Deus, qui ubiquè definitivè existit. Respondeo secundò negando ma. quia multa possunt se extendere ad aliqua plura in eodem genere, non tamen ad infinita, ut patet de potentiis Animæ, de materiæ capacitate, respectu formæ &c. & ratio est, quia res creatæ propter finitatem suam determinantur & limitantur in tantum, ut non possint ad infinitum extendi.

Instatur: Ad minùs sequeretur, quòd idem corpus connaturalitèr posset se ponere in pluribus locis, sed hoc est æquè inconveniens, quàm si poneretur per Deum in infinitis, ergò: Probatur sequela, quia si Titius esset replicatus hìc & Cistercii, posset seCistercii movere extra illum locum, etiam usquè Hypponem, ergò &c. dist. sequelam ma. posset seipsum movere simpliciter & absolutè, nego ma. suppositio priori miraculo, concedo majorem: & nego mi. quia ex hoc nulla sequitur inconvenientia major, quàm ex eo, quòd si creatura in vacuo posita, moveret se de uno spatio in aliud, ubi enim illa esset, vacuum non esset, & dum abit, vacuum ibi facit, quia in simili casu vacuum tantùm commutat, non facit, idquè supposito priori miraculo.

Arguitur 2. Quod est circumscriptivè in uno loco, non est extra illum locum, quia debet circumscribi à superficie illius loci, ergò idem non potest esse circumscriptivè in pluribus locis simul: patet consequentia, quia quod est in pluribus locis, debet esse extra unum ex illis, aliàs non esset in altero. Sed &c. dist. ant. quod est circumscriptivè in uno loco, non est extra illum locum, id est, nulla pars est, quæ non contineretur ab illo loco, concedo ant. non est extra illum, id est, non est in alio, nego ant. consequentiamquè simul.

Instatur: Idem non potest esse simul in hoc loco & extra hunc locum, ergò si est aliquod corpus in hoc loco, non poterit esse extra illum,

illum & in alio. Resp. dist. ant. si ly *extra hunc locum* sumatur negativè, ut est, esse in hoc loco, & non esse in ipso, concedo ant. si sumatur positivè, id est, in hoc loco, & etiam in alio, nego ant. & consequentiam.

Urgetur: Omnis locus circumscriptivus est adæquatus locato, ergò quomodocunquè sumatur, si est in uno loco, non potest esse extra illum, probatur consequentia, quia alioquin sequeretur, quòd prior locus non esset adæquatus, sed est, ergò non potest esse extra illum. Sed Resp. Omnis locus est adæquatus locato, connaturalitèr loquendo, concedo ant. respectu divinæ potentiæ, nego ant. & consequentiam, & similitèr Respondeo ad probationem.

Replicatur: Nec supernaturalitèr potest aliquid elevari extra sphæram activitatis agentis, ergò non extra sphæram passivitatis patientis, sed cujuslibet corporis sphæra passivitatis (ut ita dicam) est locus adæquatus ipsius, ergò nec supernaturalitèr extra eum poni poterit: major probatur, quia oculus non potest elevari ad audiendum, nec auris ad videndum &c. ergò. Respondeo primo negando consequentiam, quia non requiritur tanta capacitas, ut aliquid passivè se habeat, quanta requiritur, ut se habeat activè, unde licèt nihil posset elevari ad agendum extra quamcunquè sphæram, potest tamen elevari ad patiendum, dummodò non sit in subjecto essentialis dependentia. Verùm Respondeo secundò dist. ant. nihil potest elevari &c. si non habeat aliquod inchoatum & incompletum principium ad agendum, concedo ant. si habeat, nego ant. & dist. similiter consequens. Itaquè si non posset aliquod agens ullâ ratione elevari ad agendum extra suam sphæram, fateri deberemus, quòd nullum dari possit miraculum, cùm tamen, ut loquitur Divus Augustinus lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 27. *Super hunc motum cursumq; rerum naturalem potestas Creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quàm eorum, quasi seminales rationes habent.* Et sic, licèt unus locus sit corpori unicunquè adæquatus, non est tamen respectu divinæ potentiæ, quia cum naturalitèr debeat esse in uno loco, habet inchoatum principium, ut supernaturalitèr possit esse in pluribus.

XIV. Secundum.

Arguitur 3. Omne corpus, quod circumscriptivè ponitur in aliquo loco, debet esse singulare & unum, sed si posset poni in pluribus locis, non maneret singulare & unum, ergò nequit idem corpus etiam divinitùs esse in pluribus locis: major patet, quia sicut nihil, nisi singulare extra causas suas ponitur, ita etiam nihil, nisi singulare in loco collocatur: probatur etiam minor: Quia nihil manet singulare & unum, quod est divisibile, sed si esset in diversis locis, esset corpus non tantùm divisibile, sed & divisum, ergò: probatur mi. quia loca illa ipsa inter se sunt distantia, & divisa, ergò etiam corpus, quod est in locis. Sed Respondeo negando mi. cujus probatio-

nis minorem distinguo: Si corpus esset in diversis locis, non modò esset divisibile sed etiam divisum localitèr, concedo mi. substantialitèr, & entitativè, nego minorem. Itaquè licèt unum idemquè corpus replicaretur hic & Cistercii, illud ipsum corpus non esset in se divisum, sed utrobiquè esset tota ejus & integra substantia, nec aliquid ejus partibus interponeretur.

Instatur: Si tota Substantia corporis esset hìc, & tota etiam substantia esset Cistercii, sequeretur, quòd substantia secundùm se totam sit divisa à seipsa substantialitèr, ergò nulla solutio: probatur ant: quia inter substantiam hic existentem, & substantiam existentem ibi intercedit & interponitur Regnum Bohemiæ, totaquè Germania, sed ubi inter aliqua est talis interpositio, est etiam divisio, ergò si inter substantiam hic & ibi existentem interponuntur tot, & tanta corpora, substantia hìc, & ibi à seipsa erit divisa. Respondeo negando sequelam, cujus probationem dist. interponitur Regnum Bohemiæ & tota Germania corpori locato, concedo, corpori locando, nego: ma: Itaq; non ampliùs dividitur substantialitèr, licèt alia corpora interponantur post locationem. Ultimò

Arguit etiam contra Conclusionem Wiclef. Idem nequit esse in diversis temporibus simul, ergò etiam idem nequit esse in diversis locis simul: probatur consequentia ab omnimoda paritate, nam uterquè respectus est extrinsecus adveniens, ergò si unus non potest multiplicari, nec poterit etiam multiplicari alter. Hoc argumentum desumpsit Wiclefus ex Scoto, qui sibi ipsi illud opponit, quodquè solvit triplicitèr. Primò negando consequentiam & paritatem, quia tempus est de genere successivorum, & sic quemadmodùm duo tempora nequeunt esse simul, ita etiam nihil potest existere in duobus temporibus simul, locus verò est de genere permanentium, unde sicut duo loca sibi coëxistunt, ita etiam idem corpus in iis simul existere potest. Secundò Respondet Doctor, quòd, sicut idem non potest esse in diversis temporibus eâdem temporalitate, ita nec in diversis locis eâdem locatione. Tertiò retorquendo argumentum in oppositum. Idem locabile simul, id est, in uno loco existens potest esse in diversis temporibus, ergò & simul tempore potest esse in diversis Locis, unde inquit Doctor: *Solvant illud Sophisma, & solvent argumentum suum.*

XV. *Argumentum Wiclefi.*

Pro fine quæstionis Nota, quòd omnia argumenta, quæcunquè Thomistæ adferre possunt contra conclusionem nostram de locatione unius corporis in duobus locis circumscriptivè, optimè retorqueri possint de duobus locis definitivè, & in uno circumscriptivè, nam eodem modo sequitur, quòd posset esse in infinitis, & quòd esset extra unum, & non esset, esset adæquatus, & non esset adæquatus, esset extra sphæram, & non esset, esset divisum à se, & non

XVI. *Argumenta Thomistarum retorqueri possunt ad duplex ubi definit.*

esset, ut patebit cuicunquè benè considerati & applicanti, quarè congruentèr Suarius applicat Thomistis illud Divi Augustini : *Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.*

QUÆSTIO VIII.

Per qualem Actionem possit poni corpus in duobus locis?

I. Ad pleniorem superioris quæstionis intelligentiam plurimum conducit hæc & subsequens quæstio, quia in iis solvuntur difficultates potissimæ, quas Thomistæ in contrarium adferre possunt, controvertitur autèm in præsenti, an corpus ponatur in duobus locis per actionem aliquam substantialem, quasi in secundo loco reproduceretur idem corpus, quod dicitur replicatum substantialitèr? An verò solùm per actionem aliquam accidentalem, quæ terminaretur ad accidens aliquod tantùm, & non potiùs ad substantiam? Ad quam rem brevitèr resolvendam

II. *Corpus non ponitur in alio loco per actionem substantialem sed accidentalem.*

Dico: *Corpus replicatum ad secundum locum, non fit per actionem substantialem, quasi verò secundò reproduceretur, sed solùm per actionem accidentalem, producendo in eo novam præsentiam.* Ita Doctor 4. d. 11. q. 3. Mastrius, Pontius, Baro, &c.

Probatur Conclusio primò:

Omnibus illis authoritatibus & rationibus, quibus suprà probavi nihil seipsum producere posse, nec quòad primum, nec quòad secundum esse, & eundem effectum non posse dependere à duabus causis totalibus. Quod adhuc sic prosequor: Implicat, quòd detur aliqua productio substantialis sine suis terminis per se requisitis tam *à quo*, quàm *ad quem*, sicut etiam quæcunquè alia actio, si corpus replicatum poneretur in secundo loco per novam reproductionem, daretur actio sine suis terminis per se primariis *á quo* & *ad quem*: ergò: probatur mi. terminus *à quo* per se primarius est privatio, vel negatio compositi, seu termini substantialis, sed si reproduceretur, non daretur ista negatio & privatio: ergò: probatur minor: quia ipsum totum compositum substantiale existeret veluti forma, & terminus *ad quem*, sed quandocunquè adest forma, tollitur privatio, ergò hìc etiam tolleretur & consequentèr non esset, alioquin esset & non esset, esset, ut supponitur; non esset autèm, quia esset hìc ejus forma.

III. Dices: Corpus illud replicatum haberet quidem esse, sed non in hoc loco, ergò in hoc loco haberet negationem esse, & consequentèr si de novo reproduceretur, transiret adhuc à termino *à quo*, negatione scilicet corporis in hoc loco. Sed Contrà: Si illud *non esse loci* sufficit, quòd dicatur aliquid reproduci substantialitèr, sequeretur quòd etiam, quando aliquid se localitèr moveret, de uno loco in alium locum, quòd tunc de novo se produceret; probatur sequela, quia antecedentèr non habuit esse in hoc loco, ergò transivit à negatione essendi in hoc loco adhunc locum, & sic defactò se produxit in hoc loco, quod tamen nemo dicet, adeoquè nequè primum, quarè infertur, quòd non reproducatur corpus replicatum, sed quòd solùm in alio loco de novo locetur, ad quod sufficit actio accidentalis adductiva. Contrà secundò: Si ille transitus à negatione *esse* in hoc loco sufficeret, ut corpus dicatur de novo reproductum, sequitur, quòd etiam, quando corpus desinit esse in illo loco, posset dici destrui ab omnimoda paritate, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: sequela patet, quia sicut antecedentèr transivit à negatione esse hìc, ad esse hìc, ita posteà transit ab esse hìc, ad non esse hìc, probatur mi: quia exhinc sequeretur, quòd, quando Corpus Christi desinit esse sub speciebus, quæ corrumpuntur, quòd tunc destruatur semper Christus, ejusquè Unio hypostatica, utpotè cùm desinat esse illis præsens, sed hoc esse falsum, V. Secundum. patet ex Tridentino sess. 13. cap. 3. Ex quo adhuc confirmatur Conclusio & ratio, Quia corpus Christi in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento non producitur de novo, ergò nequè aliud corpus replicatum, propter paritatem rationis.

Arguitur 1. Contra Conclusionem: Si Divinitus Titius poneretur Cistercii & Camencii per adductionem, seu actionem adductivam, Ubi Cistercienſe deberet in Titio poni vel Cistercii vel Camencii, neutrum dici potest, ergò Titius non ponitur per actionem adductivam Cistercii: probatur mi: Non quòd Ubi Cistercienſe producatur in ipso Cistercii, quia tunc sequeretur, quòd Titius priùs fuisset saltem naturâ Cistercii, quàm illud Ubi habuisset, & sic Ubi Cistercienſe non erit ratio formalis, quarè Titius sit ibi. Si verò Ubi Cistercium producitur in Titio Camencii, tunc sequitur, quòd Titius existens Camencii sit futurus Cistercii, & sic Cistercium esset Camencii, & Ubi Camencienſe esset Ubi Cistercienſe. Respondeo primò: Hoc argumentum contra quemcunquè motum localem formari posse, nam si abeo ex horto ad Ecclesiam, Ubi Ecclesiæ, vel afficit me in horto existentem, an verò in ipsa Ecclesia constitutum, si me afficit existentem in horto, tunc infero, ergò in horto manens habebo Ubi Ecclesiæ: Si verò me afficit in Ecclesia, superfluit, quia jam antecedentèr fui in Ecclesia, quarè hoc argumentum solvendum est suis Authoribus. Respondeo secundò: Ubi Cistercienſe produci in Titio Cistercii, in quantum considerari potest fundamentalitèr prior esse ibi, non verò formalitèr. Respondeo tertiò: ubi Cistercienſe produci in Titio, non prout existit Camencii, sed prout abstrahit ab omni præsentia locali, ita tamen, quòd in illo instanti, quo producitur Ubi Cistercienſe in Titio, producitur formalitèr in Titio exististente Cistercii per illud Ubi. II. Argumentum primum

Instá-

Instatur: Causa subjectiva debet esse semper priùs ibi, ubi producitur forma, sed Titius est subjectū Ubi Cistercienſis, ergò priùs debebit ipse esse Cistercii. R. dist. maj. Causa subjectiva debet priùs esse ibi, ubi producitur forma, quæ non est ratio formalis producendi, aut adducendi illam formam, concedo ma. forma, quæ est ipsa ratio formalis adducendi, nego ma. & concesâ mi. nego consequentiam. Itaquè præsentia localis, est ipsa ratio formalis essendi in loco.

Urgetur: Non potest assignari modus, quo Titius acquireret illud Ubi Cistercienſe, ergò: probatur ant. quia non transiret per ullam viam; R. negando ant. cum consequentia probationis; Nam licèt verum sit, quòd Titius per nullam viam esset transiturus, adhuc tamen assignari potest modus, quomodò ibi esset, quia adducitur per actionem instantaneam à Deo supplente rationem motûs, qui alioquin esset necessarius.

V. Secundum. **Arguitur 2.** Quando Corpus Christi Domini ponitur sub speciebus vi verborum & consecrationis sacramentalis, verè producitur ibi, & non tantùm adducitur, ergò etiam quando aliud quodcunquè corpus replicatur, non ponitur in alio loco per adductionem, sed per novam productionem: consequentia patet: probatur ergò ant. Corpus Christi ponitur ibi per actionem substantialem, quæ à Patribus & Conciliis vocatur transsubstantio, quòd scilicet substantia una convertur in aliam, sed non esset actio substantialis, nisi produceretur etiam ipsa substantia corporis Christi, ergò producitur. R. negando ant. cujus probationis majorem pro secunda parte distinguo; dicitur transsubstantiatio in quantum habet rationem mutationis & conversionis, concedo ma. in quantum significat ipsam actionem adductivam corporis Christi, nego ma. min. & consequentiam. Itaquè sicut quælibet generatio duplicitèr considerari potest, in quantum scilicet habet rationem actionis, seu productionis, & in quantum habet rationem mutationis, sic quoquè potest considerari transsubstantiatio, in quantum est actio productiva, vel adductiva, & in quantum est mutatio & conversio, hæc enim tantummodò respicit terminos absolutos, *à quo* & *ad quem*, qui quoniam substantiæ sunt, conversio etiam substantialis dicitur, non tamen respicit agens, sed ab eo præscindit, actio tamen, quæ in illa conversione intervenit, non est substantialis, quia substantia corporis Christi ibi de novo producitur, sed tantùm nova præsentia, adeoquè solùm est accidentalis.

Instatur: Si non producitur ibi de novo corpus Christi, transsubstantiatio nec in ratione mutationis dici poterit substantialis, ergò transsubstantiatio quomodocunquè consideretur, requirit, ut terminus de novo producatur. R. negando ant. quia sufficit, ut terminus *à quo* substantialis verè desinat substantialiter, qui, si non desineret, unum in aliud converti dici non posset, quia unum in aliud convertitur, est, unum desinere in aliud succedens, ex vi desitionis ipsius.

Instatur: Si ad conversionem requiritur, ut verè desinat terminus *à quo*, ergò etiam ad eam requiritur, ut verè incipiat esse terminus *ad quem*, sed R. negando consequentiam, disparitas est, quia terminus *à quo* denominatur simplicitèr conversus in alium, adeoquè necessarium est, ut ipse desinat, terminus verò *ad quem* denominatur solùm succedens termino *à quo* desinentem, vi desitionis talis, ibi sit, unde transmutatio substantialis potissimùm distinguitur à conversione substantiali, seu transsubstantiatione, quòd hæc respiciat terminum positivum, illa negativum; Secundò, quòd transsubstantiatio specificetur per terminum *à quo*, mutatio verò per terminum *ad quem*.

QUÆSTIO IX.

Quasnam formas possit, & debeat habere corpus replicatum?

I. *Sensus quæstionis.* **Sensus** quæstionis est, an, quando unum corpus ponitur in duobus locis, necessariò debeat habere eas formas accidentales, quas antecedenter habuit? an verò possit replicari absquè eo, quòd accidentia in ipso subjectata replicentur? De formis enim substantialibus tanta non est difficultas, nam si ea non poneretur, ubi est materia, non esset amplius idem corpus, cùm, secundùm Thomistas, corpus constituatur in esse corporis per formam & animam, & secundùm Scotistas, forma essentialitèr ingreditur compositum, adeoquè si non esset forma & anima, ubicunquè est materia, jam non esset idem compositum. Et, ut hanc quæstionem Doctor subtilis resolvat, præmittit tres regulas observatu & notatu necessarias in 4. d. 10. q. 2. Prima est: Quæcunquè sunt priora ipso Ubi, uniformitèr insunt corpori in diverso Ubi, nec variantur variato Ubi, quæ verò posteriora, vel simul naturâ cum ipso Ubi, variantur variato Ubi. Cujus regulæ sensus est, quòd fieri non possit, ut idem numero accidens, quod est in subjecto priùs, quàm aliquod Ubi, possit esse in subjecto & corpore in uno loco, & etiam non insit in alio loco, sed corpus sit in illo altero loco cum negatione hujus accidentis; Illa verò accidentia, quæ *Ubi* concomitantur vel subsequuntur Ubi, possunt in uno loco adesse & non adesse in alio loco, & talia accidentia sunt relationes propinquitatis, distantiæ, sursum, deorsum, motûs localis, &c. Prioris verò generis sunt omnia accidentia absoluta, & etiam illa relativa, quæ immediatè fundantur in aliquo absoluto, ut actio, passio, similitudo, unio, &c. excepto *Ubi*. Secunda Regula est: Sicut passum in uno loco existens reciperet formam ab agentibus duobus contrariis sibi ibidem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab iisdem sibi in duobus locis istis approximatis, & hoc de passione respectu formæ absolutæ. Tertia Regula: Sicut corpus in uno loco existens ageret in diversa passa sibi approximata in illo loco, sic etiam in duobus locis existens ageret in diversa passa sibi in iisdem eodem modo approximata. Quæ regulæ de se satis claræ sunt, ut fusiore explicatione non egeant,

Scotus præmittit tres regulas.

ad quas conformando me & regulando, etiam quæstionem resolvam. Unde

II. *Corpus replicatum debet habere accidentia independentia à loco.*

Dico 1. *Quandocunq; corpus aliquod in diversis replicatur locis, omnia accidentia absoluta, & relativa à loco independentia connaturaliter, tam benè in uno, ac in alio loco esse debent.* Hæc est conformis ad primam Regulam.

Probatur Conclusio primò: Omnia accidentia enumerata verè subjectantur, & uniuntur cum corpore, ergò ubicunquè corpus est, ipsa etiam esse debent: probatur consequentia, quia accidens nullum desinit esse unitum subjecto suo, nisi per ejus destructionem, aut formæ contrariæ introductionem, aut cessationem causæ conservativæ, sed nihil horum intercedit, dum unum corpus ponitur in alio loco, ergò: probatur mi: Locus & Ubi, nulli accidenti est contrarium, nec subjectum desinit esse, sed tantùm aliud ubi acquirit, ergò.

Probatur secundò: Quando unum corpus naturalitèr de uno loco transfertur ad alium, omnia accidentia quæ ipsi antecedentèr inhæserunt, concomitantur & sequuntur, ut patet de se, nam si ex hoc loco me conferam in alium, eandem habeo quantitatem, easdem qualitates, &c. ergò etiam quando idem corpus Divinitus ponitur in pluribus locis. Probatur consequentia, quia non ob aliam rationem dixit Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. in Eucharistia *corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraq; vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius morituus, inter se copulantur &c.* ergò.

III. Dices: Idem corpus existens in diversis temporibus, potest in uno tempore habere unam formam absolutam, & non habere eam in alio tempore, ergò etiam corpus existens in uno loco, potest habere unam formam absolutam, & non habere eam in alio loco ab omnimoda paritate. Sed Resp. dist. consequens, simul, nego, successivè, concedo, sicut etenim non potest forma, & ejus privatio inesse subjecto simul in diversis temporibus, ita nec in diversis locis. Verùm

IV. *Divinitus tamen id non est necesse fieri.*

Dico 2. *Non implicat, quòd in replicatione unius corporis ad duo loca una forma possit esse in uno loco, & non replicari in altero, si ad hoc novum accederet miraculum.* Hæc videtur esse contra primam regulam, in re tamen non est, nam ipse Doctor suprà. q. 4. priorem regulam limitat, dum dicit: *Et etiam potest dici, quòd non est necesse positâ existentiâ corporis Christi hic & ibi, quòd illa, quæ insunt corpori sub una existentia, insint etiam sibi sub alia, loquendo etiam de formis absolutis.* Quarè

Probatur Conclusio primò: Quia nulla est necessitas, quòd accidens aliquod absolutum subjectatum in corpore, replicari debeat ad replicationem corporis, ergò non est dicendum: probatur ant. si esset aliqua, maximè ob unionem, aut ob independentiam à loco, aut ob utramque simul, sed hæc non urgent, nec necessitatem faciunt, ergò, probatur mi. tum, quia defactò contingit, quòd aliquid sit alteri unitum, & tamen non sit, ubi est illud alterum, ut patet de anima rationali, quæ est unita pedi, & pes unitus animæ, & tamen pes non est, ubicunquè est anima, quia anima etiam est tota in capite, & tamen ibi non est pes, ergò. Deinde humanitas quoquè est unita Verbo Divino, & tamen non est, ubicunquè est Verbum, aliàs deberet esse ubiquè, ubi est Verbum, quòd tamen non est.

Probatur secundò: Quia si non V. posset corpus replicari in alio loco sine omni forma absoluta, & à loco independente, esset propter periculum, ne duo contradictoria simul admittantur, sed hæc ratio non obstat: ergò nihil, quò minùs unum corpus replicatum ponatur in altero loco, sine forma absoluta: major est Adversi: probatur mi: Ut sit aliqua contradictio, debet idem de eodem simplicitèr affirmari & etiam negari, verbi gratia, Titium esse album, & Titium non esse album, sed si Titius est Camencii albus, & Titius esset Cistercii non albus, non sequeretur quòd verè de eo prædicari, & affirmari possit, quòd sit albus, & quod non sit albus, sed solùm, quòd Camencii sit albus, & non sit Cistercii albus, quæ non sunt contradictoria, quia negans propositio non negat simplicitèr albedinem in Titio, sed solummodò negat eam Cistercii, si autèm esset contradictoria affirmativæ, deberet eam simplicitèr negare. Confirmatur: Nulla est contradictio in istis duabus propositionibus: *Homo currit, homo non currit*, ergo nequè erit contradictio in istis, Titius est albus Camencii & non est albus Cistercii, quia sicut priores non sunt, quia supponunt pro pluribus singularibus, sic posteriores supponunt pro pluribus Locis.

Probatur tertiò: Datur aliquod cor- V. pus, quod defactò replicatur, quod tamen in secundo loco non habet accidentia omnia absoluta, quæ habet in primo, ergò illud non est necessarium: probatur ant. Christus Dominus est replicatus in Eucharistia sine extensione in ordine ad locum, sed extensio localis est accidens aliquod absolutum, ergò datur aliquod corpus replicatum sine omni forma absoluta concomitante.

Probatur 4. Quando corpus aliquod VII. replicatur, non reperitur in utroquè loco præsentia localis, ergò nec est necesse, quòd reperiatur etiam quælibet forma accidentalis: ant. patet, quia dum Titius est replicatus Camencii & Cistercii, præsentia Cistercienſis non reperitur in loco Camencenſi, nec præsentia Camencenſis in loco Cistercienſi; alioquin Cistercium esset Camencii, & è contrà: probatur consequentia, quia ideò non posset forma absoluta non replicari, quia alioquin sequeretur contradictio, sed hoc etiam sequeretur in duabus præsentiis, ergò,

ergò, si hâc contradictione non obstante, potest habere corpus præsentiam hîc Camencensem, & eam non habere Cistercii, poterit etiam forma absoluta esse hîc & non esse Cistercii.

VIII. Non debent de novo acquiri in eodem loco in quo debent necessariò retineri.

Dico 3. *Quando corpus aliquod replicatum in primo loco plures acquirit affectiones & formas, per actiones ab extrinseco, illæ formæ non debent necessariò replicari, & poni in corpore existente in alio loco, sed nec sine novo miraculo possunt.*

Probatur: Quia nulla est causa assignabilis, quæ ejusmodi qualitates in secundo loco de novo produceret, ergò: probatur ant. quia illa deberet esse vel prima, vel secunda; non prima, quia hæc non agit, nisi in quantum ratione generalis concursûs coagere debet causæ secundæ; nec etiam secunda, quia hæc non potest agere indistans: Nec denique ipsa forma, quia hæc nequit se ponere in diversis locis, ergò. Hinc infero quòd, si Titio existenti Camencii produceretur calor, aut frigus, vel quæcunque alia qualitas in ipso, non deberet statim eadem qualitas esse in ipso replicato Cistercii.

IX. Non potest in uno plus agere in quanto in alio, aut quam si esset in uno tantum.

Dico 4. *Quandocunq; aliquid in duobus locis collocatur per replicationem, non potest in ipsis plùs agere vel pati, quam si esset in uno loco.* Hæc est conformis ad duas secundas regulas: & Ratio est in promptu, quia per talem replicationem non augetur, neque crescit virtus activa vel passiva; ergò non potest in illis locis plùs agere vel pati, quàm si esset in uno. Ex hac conclusione deduco Corrolaria plura, &

Primò, quòd, licèt Titius esset in duobus locis, & in quolibet audiret solemnissimos Musicos in Ecclesia, verbi gratiâ, aut videret pulcherrima objecta in Nundinis utrobique locorum, quòd ea non omnia auditu perciperet, nec visione videret, sed tantùm determinatam partem hîc, & determinatum quid ibi, aut in une audiret & videret omnia, in altero videret & audiret nihil, verbi gratia, si haberet potentiam videndi ut octo, & illa in uno loco tota actuaretur visione, in altero videret nihil; Et hoc est satis conforme ad S. Augustinum suprà citatum Serm. 32. diverf. cap. 2. *Quid enim (summu* (inquiens) *quia ego apparui istis nesciens? illi enim me videbant & ego nesciebam*, quòd si autèm in utroque loco potuisset æquè agere & pati, de admonitione data iis, quibus apparuerat, recordari posset & deberet, ergò.

Infero secundò: Quod si aliquis toties replicaretur, verbi gratiâ Titius, ut integrum conficeret exercitum, quòd ille non posset plùs pugnare, quàm unus, nec plures vincere quàm poterat, si non fuisset replicatus, nec omnium arma deferre & portare.

Infero tertiò, quòd, si eidem Titio hîc ignis & Cistercii nives applicarentur, nunquam possent in ipso producere vel calorem, vel frigus in summo, sed solummodò ad eos gradus, quos in eodem subjecto simul habere posset, similitèr non poterit de eodem hîc habere amorẽ & ibi odium, assensum & dissensum, quia hæc omnia respiciuntur non in locis, sed in corporibus & animabus, quæ quia sunt ejusdem virtutis hîc & ibi, nec ullo modo est aucta, sicut non poterant esse simul in eodem sine replicatione, nec poterunt per replicationem.

X.

Infero quartò: Quòd Titius in uno loco non poterit esse in gratia, in altero in odio, connaturaliter sine novo miraculo, Ratio est, quia gratia & peccatum defactò non compatiuntur se in eodem subjecto, sed, licèt Titius esset replicatus, adhuc esset idem subjectum, ergò. Tum, quia sic Deus deberet Titium simul odisse & amasse, odisse propter peccatum, quod omni odio dignissimum est, amasse propter gratiam in ipso repertam, quæ omnem hominem reddit amore dignum; sed hæc sunt absurda, ergò.

XI.

Infero quintò: Similitèr loquendo de eo, quod connaturaliùs fieri potest, quòd si materia replicaretur in duobus locis, non posset duas formas substantiales recipere, ratio est eadem, quia per replicationem non est aucta virtus & capacitas materiæ. Dixi *connaturaliter magis loquendo*, quia si novum accederet miraculum, tunc sine dubio posset duas recipere formas, cùm possit Divinitus eas recipere, licèt non replicetur, sic etiam Divinitus posset in eodem homine esse gratia & peccatum, quia hoc similitèr per Dei potentiam absolutè fieri potest; Item calorem & frigus in summo: Non tamen amorem & odium, quia hi actus simpliciter destruunt unius & alterius objectum, ut infrà dicam. Interim ad rem hanc

XII. *Quando nutritur in uno loco debet etiam nutriri in alio.*

Dico 5. *Quando corpus nutritur in uno loco, tunc materia de novo acquisita per nutritionem, quoq; replicari debet, & consequenter etiam debet nutriri in altero loco.* Ita Baro.

Probatur cum ipso: Quia si non replicaretur materia per nutritionem acquisita, sequeretur, quòd idem homo non esset replicatus, sed hoc est contra suppositum, ergò: probatur sequela. Quia tunc non est idem homo, quando non habet easdem partes Physicas & integrantes; sed si non haberet partes per nutritionem acquisitas, non haberet easdem partes integrantes; ergò. Quomodo verò fiat nutritio illa, colligi potest ex dictis, videlicet, quòd, licèt Titius hîc comederet, & etiam comederet Cistercii, quòd non comederet plùs, quàm si esset in uno loco, & sic partim nutriretur à nutrimento hîc percepto, & partim à nutrimento, quod ibi sumpsisset, quòd si verò nutriretur solummodò ab uno, tunc Deus deberet illud determinare.

XIII. *Homo replicatus potest se movere motibus oppositis.*

Dico 6. *Homo replicatus in duobus locis potest se movere in iisdem, non modò pluribus motibus, sed etiam oppositis & hoc non Divinitùs novo accedente miraculo, sed prioris vi & virtute.* Ratio est, quia hi omnes motus sunt dependentes à præsentia locali, eâque posteriores; ergò non variato in se subjecto variari ipsi poterunt. Unde

XIV. Quæres: Quid contingeret, si Titius replicatus posset se movere motibus contrariis, ita, ut etiam sibi ipsi obviaret, an tunc sese penetraret? R. probabiliter quòd non & ratio est, quia in tali casu partes oppositæ occurrerent sibi, id est dextra manus ad sinistram & sinistra ad dextram. Et hæc pro materia intricatissima sufficiant.

DISPUTATIO II.

DE VACUO.

Duplex vacuum communiter à Philosophis assignatur, unum proprium, quod etiam determinatum vocatur, est q., quod fit, vel fieri posse creditur in toto universo; alterum est improprium & indeterminatum, quod etiam imaginarium dicitur. Et de utroq. in hac disputatione mihi erit sermo, & imprimis de indeterminato; sit igitur

QUÆSTIO I.

An detur vacuum indeterminatum, seu an dentur spatia imaginaria? & quid sint?

I. Circa præsentem materiam imaginariam plurimis Authores passim distrahuntur imaginationibus, dum unus hoc, alter aliud de his spatiis imaginatur, mihi licebit etiam, quod aliis; maximè habenas laxante Doctore subtili, qui, licèt quandoque locum realem propugnet, attamen tam 5. Met. q 9. quàm 4. Phys. q. 2. spatiis imaginariis plurimùm favet, nam dicit, hoc non posse evidenter impugnari. Quarè cum eodem rem brevitèr expediendo, secundùm quod soleo,

II. *Dantur spatia imaginaria.* Dico 1. *Dantur spatia imaginaria.* Hæc est, ut imaginor mihi, indubitata, &

Probatur: Quia spatia imaginaria vel sunt entia realia, vel entia fictitia, sed tam entia realia dantur, quàm entia fictitia; ergò dantur etiam spatia imaginaria: probatur mi. quia dantur entia rationis; ergò dantur etiam spatia imaginaria, cùm non plùs esse habeant illa, ac ista, ergò. Et hoc sufficiat pro prima parte; pro secunda, de qua plures, eaque sola, sunt difficultates

III. *Non sunt quid positivum.* Dico 2. *Spatia imaginaria non sunt quid reale positivum.*

Probatur primò: Spatia imaginaria fuerunt ante mundum conditum, sed ante mundum conditum nihil fuit reale positivum; ergò nec spatia imaginaria sunt aliquid reale positivum; probatur minor, quia tunc nihil extitit, præter solum Deum, sed Deus nequit dici spatium imaginarium, ergò.

IV. Dices: Deum posse dici spatium imaginarium, propter suam immensitatem, per quam ubique diffusus est, idque necessariò, non quidem secundùm partes, sed virtualitèr & eminentialitèr, quatenùs ejus unica simplicissima entitas, multis partibus & extensionibus æquivalet, adeóque rem esse in spatio imaginario nihil aliud est, quàm esse in Deo. Sed Contrà: Secundùm Patres & Scholasticos Deus est in spatiis imaginariis, etiam extra cœlum, sed si Deus esset ipsum spatium imaginarium, gratis diceretur hoc, quia nihil aliud facerent, quàm quòd Deus sit in se, quod nemo negat; benè tamen alii, quòd sit in spatiis illis imaginariis, unde Arguo incontrà secundò: Certum est, Deum esse ubiquè immensum & esse in se, sed non est certum, quòd Deus sit in spatiis imaginariis; ergò spatia imaginaria non sunt Deus, nec Deus est spatium: ma. patet: minor probatur ex varietate sententiarum, quoniam aliqui affirmant, alii è contrà negant, ergò.

Probatur secundò: Si spatia imaginaria essent quid reale positivum, vel essent substantia, vel accidens, neutrum sunt; ergò non sunt aliquid reale: ma. patet: probatur mi. quia si essent substantia, deberent esse tam benè in loco, ac aliæ substantiæ & non essent in loco, nisi per alia spatia, quæ etiam absque omni loco esse non possent, & illa iterum usque in infinitum; Nec etiam accidens, quia deberent habere aliquod subjectum, quod implicat, quia illud subjectum deberet esse in loco & in spatio, & sic deberet iterum aliud habere subjectum.

Dico 3. *Spatia imaginaria non sunt entia purè fictitia.* Ita ex Scotistis Baro contra alios, & etiam plures Recentiores, ut Arriagam, Oviedum, Vasquetz &c.

Probatur primò: Quia cœlum Empyreum fuit in spatio & est in illo absque eo, quòd aliquis intellectus de eo cogitet vel fingat, imò spatium imaginarium fuit ab æterno, sed ab æterno nullus fuit intellectus potens fingere; ergò spatia imaginaria non sunt entia per fictionem.

Probatur secundò: Deus, secundùm probabilem sententiam, est in spatiis imaginariis, sed Deus non est in fictione alicujus intellectûs, ergò: probatur mi. Deus esset ibi, etiamsi nullus intellectus esset, qui fingeret.

Probatur tertiò: Spatium imaginarium debet esse quid fixum & immobile, sed fictio intellectûs cessat, cessante actu intellectûs; ergò in eo non consistit spatium imaginarium.

Dico 4. *Spatium imaginarium est negatio spatii realis alibi ponibilis.* Hæc sequitur ex prioribus, nam si spatium non est quid fictum, nec etiam aliquid positivum, sequitur esse aliquid negativum. Unde

Probatur Conclusio: Spatium imaginarium nihil est aliud, quàm id, quod spatio

spatio reali opponitur, sed nihil magis opponitur spatio reali, quàm negatio spatii realis, ergò. Confirmatur: Si Deus per suam omnipotentiam annihilaret cœlos superiores usque ad regionem ignis, tunc in locum cœlorum annihilatorum succesit spatium imaginarium, nam eodem modo nobis tunc imaginaremur amplissimam quandam extensionem, non secùs ac modò; ergò spatium imaginarium nihil est aliud, quàm negatio spatii realis.

VIII. Dices 1. Hæc negatio spatii realis deberet esse alicubi, sed omne, quod est alicubi, debet correspondere alicui loco, sive positivo, sive negativo; ergò etiam illud spatium imaginarium; Et sic in infinitum. Sed R. negando ma. Ratio est, quia quod est ratio alicui essendi in loco, non debet iterum poni per aliud in loco, nam sic Adversarii ipsi fatentur, quòd ubi intrinsecum non sit in loco per aliud ubi intrinsecum, sic nec spatium debet esse in spatio per aliquod aliud spatium, quia ipsum est mensura & capacitas, ut sint res aliæ in ipso: quarè respondeo ad mi. dist. eandem. Omne, quod est, debet correspondere alicui loco, si non sit ratio formalis & ipse locus, concedo minorem, si sit talis ratio formalis, nego mi. Spatium autèm est ratio formalis locandi.

IX. Dices 2. Omnis negatio potest tolli per positionem formæ, cujus est negatio; ergò etiam spatium poterit tolli, sed hoc videtur contra rationem spatii, quod dicitur esse immobile & æternum, ergò. R. disting. consequens, poterit tolli simplicitèr, nego consequentiam, secundùm quid, concedo, nec in hoc involvitur aliqua implicantia.

QUÆSTIO II.

An Deus sit in Spatiis Imaginariis?

I. Qui negant Spatia imaginaria, consequentèr loquendo, negant etiam Deum esse in illis, Arriagà excepto, qui, licèt illa negâsset, & mera entia fictitia docuisset esse, dicit tamen, Deum esse ibi, sed non video, quomodo Deus extitisset ab æterno in spatio imaginario, cùm nec Arriaga tamdiu extiterit, imò multo tempore extiterit, antequàm aliquod tale spatium finxerit vel fingere potuerit. In materia ista tenet D. Bonaventura partem negantem; Nihilominùs Sancti nostri Magistri contrarium sentiunt, ideóque cum aliis resolutivè.

II. Deus est in spatiis illis, Dico: *Deum verè esse in spatiis imaginariis.* Hanc Recentiores potiori ex parte omnes solemnitèr propugnant, contra plurimos Scotistas, qui imaginantur hoc esse contra mentem Doctoris subtilis, sed perperam, quia Doctor tantùm denegat Deo ante mundi constitutionem præsentiam ad aliquid positivum. Quare

Probatur Conclusio primò: Authoritate S. Augustini Serm. 57. Divers. ubi sic ait: *Quæ sunt spatia, quæ non habent omnipotentem? quæ non tenent immensum?* Et lib. 11. Civit. cap. 5. hæc habet. *Ita quæritur, cur potiùs tunc, & non antè mundus factus sit, quemadmodùm quæri potest, cur hic potiùs, ubi est & non alibi? Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deum ab opere cessare potuisse, similitèr ergò cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat, non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur.* Ex qua authoritate desumo pro Conclusione hanc rationem: Deus per æternitatem suam omne tempus actuale excedit & supergreditur; ergò etiam excedit omnem locum actualem, & consequentèr est & fuit, quando non fuit, & ubi non est locus actualis & realis; probatur ant. quia Deus dicitur fuisse per omne tempus imaginarium præcedens in infinitum tempus actuale, non quidem per præsentiam aliquam positivam & realem coexistentiam, quia tunc nullum fuit ens, cui coexisteret, adeóque defectus non ex ipso, sed ex carentia rei existentis: ergò; patet etiam consequentia, quia sicut se habet Deus ad tempus, ita se habet ad locum, utrumq; enim respicit per infinitum, hinc per infinitam æternitatem, illinc per in comprehensibilem immensitatem. Prob. etiam ex Bernardo lib. 5. de Consid. cap. 13. ubi dicit: *Quid igitur est Deus? longitudo inquam quid ipsa? æternitas. Hæc tam longa, ut non habeat terminum, non magis loci, quàm temporis.* Sed si Deus non est in spatiis imaginariis, haberet terminum loci, ergò est.

Dices: D. Bernardus totum contrarium docet, nam lib. 5. de Consid. cap. 6. sic discurrit: *Quæris si in ipso omnia, ipse ubi? Nihil minùs invenio. Quis capiat locum? Quæris ubi non sit? Nec hoc quidem dixerim: Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquam sit, qui non clauditur loco & nusquam non sit, qui non excluditur loco. Suo autèm sublimi & incomprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Deniq; sicut ait Evangelista, in mundo erat. Alias verò ubi erat, antequàm mundus fieret, ibi est. Non est, quod quæras ultra, ubi erat: præter ipsum nihil erat; ergò in seipso erat.* Sed R. Sanctum Bernardum, sicut & omnes alios Sanctos Patres, quando dicunt, quòd Deus ante mundi creationem fuerit in seipso, aliud non velle, quàm explicare, quòd nihil ante ipsum fuerit, nec etiam aliquid necessè fuerit, ut esset ab æterno, in quo esset, ut esse posset, cùm sufficientèr in se esset, absque eo, quòd aliquid reale esset, in quo se ipsum constitueret & hoc ideò, quia sic meliùs ab illis, quibus loquebantur, capiebantur. Simili modo explicandus est D. Augustinus, dum lib. 7. Conf. cap. 1. locum inanem vocat *spatio sum nihil*, id est, nihil positivum, vel quòd ibidem deploret errorem præteritum, in quo fuit, credens Deum in illo loco inani esse quantitativè extensum, ut eum interpretatur Nebridius. Hinc III.

Probatur Conclusio secundò IV. Ratione: Deus necessariò est, ubicunque esse potest, sed potest esse in spatiis imaginariis, ergò ibi est: major patet ex immensitate Divina: probatur mi. Deus potest esse ubiquè, ubi potest esse Angelus vel homo, aut quandocunque aliud corpus, sed corpus quodcunque, sicut etiam Angelus & homo possunt esse in spatiis imaginariis; ergò potest etiam Deus ibi esse, patet major, quia non plùs requiritur in Deo, quàm

quàm in Angelo vel aliquo corpore; minor probatur, ex eo, quòd defactò totus mundus sic sit, qui, si non potuisset sic esse, nec creari & produci potuisset, imò nunc & defactò potest Deus in spatiis illis Angelum creare, sicut etiam alium mundum præter istum.

V. Dices: Deum posse esse, ubicunque corpus est, dummodò corpus illuc ponatur, non verò si non ponatur eò aliquod corpus. Sed Contrà: Ut Corpus aliquod ponatur extra Cœlum Empyreum, non requiritur, ut priùs ibi existat aliud corpus; ergò nec etiam est necesse, ut priùs aliquid ponatur illuc, ut Deus ibi sit, cùm minùs requirat Deus ad ibi existendum, quàm corpus, quia hoc vult habere carentiam corporis & divisibilitatem spatii, non sic Deus.

VI. Probatur Conclusio tertiò: Si Deus non esset in spatiis imaginariis, sequeretur, Deum esse mutabilem, sed hoc alienum est à natura Dei, ergò: probatur sequela. Quia si Deus crearet alium mundum ab isto (sicut posset) uno milliari disitum, tunc vel Deus esset ipsi immediatè præsens vel non? si non, sequitur Deum non esse immensum: si verò esset ipsi immediatè præsens, tunc quæro, vel fuit jam antecedentèr ibi vel non? si fuit; ergò Deus est in spatiis imaginariis: si verò non fuit, tunc verè mutaretur, quia fieret de non præsente præsens: ergò.

VII. Dices: Deum futurum illi mundo præsentem, non per mutationem sui, sed per mutationem solius novi mundi, quemadmodùm assumpsit naturam humanam, non per sui mutationem, sed per mutationem humanitatis. Sed Contrà, in productione novi mundi mutatio nequit poni ex parte creatuæ, supponitur enim quòd mundus ille non moveatur loco; ergò Deus in nostro mundo existens & uno milliari ab alio mundo distans, ut fiat illi præsens & vicinus, debet ad ipsum moveri, & si ad ipsum movetur, necesse est, quòd mutetur.

VIII. Probatur quartò: Si Deus non posset esse in spatiis imaginariis, sequeretur, quòd nec posset esse præsens vacuo, aut si esset præsens, quòd à semetipso dividi deberet, quod utrumque falsum est, ergò: probatur sequela quòad primam partem, quia vacuum nihil est, nisi aliquod tale spatium & non differt, nisi per respectus & connotata, quòd hoc sit determinatum & non illud, ergò: probatur altera sequela, quia, si inter hos parietes cubiculi hujus annihilaretur totus aër sine fornice & pavimento, ita, quòd soli muri starent, Deus esset parietibus & muris præsens, & non medio; ergò tunc esset à seipso divisus. Sed in Contrà

IX. *Argumentum in contrarium.* Arguitur: Spatium non est quid positivum & reale; ergò Deus nequit in eo existere, probatur consequentia; quia unum in alio existere non tantùm dicit absolutum alicujus rei existentiam, sed respicit etiam aliquod aliud, in quo dicitur existere. R. negando consequentiam, probationem ejus distinguo, unum in alio existere non dicit absolutum rei existentiam, si existat in alio, per aliquod positivum superadditum & in aliquo positivo, concedo ant. si non existat in reali positivo, nego ant. Vel distingue aliter; respicit aliquid aliud positivum, nego ant. negativum transeat; & hoc probat adhuc nostrum intentum magis, si enim existere alicubi non dicit nudam rei existentiam, sed etiam respicit aliquid aliud; ergò quandoquidem Deus, secundùm Scripturam & Patres, existit etiam extra Cœlum, non respicit illa existentia solam essentiam Dei, sed etiam aliquid aliud, non aliud, quàm spatium imaginarium, ergò.

Instatur: Si non requireretur aliquid positivum, in quo aliquid dicitur existere, sequeretur, Deum tam benè existere in meis fictionibus, chymeris, rebus objectivis, ac dicitur existere in spatiis imaginariis, sed in meis fictionibus non existit, veluti in loco vel spatio; ergò nec in illis spatiis, & consequenter illa non sufficiunt, sed etiam aliquid positivum requiritur, ergò. Sed R. negando sequelam, quia illæ nihil reale actuale important, spatium verò importat negationem realem actu existentem extra mundum, eo modo, quo negationes possunt dici existere, atque adeò Deus in illis potest existere, non verò in fictionibus & chymeris.

Urgetur: Ergò Deus etiam poterit existere in cœcitate cæterisque privationibus & negationibus. R. negando illatum. Ratio disparitatis est, quia cæcitas est hujus naturæ & spatium est alterius naturæ, seu quia hoc est hoc, & illud est illud, nam, sicut cœcitas non tollitur per aliquam aliam formam, quàm per visum & non per lucem, nec per colorem vel calorem, sic neque tollitur per positionem alicujus substantiæ, è contrà spatium est hujus naturæ, quòd sit capax recipiendi in se quamlibet substantiam, sive spiritualem, sive corpoream.

QUÆSTIO III.

An detur vel dari possit vacuum?

Non quæro de vacuo, quod reperitur in domibus & Conventibus fratrum minorum, nam ibi esse & debere esse postulat ratio Statûs illius, nec denique de vacuo quocunque alio in sensu morali, aut metaphorico, quo dicere solemus, helluones evacuare scyphos, Epulones voraces scutellas &c. Sed de vacuo in Physica acceptione, in qua describitur, quòd sit locus carens corpore quantitativo, aptus tamen repleri, quod non est aliud, quàm spatium, quod in se corpus non habet, aptum tamen est, ut tale inter se recipiat & inter latera sua distantia. De hoc ergò vacuo quæritur, an defactò detur vacuum? an verò dabile sit, tam in ordine ad potentiam naturalem, quàm in ordine ad potentiam supernaturalem? in qua materia ita aliqui in sensu suo abundant, ut nihil de vacuo scire velint, inter quos est aliquis Recentior Renatus Des Cartes: alii è contrà putant & naturaliter defactò vacuum dari. Attamen

I. *Propositio Fidei.*

II. *Defactò datur vacuum.*

Dico 1. *Defactò naturaliter non datur vacuum.* Hæc est in Scholis communior contra nonnullos glorioſulos, qui sese experientiâ oculari demonstrâsse gloriantur. Verùm

Probatur

Probatur Conclusio primò, Experientiis variis: Quia videmus vas plenum in orificio superiori benè servatum & occlusum, si inferiùs episstomium extrahatur, quòd nihil effluat, licèt in se vas plenum sit aquâ vel vino, aut alio humore liquido & fluido, quod non contingit ob aliam rationem, quàm ne vacuum detur, nam si vinum per episstomium effluneret, cùm ibi non posset quoque ingredi aër, sequeretur, quòd in parte superiori, ex qua vinum cessit, vacuum esset. Deinde non ob aliam rationem ventosæ & cucurbitæ carnem attrahunt, & sanguinem extrahunt, quia aër igne lychni accensi rarefactus incipit & occupat minorem locum, quando redit ad pristinam densitatem, unde, ne intra partes cucurbitæ, seu vitri vacuum detur, attrahit carnem & cum carne sanguinem. Tertiò: Si ore trahatur aër ex fistula, statim ascendit vinum vel aqua, ne vacuum detur, quod idem contingit in antliis domesticis & fontibus artificiosis. Quartò: Ob eandem causam nequeunt ullâ vi elevari folles, si orificio benè obstructo & obdurato aër sit extractus, nam si elevarentur, cum ex nulla parte aëringredi posset, jam ibi vacuum esset. Quintò: Si quis poculum plenum aquâ, vel quocunq; humore derepente & volocitèr vertat, nihil de eo effluit, maximè si orificium sit paulò angustius, quod faciliùs ingressum aëris impediat, quod idem contingit, si quis velocitèr tale orificium vasis in aquam immergat, aqua nequit intrare, nisi priùs per bullas foras emissas aër ejiciatur, quæ pulchrè describit D. Augustinus secundo lib. de Gen. litt. cap. 2. sequentibus verbis: *Nullum vas ab ore impressum repleri aquâ potest: unde satis indicat, aëris naturam locum petere superiorem, videtur enim vas inane, sed aëre plenum probatur, cùm ore imo in aquam deprimitur, quia enim superiori parte non invenit emigrandi locum, nec deorsum versus eruptis aquis subter eas ire natura sinitur, plenitudine sua repellit eas & in vas non sinit intrare. Cùm autem vas ita collocatur, ut os non habeat deorsum, sed in latus inclinatum, intrat aqua inferiùs, exeunte aëre superiùs. Item, si vasis erecti os pateat in cælum, cùm infundis aquam, evadit aër sursum versus ex aliis partibus, quâ non infundis & fit locus aquæ deorsum versùs intrandi. Quòd si majori vi vas deprimitur, ut vel ex latere, vel desuper aquæ derepente influant & undiq; os vasis obtegant; diurumpit eas aër sursum nitens, ut eis ad ima locum faciat, & ipsa diruptio singultus vasorum est, dum partibus fugit, quia totus tam citò exire non potest, propter orii angustias.*

III. **Probatur secundò ratione:** Quia contiguitas rerum in hoc sublunari & toto universo pertinet ad bonum ipsius; ergò non potest esse, ut sit sine hoc bono, cùm nihil sit sine sua perfectione & ratione conservativa, qualis est contiguitas corporis. Verùm fateor, hæc ratio non est à priori, nec convincens, nam res sublunares videntur meliùs separatæ conservari posse, quàm aliis contiguæ, quia dum aliis sunt contiguæ, habent contrariorum approximationem, quæ in illa agere possunt, sed meliùs conservatur aliquid, quando est sine contrario suo, quàm quando est cum illo, ergò. Deinde meliùs conservantur res, quando omnes ejusdem rationis sunt simul, quàm quando diversæ rationis, quia tunc verè virtus est unita fortior; Quarè alii dicunt hanc rationem esse: Quia, si vacuum daretur, impediretur influxus astrorum in hæc sublunaria; sed nec ista ratio sufficit; Quia actiones astrorum non videntur tantam habere dependentiam ad medium, ut non possint agere in hæc inferiora sine eo. Deinde detur hæc dependentia à medio, per hoc tamen non impedientur, si in aliquo parvo spatio, verbi gratiâ, in aliqua caverna, vel in hoc cubiculo detur vacuum. Unde dico, optimam rationem à posteriori esse ab extrinseco per Divinum scilicet Decretum, quo Creator ordinavit & determinavit, ut in toto universo omnia essent contigua; & hoc ideò fortè, quia unitas perfectior est quàm discretio, hinc cùm ob pulchritudinem universi, non posset omnia esse unita secundùm eandem rationem, debent esse eo, quo possunt, meliori modo. Ast contra hanc communem veritatem

IV. *Argumentum in contrarium primum.* **Arguitur:** Datur plenum in rerum natura; ergò etiam datur vacuum: probatur consequentia, quia posito uno contrario debet poni etiam alterum. R. negando consequentiam, cujus probationem distinguo: posito uno contrario, debet poni etiam alterum, si sint privativè opposita, nego: positivè contraria, concedo. Locus autèm & vacuum privativè opponuntur, unde plenum tollit & negat statim vacuum.

Instatur: Si non daretur vacuum in rerum natura, non posset aliquid localitèr moveri; ergò, ut salvetur motus localis, admittendum est vacuum, probatur sequela, quando corpus movetur localitèr, vel recipitur in vacuo, vel in pleno, si in pleno, sequeretur, quòd duo corpora naturalitèr se penetrarent, si in vacuo, ergò datur illud. R. negando ant. ad probationem ejus dico, quòd in motu locali corpus motum non recipiatur in pleno, sed in spatio, quod plenum antecedentèr erat, corpus tamen, prius ibi existens, per aliud sequens expellitur, unde nec in pleno, nec in vacuo recipitur, sed inter spatii latera, quæ anteà erant repleta.

Urgetur: Si corpus præexistens expelleretur à spatio per corpus subsequens, illud expulsum similitèr debebit vel etiam aliud pellere, vel debebit se cum alio penetrari, utrumque implicat, ergò: probatur min. si corpus expulsum, verbi gratiâ, aer non pellit iterum alium aerem; ergò cum ipso penetratur, quod implicat; si verò expellit alium aerem, ille alter aer debebit iterum expellere alium & sic in infinitum, quod similitèr implicat, quia alioquin musca posset commovere totum hoc universum. R. primò: Conformitèr ad dicta in Logica, quòd ille aer expulsus pellat iterum alium & alter tertium, & sic deinceps, usque dum invenit corpus vel obstaculum, quod iterum repellit & cogit occupare locum antè desertum. Unde R. secundò: Non esse necesse, quod alterutrum

fiat, quia potest totum salvari per rarefactionem & condensationem aeris, ita, ut aër expulsus condenset aerem, ad quem succedit & aer corpori succedens rarefiat, ut possit aeris & spatii relicti locum occupare.

V. *Secundum.* Arguitur 2. Varias experientias paritèr opponendo; nam imprimis, Certum est quòd in lucernis turritis consumatur oleum, in cujus locum tamen nequit aër succedere; ergò datur vacuum, deinde, dum vas plenum aquâ condensatur, manet vacuum. Tertiò: In lapidibus durissimis violentiâ fractis reperiuntur cavitates, sed in illis nullum fuit corpus; ergò fuit ibi vacuum. Quartò: Si duæ tabulæ essent perfectè planæ, & sibi invicem supponerentur, si una ab alia æqualitèr elevaretur, in medio daretur vacuum, quia non posset in unico instanti aër ad totum spatium succedere. Quintò: Cœli omnes, præter Empyreum sunt figuræ sphæricæ, illud autèm, quod est supremum, est figuræ quadratæ, ut dicitur Apocal. 21. Civitas in quadro posita est; ergo in quatuor angulis datur vacuum, quia nullum est corpus, quod assignari potest, esse ibi. Sed R. ad tres priores in omnibus illis experientiis, aut aërem ibi succedere, aut certè præfuisse; Ad quartam dico, sat probabile esse, quòd etiam in duabus tabulis multùm de aere contineatur, quia rarò, aut nunquam sunt ita planæ, ut non haberent aliquas protuberationes & inæqualitates; Et licèt essent ita planæ, ex hoc tamen non potest inferri, quòd dabitur vacuum, quia negabo, quòd istæ duæ tabulæ, secundùm omnes suas partes poterunt æqualitèr per omnia simul elevari. Ad ultimam planè facilis est solutio, quia licèt omnes Cœli sint rotundi, & Empyreum sit quadratum, ex hoc non infertur, quòd detur naturaliter vacuum defactò, benè tamen, quod supernaturaliter. Deinde dico, Cœlum Empyreum non esse quadratum secundùm concavum, benè tamen secundùm convexum. Et per hæc omnes aliæ experientiæ solvi possunt; Una tamen est, quæ particulari videtur examine indigere, quæ in Italia satis nota Authore Toricello Florent. est, & quam ad has partes deduxit Valerianus Magni in qua, veluti sua (manitèr tamen) gloriatur, aitque, se oculari experientia coram Rege Poloniæ demonstrâsse, estq; ista:

VI. *Experientia Valeriani, seu potius Torisella.* Si Fistula longa, aut tubus duorum cubitorum vitreus accipiatur, qui ex una parte, tanquam in fundo, sit apprimè clausus, & ut dicunt vitro hermetis, id est, vitro liquente, signatus, impleatur postmodùm tubus Mercurio usq; ad summum, ori & orificio superponatur digitus, & sic orificium digito clausum vertatur deorsum, ut signaculum habeat sursum orificiumque sic clausum immergatur in vas subjectum Mercurio paritèr repletum ex parte, hac immersione factâ subtrahatur digitus sensim, & experientia dabit, quòd Mercurius ex naturali sua gravitate defluet non totalitèr tamen, sed fortè ad cubitum, ita, ut in fistula vel tubo ad cubitum maneat Mercurius, ulteriusque non descendat, cubitus verò alter erit omninò vacuus, id est, nullo corpore repletus, quia non poterit assignari, unde nam provenerit illud corpus, non aër, quia, sicut una pars Mercurii effluxit, ita potuisset effluere totalitèr, si aër viam accedendi habuisset. Hæc est gloria fratris Minoris Magni. Sed existimo, secundum meum qualecunque videre, aërem ibi tam benè succesisse, ac in aliis similibus casibus succedit, & hoc quàm maximè, quia non est ita certum, digitum ita mathematicè clausisse orificium, ut nullatenùs aër ingredi potuerit, nam frequentèr manus tremulæ, aut defatigatæ facilè remittunt rigorem obturandi os fistulæ & sic facillimè intrare potuit, utpotè cùm aër, propter suam subtilitatem, etiam imperceptibiliter subintret, nam si aër nullo modo ingressus fuisset, quæro, cur Mercurius in illo tubo descenderit ad medietatem tubi tantùm & non ultra, & cur non æqualitèr saltem cum illo Mercurio in vase supposito reperto, cum natura liquidorum hoc exigat, ut effluere potens ad æqualitatem semper se ponere conetur, ut patet si vas aliquod projiciatur in aquam, tamdiu rotabitur de latere in latus, usque dum aqua se æqualitèr diffundat, unde puto rem esse pro communi mea sententia, dico enim ideò Mercurium non descendisse magè deorsum, ex eo, quòd non potuerit aër succedere in ejus locum, & ideò in medietate sic sursum mansisse ad impediendum vacuum. Deinde optimè possem negare istam experientiam totalitèr, utpotè, quæ non est ita certa, nam, ut testatur Baro Art. 1. de Vacuo: hujus experimenti repetitionem fecit, & tamen non succesit, ex quo ego infero illos experimentes non ita purè casum retulisse, dubito enim valdè, an non ibi interceserint subsistentiæ & emissiones bullarum, vel quasi bullarum, prout in aqua fieri solent infra quam contineatur aër? Ast

Instat Valerianus, vel Toricellus potiùs ejusque sequaces: Si idem tubus eximatur, & extrahatur extra vas Mercurio aliqualitèr repletum, & ante plenam extractionem orificium inferius iterum fortissimè claudatur, & immittatur, sic clauso orificio in aliud vas aquâ repletum, tam citò, ac digitus amovebitur ab orificio magno impetu aqua tubum ingredietur, & Mercurium usque ad summitatem propellet, qui tamen ob gravitatem descender deorsum, & locum præbebit aquæ ascendi sursum, sed si in tubo fuisset aër, aqua non ingrederetur cum tanto impetu tubum; ergò signum est, nullum fuisse ibi aërem. Hoc posterius si verum esset, priorem experientiam multùm confirmaret, attamen res est incerta eaque sola, adeoque non debet ullo modo præjudicare tot, tamque manifestis experientiis in contrarium. Deinde respondeo directè, permittendo transire experientiam, subsumptam minorem negando, quia quod aqua tam velocitèr ascenderit sursum, non fuit ideo, quia ibi vacuum fuit, sed quia ibi aër fuit valde rarefactus, qui proinde tam facile ad aquam cesit & hinc dico, rationem esse, quòd etiam Mercurius descenderit tantùm ad unum cubitum & non ulteriùs, quia aër in tubo contentus magis non potuit rarefieri. Fateor tamen, rem benè dici, unde ego etiam

Dico

VIII. Dico 2. *Non est ultra vires totas naturæ, secundùm se spectatas, dari naturaliter vacuum.* Ità Doctor in 4. d. 43. q. 5. ubi ait: *Non ergò vacuum esse in universo includit contradictionem; imò si natura faceret in instanti minus ex majore, videretur posse concludi, vacuum esse per tempus sine divino miraculo.*

Probatur primò: Ex communi suppositò, quòd Angeli inferiores gubernent, & hæc inferiora regant, seu intelligentiæ, ut colligitur ex illo Job. *Sub quo curvantur, qui portant orbem*: & ex D. Augustino lib. 2. Doct. Christ. cap. 23. ubi ait: *Ista pars mundi infima, secundùm pulcherrimum ordinem rerum, providentiæ Divinæ lege subjecta est angelis* &c. Ex his igitur sic argumentor: Omne illud, quod defactò impedit, ne detur vacuum, est illa causa naturalis, quæ sibi subjectam habet administrationem sublunarium, sed hæc potest impediri ab actione sua impeditiva vacui; ergò relinquendo vires naturæ, secundùm se spectatas, absque miraculo dari poterit vacuum: probatur minor: Illa causa potest impediri, quæ secundùm naturæ vires habet se perfectiorem & multò activiorem, sed hæc habet, ergò: probatur mi. quia angeli administrantes hæc inferiora non sunt supremi Spiritus, sed de ordine inferiorum, aut superiores Angeli sunt multò perfectiores & magis activi; ergò, licèt Angelus velit impedire vacuum, posset adhuc à sua actione impeditiva distrahi; ergò posset dari vacuum, loquendo de viribus naturæ, in quantum vires naturæ dicuntur eæ, quæ non sunt supernaturales. Sed quia fortè dici posset, principium impeditivum vacui non esse angelum, sed ipsas res creatas omnes. Ideò faciliùs probo sic: Potest angelus expellere & movere duo corpora in contrarias partes, & alter angelus impedire ne tertium succedat in locum priorum, sed si non succederet aliud corpus, ibi daretur vacuum, ergo: probatur mi. quia angelus est multo perfectior, quàm sint illa alia corpora; ergò etiam multò magis activus est; ergò illorum activitatem impedire potest.

Probatur tertiò: Potest Angelus in instanti extrahere clavum ob longum ex trabe, sed tunc dabitur vacuum, quia in instanti non potest succedere aër, ergò: probatur ma. potest angelus in instanti movere se; ergò etiam secum in instanti clavum deferre, quandoquidem in hoc nulla potest assignari repugnantia.

IX. Dixi tamen notanter in conclusione, non esse ultra naturæ vires, secundùm se spectatas, quia nunc & defactò, prout subsunt angeli legi & decreto divino, ista facere nequeunt, cùm eorum potestas sit valdè restricta & limitata. *Non enim subjecit Angelis orbem terræ*, ut dicitur ad Hebræos cap. 2.

X. Dices: Angelus etiam sibi relictus non potest duo corpora penetrare; ergò non potest facere vacuum: probatur consequentia, quia vacuum fieri nequit, nisi corpora aliqua penetrentur, sed angelus hoc facere nequit, ergò: probatur ma. ut fiat vacuum in hoc cubiculo, debet tolli aër in eo contentus & poni in alio loco, sed non potest poni in alio loco absque penetratione, quia jam omnia loca sunt plena, ergò. R. negando consequentiam cum probationis ma. & eadem probatione, quia non est necesse, quòd ille aër hinc ablatus penetretur cum alio aëre, sed sufficit, quòd condensetur ille aër prior, ut hìc extractus etiam possit habere locum, sicut necesse habemus dicere de explosione tormentorum & similium.

Instabis: Angelus nequit facere miraculum, sed si daretur vacuum, esset miraculum; ergò Angelus nequit illud facere. Sed R. dist. mi. esset miraculum secundùm se spectatum, nego mi. secundùm decretum Divinum defactò positum, concedo. Nihil tamen est contra me.

XI. Dico 3. *Potest Divinitùs virtute Dei dari vacuum.* Hæc est contra Vulpem, alioquin communis. Et, si nulla alia ratio esset, sufficeret authoritas D. Augustini Serm. 17. in 1. Epist. ad Corinth. dicentis: *Non tam inops est Deus, ut ea solùm facere queat, quæ valet comprehendere rationum tuarum infirmitas.* Attamen probatur adhuc, tum, quia nullam involvit contradictionem, quod, in quæstionibus de possibili, optimum est argumentum: tum, quia potest Deus totum ignis elementum annihilare & aliis corporibus, quæ ad ejus locum implendum confluerent, concursum suum denegare ad motum, & licèt non denegaret, quia tamen illa corpora in unico instanti non possent illuc per totum spatium ponere in puncto, interim dabitur vacuum, tum denique, quia potuit Deus solas sphæras cœlestes creare & sic totam machinam sublunarem relinquere inanem, quid enim hoc implicat? *Divinitus fieri potest.*

QUÆSTIO IV.

An dari possit Motus in vacuo?

Hæc quæstio potissimùm expediri solet tantùm de motu lationis, sed non videtur, cur non etiam de aliis motibus, cæteris paribus, moveri possit. Unde rem de omnibus motibus magisque notis resolvam. Hinc I.

Dico 1. *Non potest in vacuo determinato dari motus rarefactionis & condensationis, si rarefactio fiat per ingressum corpusculorum & condensatio per egressum.* *In vacuo non posset fieri rarefactio.*

Probatur: Illa corpuscula, quæ in rarefactione ingrediuntur, debent provenire à corporibus circumstantibus, sed ibi nulla essent corpora circumstantia; ergò non posset fieri rarefactio. Deinde, si fieret motus condensationis, corpuscula deberent egredi, sed si egrederentur corpuscula, implerent vacuum; ergò illud tolleretur, & consequentèr, contra suppositum, vacuum non esset.

Dico 2, *Si terra totaliter annihilaretur, non posset homo, vel quodcunq; animal movere se motu progressivo.* II. *Non posset se animal movere motu progressivo.*

Probatur: Quia ex naturali gravitate tenderet deorsum ad centrum & sic si pedem moveret, deorsum caderet, quia non haberet, unde sustentaretur; ergò non posset se movere motu progressivo.

III. Dices: Posset se homo movere, si poneretur ad spatia imaginaria motu progressivo; ergò etiam, licèt terra destrueretur, probatur consequentia, quia hîc haberet tam benè spatium & virtutem motivam, ac ibi, ergò. R. negando consequentiam; Ratio disparitatis est, non, quòd non haberet æquè spatium & virtutem motivam, sed quia tunc in casu conclusionis haberet centrum respectu aliorum elementorum permanentium, adeóque deberet ad illud tendere, propter gravitatem, in vacuo & spatiis imaginariis verò non haberet hoc centrum.

Instabis: Si destrueretur aër, possent aves in eo volare; ergò etiam, si destrueretur terra, posset homo adhuc in vacuo ejus ambulare. R. negando ant. Existimo enim, eandem esse rationem de volatu avium, ac de motu progressivo animalium; Aves enim tam benè in volatu aëri inniti debent, ac homo terræ, dum alas explicant, quibus, tanquam remis sese promovent. Et per hoc resolvi poterunt similes alii casus. Hinc propero ad alia, &

IV. *Homo posset habere multas operationes.*

Dico 3. *Si Homo poneretur in vacuo, posset exercere multas operationes & sensationes vitales, non tamen omnes.*

Probatur quòad primum: Quia imprimis posset intelligere & velle, posset nutriri & augeri, si haberet alimentum debitè applicatum & approximatum, imò Mastrius probabilitèr putat, quòd posset ibi generare, deinde posset seipsum tangere & cibum gustare; Ratio omnium à priori est, quia ista nullo modo dependent à medio; ergò in vacuo fieri possent.

Probatur secunda pars: Quia probabile est, quòd nihil posset videre vel audire, & ratio est, quia nequit produci visio, nisi concurrentibus speciebus sensibilibus intentionalibus, sed hæ non possent in vacuo concurrere, ergò: probatur mi. quia non possent in illo subjecto recipi, sicut deberent, cùm accidentia essent, utpotè cùm nullum esset, ergò. Sed contra primam partem

V. Dices: Si homo esset in vacuo, non posset ibi respirare; ergò homo in vacuo non posset vivere. R. negando consequentiam, quia beati post resurrectionem vivent, & tamen non respirabunt; ergò non est necessaria respiratio ad vitam servandam & continuandam, maximè per aliquod brevius tempus.

VI. *Potest ibi dari motus localis.*

Dico 4. *In vacuo dari potest motus localis tam à se, quam ab alio.* Hæc est contra Albertum Magnum & Burlæum. Est D. Thomæ tamen Doctoris 2. d. 2. q. 9. &

Probatur primò: Si daretur vacuum in toto hoc cubiculo & non posset in eo fieri motus localis, sequeretur, quòd Albertus vel Burlæus tutò possent in diametro ad portam stare cuicunque explodenti sclopum, sed hoc certè neuter faceret; ergò signum est, quòd tunc globus tormentarius & plumbeus posset ad eos usque se movere: probatur sequela ma. Quia si in vacuo nihil, sive à se, sive ab alio moveri posset, tunc globus ille statim, ut pertingeret ad limina portæ, deberet cessare movere se, & sic quilibet in vacuo etiam minutissimo tutus esset à quacunque tormentaria ejaculatione.

Probatur secundò: Si esset Burlæus in vacuo, posset utique fricare barbam & ab ea fricatione cessare, manumque retrahere; ergò potest manum in vacuo movere.

Tertiò: Quia non videtur ratio, quarè Angelus aliquis in vacuo existens non possit sagittam emittere & evibrare.

Quartò denique: Quia si non posset dari motus in vacuo, sequeretur, quòd, si lapis molaris poneretur in concavo lunæ, & tota regio ignis & aëris esset annihilata, quòd tunc lapis ille non posset cadere deorsum, sed hæc videntur esse paradoxa, cùm tunc tam benè à naturali sua gravitate impelleretur, ac nunc & defactò. Sed

Opponitur Authoritas Aristotelis hic cap. 8. ubi dicit, quòd vacuum motum destruat non verò adstruat. Sed respondeo Aristotelem dicere, vacuum destruere motum, qui est ad superficiem, non verò quòd destruat motum ad spatium; & hoc ideò, quia Aristoteles dicebat, omnem motum lationis esse ad locum, veluti ad terminum realem. VI. *Opponitur Authoritas Arist.*

Instatur: Talis motus nec posset dici esse dextrorsum vel sinistrorsum, nec sursum, nec deorsum; ergò nullus esset, quia nullam haberet determinatam speciem. R. quòd si vacuum consideretur, prout opponitur spatiis imaginariis, id est, si fermo sit de vacuo determinato, negando ant. quia omnis talis motus, respectu corporum aliorum, posset habere rationem sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, nam si ego moverem me in spatio vacuo hujus cubiculi respectu Ecclesiæ esset dextrorsum, si respectu camporum, esset sinistrorsum, imò in vacuo indeterminato possunt adhuc esse motus sursum, deorsum, &c. nam si ego manum meam applicarem & moverem ad genua, esset utique motus deorsum, si ad caput, esset motus sursum: ergò.

Dico 5. *In vacuo etiam motus fieret successivè.* Hæc est contra eosdem & plures alios, qui ex mente Philosophi malè intellecta putant omnem motum in vacuo esse instantaneum. VII. *Motus successivus fieri.*

Probatur Conclusio primò: Quia, si non posset fieri motus in vacuo successivè, sequeretur, si esset vacuum inter cœlum & terram, quòd pila, quæ moveretur à concavo lunæ ad centrum terræ, simul occuparet omnes partes spatii intermedii, secundùm longitudinem saltem, sed hoc est falsum, ergò. VIII.

Secundò: Si esset vacuum inter cœlum & terram, & in isto vacuo poneretur erecta columna quadraginta cubitorum, & ex concavo lunæ juxta hanc columnam descenderet lapis unius tantùm palmi, ille lapis non esset simul præsens summitati, mediati & basi talis columnæ, aliàs æqualis magnitudinis esset, quod supponitur falsum; ergò successivè esset præsens parti uni & postmodùm alteri, ergò.

Tertiò: Si duo lapides ejusdem magnitudinis essent, quorum unus projiceretur à Deo, vel

vel angelo à media regione aëris, qui annihilatus supponitur, & alter à concavo lunæ, hoc supposito, si non daretur motus successivus in vacuo, tam citò deberet esse in terra, qui fuit projectº à suprema Regione & à concavo lunæ, quàm ille, qui fuit projectus à medio spatio, hoc videtur planè falsum, ergò. Quartò: Projiciatur ab Angelo pila per spatium vacuum tantâ vi in terram, ut repercussa ad eundem redeat locum, unde fuit projecta, tunc vel recurret, & redibit ad eundem locum, unde projecta est in eodem instanti, vel alio, si eodem, ergo nunquam fuit emissa, sed semper ibi mansit impermutata, quod est dicere, eam non fuisse projectam: si alio, ergò, cùm illa instantia temporis fluxerit, tunc non peregit suum motum in instanti, sed in tempore. Probatur deniq; Quintò ratione: Successio motûs non solùm provenit ex medio, quatenùs plenum est, sed etiam, prout ab intercapedine & distantia extremorum cohibetur, & retardartur, sed hæc distantia manet in spatio vacuo, ergò motus in eo factus instantaneus non erit sed successivus: probatur ma. quia terminorum distantia in causa est, ne corpus simul in termino *à quo*, & *ad quem*, ac in spatiis intermediis esse possit: probatur etiam minor: Quia si totus aër annihilaretur, & etiam sphæra ignis, luna tam procul distaret à terra tunc, quàm nunc, ergo esset eadem intercapedo & distantia. Sed

X. *Opponitur & solvitur Arist.*

Opponitur etiam hìc Authoritas Aristotelis. t. 71. dicentis: Sicut medium proportionatur medio in densitate & subtilitate, ita motus proportionatur motui per velocitatem, & tarditatem, sed medii vacui ad medium plenum nulla est proportio, ergò etiam nulla est proportio motûs in vacuo & pleno, & consequentèr qui in pleno successivus esset, in vacuo instantaneus erit. R. dist. ma. pro explicando Aristotele: Quantùm ad velocitatem & tarditatem, quæ provenit ex resistentia positivi medii majori vel minori, concedo ma. quantùm ad velocitatem, & tarditatem ortam ex aliis principiis, nego ma. & concessâ mi: distinguo similitèr consequens, & Ratio patet ex probationibus suprà allegatis. Verùm

Instatur: Ideò sol illuminat in instanti, quia nullam invenit resistentiam in medio, ergò, si in vacuo nulla est resistentia ex parte medij, licèt sit ex parte distantiæ, motus poterit fieri in instanti. Respondeo negando consequentiam: Quia in motu locali est repugnantia inter terminum *à quo* & *ad quem*, ita, ut simul esse nequeant, quod non est in illuminatione aëris, ideoquè hoc in instanti fieri potest, non illud.

LIBER V.
DE INFINITO.

AGit Aristoteles de infinito in tertio Physicorum, & in quinto, nonnulla iterum repetit de motu, verùm, quia ordinatiùs judicavi materias ad se pertinentes, & ejusdem rationis colligere, & in unum combinare tractatum, ideò omnia, quæ de motu dici debebant, explicui suprà, reservando Infiniti explanationem usquè in hunc librum, ut post vacuum in infinitum ingrediar, non quidem illud evacuando, quoniam nec ante me fuit, nec post me erit, qui illud sit evacuaturus, sed ut illud pro modulo meo perstringam, dicamquè ea, quæ vel dici solent, vel dici possunt, & totam difficultatem unâ comprehendam disputatione, non, quod plures fieri non possent, sed quia nullus disputationum finis fieret, quò plùs enim dicitur, plùs dicendum restat, & quò plus scribitur, & clamatur, eò minùs capitur. Sit igitur

DISPUTATIO.
DE INFINITO.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Infinitum?

Multiplex accipitur infinitum.

1. Agendum est hìc de infinito in propria & Physica acceptione, non verò de impropria & metaphorica, secundùm quam infinitum dicitur omne illud, quod est vel immensum, vel æternum, vel multum, & innumerabile, quo sensu dicitur Ecclesiast. 1. *Stultorum infinitus est numerus*, sic quoquè mundus à Patribus frequentèr vocatur infinitus, aut infinita continere, unde ait D. Augustinus in Psal. 146. *Nunquid est numerus arenæ? Nobis non est, Deo est, cui capilli omnes capitis nostri numerati sunt, & arena numerata est; Quidquid ergò infinitum iste mundus complectitur, etiamsi non homini, tamen est Deo, parùm dico, Deo, Angelis numeratum est.* Imò habentes magnos thesauros impropriè dicuntur habere infinitas divitias. Infinitum ergò propriè acceptum, si etymon nominis spectetur, idem sonat, quod *non finitum*, seu, quod *finem non habet*, sicut inaccessum dicìtur, quod non habet accessum &c. In hac acceptione Infinitum definivit Aristoteles 3. Phys. t. 62. & 63. *Quòd sit id, cujus semper est aliquid extra accipere.* Cujus sensus, ut existimo, genuinus est, quòd infinitum sit tanta multitudo partium, vel perfectionum, ut, quàmvis ex illis aliæ, & aliæ semper auferantur, adhuc tamen semper restabunt aliæ & aliæ accipiendæ, ita, ut nullo unquam tempore finito possint omnes accipi & exhauriri, incipiendo ab una, quæ vocaretur prima, & desinendo ad aliam, quæ diceretur ultima.

Definit illud Arist.

Hoc infinitum duplex est, *Syncathegorematicum & Cathegorematicum*; Qui termini à summulistis suam ducunt originem, nam ut ibi visum est, terminus Cathegorematicus est, qui absolutè est significativus, ut possit esse subjectum, vel prædicatum propositionis. Syncathegorematicus est, qui nequit per se esse sic in propositione, nequè per se & sine addito est significativus, sic *Infinitum Cathegorematicum* absolutè est infinitum sine ullo addito, aut sine ulla restrictione, *Syncathegorematicum* verò non sic; Unde hoc describitur: *Quòd sit illud, quod actu habet partes finitas, in potentia tamen infinitas* (ut proinde dicatur etiam infinitum potentiâ) ita videlicet, ut semper plures, & plures addi possint, & nunquam tot, quin adhuc plures, & tale infinitum sunt homines defactò existentes, qui quidem in se finiti sunt, ita tamen cras augeri possunt, ut sint duplò plures, perinde iterum, & sic deinceps in tantum, ut nunquam erunt additi tot, quin adhuc plures possent addi.

addi, semper tamen intra latitudinem termini finiti, quia quæcunquè pars addita finitâ multitudine circumscribetur, numerus autèm & multitudo finita addita finito, non facit infinitum. Item dici deberet infinitum secundùm *additionem*, non verò secundùm *acceptionem*, quia, licèt unquàm possint tot partes, vel numeri addi, quin semper adhuc plures usquè in infinitum, non poterunt tamen tot partes & unitates semper accipi, ut semper possint accipi plures in infinitum, quod patet de hominibus omnibus, qui existunt, vel extiterunt, si enim ab illis semper acciperentur partes, & numeri, verbi gratiâ, myriades, chiliades, citò ille numerus exhauriretur.

III. *Infinitum Cathegorematicum.*

Infinitum Cathegorematicum, quod etiam infinitum in actu dicitur, est illud: *Quod actu suas omnes partes habet simul, & quidem in tanta multitudine, ut non possit habere plures, quòd nec per ullam additionem possit accipere aliquod incrementum, vel augmentum;* partes tamen illæ debent esse æquales & unicertæ, quia etiam in finita magnitudine reperiuntur partes infinitæ secundùm sententiam Aristotelis, illæ tamen vel sunt æquales, vel non sunt unicertæ.

IV. *Tres requiruntur conditiones.*

Hinc patet, ut aliquid dicatur infinitum Cathegorematicum quòd debeat habere plures singulares conditiones; & *Prima* est: *Quòd mensurari non possit.* Illud enim mensurari dicitur, quod per aliquam mensuram sæpiùs multiplicatam & adhibitam cognoscitur, quantum sit, ita, quòd habeat tot partes, & non plures, si tam magnum, & non majus, quod infinito Cathegorematico nequaquàm competere potest, sed nequè Syncathegorematico, secundùm quod plures, & plures semper possunt addi partes; Quare malè dicunt nonnulli, infinitum per infinitum aliud posse mensurari, licèt non possit per finitum, nam mensurari est per quantitatem notam in quantitatis ignotæ cognitionem venire, unum infinitum autèm non est notius altero. *Secunda* est: *Quòd infinitum nequeat numerari vel pertransiri.* Ratio est eadem quasi, quia illud pertransiri potest & numerari, ad cujus ultimum deveniri potest, sed in infinito ad nullum ultimum deveniri valet, ergò. *Tertia*: Infinitum *cognosci non posse*; id est, perfectè & adæquatè, quia, si cognoscatur, secundùm modum infinitatis, accipiendo alterum post alterum, semper aliquid cognoscendum restat, quia intellectus sic cognoscens cognosceret simul, non nisi finitum; & finitum additum finito, non facit infinitum. An autèm Deus possit cognoscere infinitum, controvertitur, dicendum tamen, quòd vel cognoscat distributivè, vel collectivè, sed ad modum alicujus finiti, quia ab eo comprehenditur, *quod autem comprehenditur scientiâ cognitione finitur*, ut ait D. Augustinus 13. Civit. cap. 18. id est, *cognoscendo & cognoscenti finitur*, non in se, alioquin Deus semetipsum comprehendendo se finiret secundùm se, cùm tamen infinitus sit in sua entitate. *Quarta*: Quòd Infinitum Cathegorematicum *non possit suscipere majus & minus.* Ratio est, quia infinitum est illud, *quo non est majus*, ut dicit Aristoteles 1. Cœlo. t. 130. quod dictum exponitur ab Authoribus communiter verum esse, non modò secundùm existentiam, sed etiam secundùm imaginationem, & ideò, quia Deus infinitum est ens, dicitur ab Anselmo, *quo majus cogitari non potest in entibus*: Deinde infinitum est illud, cui nihil deest eorum, quæ habere potest, si autèm posset unum suscipere majus, quàm alterum, illud, quod non haberet tantum, quantum alterum, non esset infinitum, quia deesset ipsi aliquid eorum quæ habere possunt. Ultima denique conditio est, quòd infinitum cathegorematicum non possit augeri, vel minui: patet ex Regula superiori, si enim non potest suscipere majus vel minus, nec consequentèr aliquid ei addi vel detrahi potest; tum, quia illa additio deberet fieri vel secundùm partes finitas, vel infinitas, neutro modo fieri potest, ergò: probatur mi. quia si fieret aliquo, ergò jam non inclusisset omnia, quæ in illo genere, aut specie habere potest, detractio similiter nequit fieri, aliquo ex illis modo, aliàs si Deus creasset infinitos homines, singulos cum aureo, posset auferre infinitos aureos, absquè eo, quòd singuli homines desinerent habere quilibet suum aureum, deinde si posset fieri detractio secundùm numeros finitos, ponamus, quòd Deus detraxerit ex infinitis hominibus duas myriades, quæro, an illos iterum posset reproducere? Si sic, ergò poterat etiam antè, & sic si iterum reproducerentur, augeretur iterum infinitum remanens.

V. *Iterum subdividitur.*

Infinitum tam Cathegorematicum, quàm Syncathegorematicum iterum dividi potest, in infinitum, secundùm substantiam, seu essentiam, in infinitum, secundum quantitatem, numerum & intentionem, de quibus potissimùm controvertitur, quæ etiam subsequentibus singula singulis quæstionibus, nè multitudo confusionem pariat, & confusio turbet intellectionem, patebunt. Sit itaquè

QUÆSTIO II.

Utrum possit dari infinitum in essentia?

I.

Quæstio hæc procedit tam de infinito Syncathegorematico, quàm Cathegorematico, an videlicet dabilis sit aliqua creatura, quæ esset infinitæ perfectionis, ita quòd vel in omni genere entis esset perfectissima, vel tantùm in determinata aliqua specie, ut verbi gratiâ, in genere animalis, vel in genere plantæ, &c. quomodocunquè autèm hæc infinitas consideretur

II. *Nequit dari creatura infinitæ perfectionis.*

Dico 1. *Non posse dari creaturam, quæ sit infinitæ perfectionis essentialis, sive in omni, sive in uno tantùm genere.* Hæc est communis &

Probatur primo: Authoritate Divi Bernardi serm. 86. de diversis ubi ait: *In mensura est ergò omnis factus spiritus præter Divinum, quia & ratio ejus & memoria, & cætera omnia suam habent mensuram. In numero facto sunt omnia, vel secundùm partium compositionem, ut sunt corpora, vel secundùm varietatem & mutabilitatem, ut sunt etiam incorporea, solus Deus est, in quem nec pondus,*

dus, nec mensura cadit omninò, nec numerus; sed si aliqua creatura esset dabilis, quæ esset infinitæ perfectionis, non haberet pondus, nec mensuram, nec numerum, ergò esset, sicut Deus, quod implicat; Nec valet dicere, Sanctum Patrem loqui de creaturis, quæ nunc, & defactò sunt, non verò de illis quæ per Dei potentiam absolutam producerentur, quia per hoc quòd dicat, in solum Deum non cadere numerum vel mensuram, satis innuit, nullam aliam esse possibilem creaturam, in quam etiam non caderet numerus & mensura, cui enim aliud simile possibile est solum, absolutè dicendum non est.

III. Probatur secundò: Quia si posset dari aliqua creatura infinitæ perfectionis etiam solùm in uno genere entis, posset dari virtus infinitè activa, vel infinitè intellectiva, sed ex his nulla dari potest, quæ esset essentialis & infinitæ perfectionis, ergò ma. patet, quia non videtur, quòd in aliquo genere potiùs sit aliquid dabile infinitæ perfectionis, quàm in istis: probatur mi: Quia implicat, quòd perfectiones quæcunq; creaturarum non excedantur infinitè, in sua ratione formali, à perfectionibus Divinis soli Deo particularibus, sed potentia infinitè activa, & infinitè intellectiva sunt perfectiones soli Deo particulares; ergò.

IV. Probatur tertiò: Ex infinitate cujuscunquè perfectionis absolutæ in Divinis oritur, quòd debeat identificari omnibus aliis perfectionibus essentialibus, ergò, si daretur aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis, ratione hujus deberet sibi identificare omnes alias, & sic non modò in determinato aliquo genere, sed in omni esset infinitæ perfectionis, ac Ipse Deus, quod est implicatorium. Confirmatur, quia, sicut perfectio una infinita posset tribui creaturæ, ita etiam quæcunquè alia, & sic creaturæ posset concedi, Esse à se, quod contra rationem est creaturæ.

V. Dices: Unio hypostatica est infinitæ virtutis, imò omnis Christi actio est infiniti meriti & valoris, ergò etiam dabilis est alia creaturæ infinitæ perfectionis. R. dist. ant. est infinitæ perfectionis, & infiniti valoris, & Physicè, nego, moralitèr, concedo ant. & nego consequentiam. Itaquè, ut docent Theologi, Unio hypostatica non est infinita simpliciter, sed propter moralem existimationem est aliqua summa dignitas & excellentia in persona Christi, cujus actiones infiniti meriti sunt, non in se, sed propter liberalem Dei acceptationem; Sic peccatum dicitur quoquè infinitæ malitiæ, non secundùm entitatem, cùm nullam positivam habeat, sed propter respectum ad Deum contra cujus legem factum est.

Instabis: Si Deus Christum ab æterno produxisset, sicut poterat, Christus habuisset aliquam perfectionem infinitam Physicam, ergò saltem tunc unio illa sacratissima fuisset infinitæ perfectionis. R. negando ant. quia, licèt Christus ab æterno productus fuisset, non habuisset majorem perfectionem intrinsecam, quia nihil in specifica aliqua perfectione accresceret quod in se, veluti infinitum eminentèr contineret.

Dico 2. *Neq; Infinitum Syncathegorematicum dari potest in creaturis, & naturis specificis rerum.* Ita Ruvius, Aureolus, Henricus, Vulpes, Arriaga, &c. VI. Dicitur Syncathegorematicum

Probatur primò Authoritate Divi Augustini 12. Confess. cap. 7. ubi ait: *Duo fecisti Domine, alterum prope te, alterum prope nihil*, id est, ut exponit eum Doctor subtilis, Angelum, & materiam Primam, ergò non potest dari infinitum Syncathegorematicum in creaturis, quia alioquin posset dari aliqua creatura, quæ esset magis propè, quàm Angelus, Quem textum proinde frustrà explicant Adversarii de speciebus defactò creatis & creabilibus, quia quæcunquè perfectior species dabilis in infinitum esset Angelica quæcunquè tamen creata fuerit, non excedet rationem naturæ angelicæ genericam, & communem. X.

Probatur secundò: Quidquid continetur sub aliquo genere, non potest esse infinitum, sed omnes species rerum creabilium continentur sub genere, ergò in illis poterit dari infinitum: minor est certa: probatur ergò major: Quidquid continetur sub aliquo finito non potest esse infinitum, sed genus est finitum, ergò quidquid continetur sub genere, non est finitum, probatur ma. quia ob hanc rationem Divus Augustinus & Melleus Bernardus, cæteriquè Patres negant, Deum posse poni in aliquo prædicamento ex eo, quòd Deus utpotè infinitus non possit contineri sub genere, quod est finitum: minor etiam patet, tum, quia si genus infinitum esset, utiquè posset etiam Deum subse comprehendere; tum, quia illud est finitum, quod habet rationem partis, sed genus habet rationem partis, ergò genus est quid finitum; major est certa ex dictis suprà, nam infinito nequeunt convenire denominationes partis, majoris, minoris &c. probatur minor, quia animal est pars hominis, pars leonis &c. Confirmatur ex Barone: Quia, si genus esset aliquod infinitum maximè *substantia*, quod est in prædicamentis principalissimum, sed hoc non est infinitum, ergò: probatur mi: si esset infinitum, deberet etiam descendere ad sua inferiora, ut infinitum, sed nequit sic descendere ad sua inferiora, ergò: probatur mi: quia alioquin omnes substantiæ sub eo contentæ essent infinitæ, quod est planè paradoxum. XI. Infinitum per explicationem D. Aug.

Dices: Deus continetur sub ente, ergò aliquid infinitum potest adhuc sub alio contineri. Sed R. dist. ant. continetur sub ente, veluti aliqua pars entis, nego ant. veluti totum omnem alteram partem in se complectens, concedo ant. & nego consequentiam. Itaquè Deus non est sub ente, veluti aliqua pars, sed ut totum, quæcunquè autem creata continentur sub ente, continentur ut partes, ita, quòd una non possit habere in se alterius perfectionem ullo modo, nec efficere, quod alterum potest, sicut Deus omnia continet eminenter, ut clarè etiam docet S. Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 7. demonstram, XII. Argumentum ratione. VII.

strans, non obstante summa simplicitate, omnia adhuc in eo contineri.

Probatur Conclusio tertiò: Non possunt dari infinitæ species sub uno genere, ergò nec etiam species infinitæ perfectionis, consequentia bona est: probatur ant. Non potest dari infinitus numerus, ergò nec infinitæ species sub eodem genere, quælibet etenim ad minùs numero differre deberet.

Probatur quartò: Sunt aliquæ creaturæ ita in summo, ut majorem summitatem habere non possint, sed illæ sunt finitæ, ergò nullæ sunt dabiles infinitæ perfectionis: major patet ex Maternitate Beatissimæ Virginis Mariæ, quâ nulla perfectior esse potest, utpotè cùm sit Mater Dei, ergò; similiter Unione hypostaticâ nihil perfectiùs est dabile, & tamen illa non est infinita, ergò. Sed

Opponitur Authoritas D. Augustini lib. 12. de Civit. cap. 18. ubi docet: *Quamlibet unitatem variare speciem numeri*, sed quocunquè numero potest dari perfectior, ergò etiam quâcunquè specie poterit dari perfectior in infinitum. R. explicando Sanctum Augustinum, eum videlicet aliud non velle, nisi quòd in numeris fiat variatio per additionem materialiter, non verò formaliter, id est, quòd quotiescunquè plures res, secundùm suam entitatem, adduntur, quæ non sunt diversæ perfectionis, species verò sunt inæqualis perfectionis, earumquè additio non est materialis, sed formalis.

Arguitur etiam Ratione: Illud simpliciter fieri potest, quod non involuit implicantiam, nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ, ergò datâ quâcunquè semper perfectior dari potest. Sed Respondeo facillimè, negando minorem, quia implicantia est ex parte creaturæ, quam implicat habere infinitam perfectionem essentialem, quæ tamen illi concedenda foret, si assignatâ quâcunquè specie non posset dari aliqua perfectior.

Instatur: Infinita perfectio Divina est infinitè participabilis, & imitabilis, ergò non est implicantia, quòd creatura eam in infinitum imitetur. Sed R. dist. syncathegorematicè & quoad numerum, concedo ant. quòad speciem, nego ant. & consequentiam.

QUÆSTIO III.

An possit dari infinitum in intensione?

Sicut prior, ita hæc quoquè examinat quæstio titulum, tam de infinito cathegorematico quàm syncathegorematico; In qua materia Doctor subtilis satis problematicus fuit, ideoquè Scotistæ duplici incedunt viâ, aliqui enim Infinitum syncathorematicum in intensione qualitatum concedunt possibile, alii è contrà negant, sicut etiam omnes negant, dari posse cathegorematicum; Verùm tamen, quia Scotus magis inclinavit in sententiam negantem, quamquè magis piam, & in Christum Dominum devotam existimavit, nam dum hanc materiam resolvere deberet, & ex gratia Christi quæ defactò collata est ei, si enim ista summa est, quæ dabilis fuit, sequitur necessariò, gratiam non posse in infinitum intendi, imò nec aliam perfectiorem dari, ait enim 3. d. 13. q. 4. *In commendando Christum malo excedere, quàm deficere in laude ipsius, si propter ignorantiam* (incertitudinem, dubitationem) *in alterutrum incidere necesse est*, ideò etiam ad hanc me determinandum duxi, quoniam deprehendi pariter eam esse ad sanctos nostros Doctores, eorumquè doctrinam magis conformem, quarè

Dico I. *Nequit dari infinitum cathegorematicum vel syncathegorematicum in intensione qualitatum, id est, nequit esse qualitas in infinitum intensa.* Hæc est plurimorum Scotistarum contra Mastrium & Bellutum &c. II. *Nequit dari infinitum in intensione.*

Probatur secunda pars, eâ enim demonstratâ sequitur prima à fortiori, & quidem primò Authoritate Divi Augustini cap. 121. Enchridii, ubi ait: *Cupiditatem minui charitate crescente, donec veniat ad tantam magnitudinem, quâ major esse non possit*, ergò datur determinatus gradus in qualitate, sic pariter Mellifluus Doctor Bernardus, gratiam in Christo excellentissimam deprædicat, quam tamen non dicit infinitam, sed summam & maximam *definitè*; Audi verba ipsius: sermone quarto super *Missus est*, *ad quid enim ita simpliciter Sanctum, & absq; additamento?* (explicat illa verba Angelica, *Ideoq; nascetur ex te Sanctum*) *Credo quia non habuit, quid propriè, dignéve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima, videlicet Virginis carne, cum sua anima, Unico Patri erat uniendum; si diceret sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneretur parum sibi dixisse videretur, posuit ergò indefinitè Sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, Sanctum proculdubio & singulariter sanctum fuit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* Ergò ex mente D. Bernardi Spiritûs sanctificatio fuit indefinitè *eximia, magnifica, & singularis*, ideoquè maxima, & consequentèr dabilis major non est, nec aliqua in infinitum intensa, quia gratia Christi talis non fuit, quæ tamen summa fuit.

Probatur Conclusio secundò: III. Si posset dari qualitas infinitè intensa etiam syncathegorematicè, posset dari motus alterationis infinitus, sed talis nequit dari, ergò nec qualitas infinitè intensa: probatur mi: Non potest natura incipere moveri ad id, quod non potest attingere, sed hunc terminum nequiret attingere, ergò; quod Confirmatur, quia omnis motus debet habere aliquem terminum, qualem hîc non haberet, maximè in sententia Adversariorum, qui dicunt, motum non esse aliud, quàm formam fluentem, forma autèm hæc fluens nullum haberet terminum, ergo nec motus.

IV. Probatur tertiò: Nulla perfectio intrinseca potest in infinitum intendi, sed intensio est qualitatis perfectio intrinseca, ergò qualitas non poterit in infinitum intendi; probatur major, nulla perfectio intrinseca potest esse major eo, cujus est perfectio intrinseca, ut patet discurrenti per omnes & singulas perfectiones & rerum proprietates, ergò: minor etiam patet, quia intensio qualitatis est modus ipsius quialitatis, ergò. Sed ex potissima ratione

V. Probatur quartò: Omne subjectum qualitatis est ens finitum, secundùm suam essentiam & naturam, ergò etiam erit finitum, secundùm suam capacitatem, quæ est propria passio subjecti, adeoquè nullo modo majoris perfectionis, quàm subjectum; Ex quo ulteriùs sic argumentor: Omne subjectum recipit qualitatem, secundùm capacitatem, quam habet, sed capacitas cujuscunquè subjecti, ad recipiendas qualitates, est finita, ergò etiam solùm recipiet eam finitè, & consequentèr non poterit recipere infinitè intensam, alioquin reciperet ultra suam capacitatem.

VI. Dices: Subjectum quidem non posse recipere qualitatem infinitè intensam, secundùm capacitatem naturalem, benè tamen secundùm supernaturalem, quæ dicitur potentia obedientialis. Sed Contrà primò: Quælibet qualitas ex natura sua intrinseca petit determinatam intensionem, ergò nequè per potentiam Dei supernaturalem poterit habere infinitam, quia Deus nequit immutare, & variare rerum naturas & essentias. Contrà secundò: Subjectum nullum per potentiam obedientialem potest fieri infinitè perfectum cathegorematicè, sed si posset recipere intensionem qualitatis infinitum, esset actu infinitè perfectum, ergò; probatur mi: quia habet in se actu capacitatem ad recipiendam infinitam intensionem, ergò erit capacitas infinita actualis, cùm habeat illam à principio actuali. Contrà tertiò: Si subjectum fieret infinitè capax ad recipiendam quamcunquè intensionem qualitatis in infinitum, posset etiam recipere infinitas qualitates ejusdem generis, imò diversorum, sed hoc videtur implicatorium, quia alioquin posset habere simul nigredines omnes, albedines, calores, frigora, &c. &c. probatur ma. quia quod est infinitè capax ad receptionem formæ intensæ in infinitum, est æquè capax respectu cujuscunquè alterius similis & contrariæ, quia infinitas copulat sibi omnia, quod clarè patet in Divinis, ubi infinita sapientia identificat sibi infinitam justitiam, misericordiam, &c. &c.

VII. Dices 2. Potentiam receptivam, & passivam capacitatem nullam dicere perfectionem, adeoquè non implicare, quò minùs posit recipere infinitam intensionem, quia ex hinc ipsa non augebitur in infinitum. Sed reverà negandum est primum antecedens, si enim nullam omnino diceret perfectionem, non video, quarè quodlibet non posit recipere quodlibet, & sic cur non posset quantitas in se recipere formas substantiales, & materia una omnes formas simul, etiam posibiles, quia per hoc, quod omnes in se reciperet, nullo modo augeretur ejus perfectio & capacitas.

VII. Et licèt dixerim primam partem conclusionis de se sequi ex secunda; Attamen probo etiam hic particularitèr? Si posset dari aliqua qualitas infinitè intensa, maximè gratia sanctificans, sed hæc nequit esse infinita, ergò: patet ma: quia materiales videntur magis implicare, quàm spirituales, & inter spirituales, minimè videtur implicare gratia sanctificans: probatur mi: Infinita gratia petit sibi correspondentem infinitam gloriam, sed infinita gloria nequit haberi, ergò neque infinita gratia; probatur, infinita gloria deberet esse infinita visio, infinita visio in creatura nequit esse, quia comprehenderet Deum, qui est incomprehensibilis, ergò. Nec valet recurrere ad communem evasionem, Deum non comprehendi posse, quia visio non adæquaret eum in essendo, qui est infinities infinitus: Non valet, inquam, tum, quia hæc proportio non requiritur, alioquin nec substantiam intelligere possemus, quia intellectio in essendo non est ipsi proportionata; tum, quia, sicut dicit Augustinus Epist. 112. *Tunc res comprehenditur, quando nihil ejus videntem latet*: tum deniquè, quia quodlibet infinitum non est semel infinitum, sed etiam infinities infinitum, nam, ut Adversarii fatentur, ex infinito non solùm infinitæ unitates, sed etiam binitates, trinitates & quaternitates accipi possunt; Nec Deus est infinities infinitus, quasi verò in eo essent infinities infiniti gradus perfectionis distincti, cùm sit ens simplicissimum, sed quia æquivalet infinities infinitis gradibus, sed visio etiam sic æquivaleret, ergò.

Probatur secundò eadem pars: Si posset dari infinita aliqua qualitas, fortè etiam gravitas, hæc dari nequit, ergò nulla: probatur minor, quia infinita gravitas infinitum causare deberet motum localem, sed nequit infinitus motus localis dari, ergò: patet major, quia sicut gravitas causat motum localem deorsum, ita major majorem & infinita infinitum: probatur minor: quia si poneretur infinita gravitas in concavo lunæ, deberet in unico instanti descendere, quod nequit fieri. Ad hoc argumentum multi multa respondent insufficientia tamen, hinc pariter omitto, sicut etiam alias objectiones, quæ solventur potiori ex parte in sequentibus duabus quæstionibus. Interim

Dico 2. *Si qualitatis intensio fieret extra subjectum, probabile est, dari posse infinitos gradus syncathegorematicè.* Hæc non poterit meo videri negari, quam proinde sic Probo: Potest dari infinitum syncathegorematicum in multitudine, ergò etiam in intensione qualitatum; probatur consequentia quia infiniti gradus qualitatis non sunt, nisi infinitæ unitates, sed tales possunt dari, ergò etiam infiniti gradus in qualitatibus. Et fortè per hanc conclusionem reconciliantur Scotus & Scotistæ ab eo deflectentes.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An possit dari infinitum in multitudine?

I. Sermo in hac, & sequenti quæstione non erit de infinito syncathegorematico, communiter etenim tenetur, infinitum tale in multitudine & magnitudine extensiva dari, id enim clarè non abnuit D. Aurelius suprà citatus quæstione secundâ, ubi non modò docet, quemlibet numerum variare speciem, sed & numeros infinitos esse, & hoc patet, nam in omnibus individuis datur talis processus, ut nunquam tot dentur, quin plura dari possint, similiter erit in cogitationibus, in quibus non poterit assignari numerus & multitudo, quin adhuc major esse possit, unde qui in superioribus etiam in hoc dissenserunt, in numero consentiant, quarè de infinito cathegorematico resolvo rem, &

II. Dico: *Repugnat etiam Divinitùs dari infinitum in multitudine.* Hæc communior est, & eam etiam insinuavit Doctor subtilis 2. d. 1. q. 3. & in 3. d. 13. q. 2. à quo plures Scotistæ recesserunt, magis ostentationis gratiâ, quàm veritatis amore. Sed

Probatur Conclusio Rationibus tam novis, quàm veteribus, & primò quidem ex natura ipsiusmet infiniti: Si posset dari numerus infinitus aliquorum individuorum, sequeretur, eum sibi debere identificare seu venire omnem infinitatem in numeris, sed hoc non potest fieri, ergò nequit dari infinitum in numero: ma: patet ex suprà dictis, nam etiam ipsi Adversarii concedere debent, ideò infinitatem Sapientiæ Divinæ identificare sibi justitiam, misericordiam, &c. probatur mi: quia si esset possibilis numerus infinitus hominum, deberet etiamstatim esse infinitus numerus aureorum, infinitus numerus librorum, infinitus numerus gladiorum, quod tamen secundùm ipsos non necessarium est, nam licèt Deus (dato casu) crearet infinitos homines, non tamen propterea deberent esse infiniti gladii, vel libri; Imò urgeo argumentum hoc, in eodem infinito; si esset possibilis infinitus numerus hominum, hoc infinitum deberet sibi identificare omnem numerum hominum, seu habere unitum omnem hominem existibilem, sed hoc infinitus numerus hominum non exigit, ergò: probatur mi: quia posset Deus creare infinitos homines, quibus posset addere postea centum, ergò non habuisset infinitus numerus omnem hominem possibilem sibi unitum; probatur autèm ant. quia posset Deus destruere centum homines absquè eo, quòd destrueret infinitum, ergò etiam creâsse infinitos homines absquè eo, quòd creâsset illos centum.

III. Dices: In Deo est Sapientia infinita, & tamen non identificat sibi omnem sapientiam, ergò etiam, licèt esset infinitus numerus, non deberet necessariò habere unitum omnem numerum possibilem: probatur ant: quia etiam est aliqua Sapientia creata, ergò. Sed Contrà: Magna est disparitas, quia Sapientia creata, est diversæ rationis diversiquè generis à Sapientia increata, quia hæc illam ex ratione infinitatis perfectiori modo continet, quàm si contineret eam formalitèr, quod plane repugnat, cùm creata sit accidens, Divina autèm sit substantia, eaquè talis, quæ nullius accidentis capax est.

Probatur Conclusio secundò: IV. Ille infinitus numerus deberet componi ex unitatibus, verbi gratiâ, ex infinitis hominibus, quorum quilibet unus tantùm esset, & non plures, sed ex unitatibus componi non potest, ergò non potest dari infinitus numerus, probatur minor: quia, unitas addita unitati non facit infinitum, ut ipsi fatentur, alioquin etiam dici posset, quòd si Deus Angelis omnibus adderet in quolibet instanti Angelum alterum, quòd ille numerus excresceret in infinitum, & sic una sola unitas faceret infinitum numerum, nempe ille Angelus qui produceretur post maximum numerum finitum Angelorum. Confirmatur, nequit dari maximus numerus, patet ant. probatur consequentia, quia tunc unitas constitueret infinitum.

Dices: Unitates facere infinitum, si infinities sumantur non verò si accipiantur finities. V. Sed Contrà; si unitates infinities multiplicatæ facerent infinitum unum numerum, ille infinitus numerus deberet in qualibet unitate subjectari, & sic quælibet unitas esset infinitum quid. Deinde quando in numeris finitis aliquid multiplicatur ad certum numerum, ille numerus non est in singulis, sed tantùm in aliquo uno, ergò etiam si unitates infinities multiplicentur, infinitus numerus non subjectabitur in singulis: probatur ant: si fiat aliquid multiplicatum decies, verbi gratiâ, decem aurei, illud decies non est in quolibet aureo, sed in illo ultimo, qui facit aureos esse multiplicatos decies, ergò etiam si infinities multiplicentur unitates, ly *infinities* non erit in singulis, sed in aliquo uno, si in uno, ergò unitas faciet infinitum. Deniquè, si etiam dicas, ly *infinities* afficere singulas unitates, non quidem disjunctivè sumptas, sed collectivè, nihil efficis, nec effugis difficultatem, quod sic probo; Si infinitus numerus afficeret omnes unitates collectivè sumptas, sequeretur, quòd quandocunquè aliqua unitas auferretur, mutaretur infinitum & destrueretur, sed hoc est contra rationem infiniti, ergò; probatur sequela. Quando dicitur: Evangelistæ sunt quatuor, Apostoli omnes duodecim, &c. destructo & ablato quocunquè ex illis, non est amplius verum dicere, Evangelistas esse quatuor, Apostolos esse duodecim, ergò etiam ablatâ quâcunquè unitate, non erit amplius verùm dicere, eas esse infinitas. Nec iterum te exsolves dicendo, infinitatem quidem aliquam desinere, non tamen omnem, quia sic redit meum argumentum superiùs factum, quòd unitas faciat aliquod infinitum, quia si abla-

si ablatâ ūnâ ūnitate aliud est infinitum, quàm antecedentèr fuit, ergò etiam si addatur iterum, tunc illa unitas faciet novum infinitum; imò valdè absurdum est dicere, quòd infinitum per unius ablationem variaret suam speciem.

VI. Probatur tertiò: Si posset dari infinitum in numero, sequeretur unum infinitum esse majus altero, augeri & minui, totum non esse majus suâ parte, sed hoc est contra rationem infiniti, & etiam inconvenientia, ergò probatur sequela, quia si crearet Deus infinitos homines, quemlibet cum duobus oculis, aut duobus aureis, numerus aureorum esset infinitus, esletquè multò major numero hominum, ergò unum infinitum esset majus altero; possetquè augeri & minui, quia primò posset Deus addere cuilibet unum aureum, & sic esset majus & infinitum infinito auctum, possetquè iterum tollere omnes aureos, & sic infinitum triplici infinito esset minutum, ergò: quod si dicas, ut faciunt ordinariè, unum infinitum altero esse majus materialitèr tantùm, & non formaliter, non satisfacis, nec à difficultate liberaris, nam infinitus numerus aureorum est formalitèr infinitus tam benè ac infinitus numerus hominum, ergò numerus infinitorum hominum & aureorum simul formalitèr erit major, quàm solus infinitus numerus hominum, nam si Deus destrueret omnes aureos, adhuc maneret formalitèr infinitus numerus hominum, ergò ille numerus erat formalitèr talis, & ècontrà si destrueret etiam infinitos homines, relictis aureis, ille numerus formalitèr esset infinitus, ergò etiam antecedentèr fuit.

VII. Probatur quartò: Omnis species est multiplicabilis in plura individua, sed ipsa infinitas & infinitus numerus est species, ergò etiam illa deberet esse multiplicabilis; subsumo, sed hoc infinito numero implicat, ergò: probatur subsumptum, quia posito solo uno infinito numero, debet esse omne possibile in illo numero & genere, ergò infinito in numero implicat multiplicari, quia posito omni possibili nihil ampliùs est possibile: probatur idem subsumptum secundò: Quia infinitum unum esset individuum speciei infinitatis & non esset, ergò implicat, probatur ant: esset, ut supponitur, & non esset, ut probo, quia omne individuum debet esse unum, omne unum debet esse indivisibile eo modo, & eâ ratione, quâ unum est, infinitum autem non est sic indivisibile, quia illud, etiam secundùm Adversarios, dividi potest, non modò in infinitas unitates, sed etiam in infinitas dualitates, quaternitates &c. Possem adferre hìc aliorum plures rationes, sed sponte omitto, has enim sufficere existimo. Verùm in contrarium

VIII. *Opponitur & explicatur D. Bernardus.* Opponitur Authoritas D. Bernardi & Concilii Suessonensis, in quo refutati & condemnati fuêre errores Petri Abailardi *sine Regula Monachi* (ut inquit Melleus Doctor cap. 193.) *sine sollicitudine Prælati, qui nec Ordinem tenet, nec tenetur ab Ordine*, inter quos unus fuit etiam iste, *Deum non posse plures species producere, quàm eas, quas defactò produxit, nec etiam animas, nisi usq; ad determinatum numerum*; ergò ex mente Concilii, & Sancti Bernardi habetur, Deum posse producere animas (idem est de quibuscunquè aliis individuis) ultra omnem numerum, quod autèm est ultra omnem numerum, est infinitum, ergò Deus poterit producere infinitum in multitudine. Confirmatur ex Concilio Constant. sess. 15. ubi hæc propositio in terminis damnata est, videlicet *Deus nihil potest annihilare; nec mundum majorare vel minorare, sed animas usq; ad certum numerum creare, & non ultrà*, ergò definit etiam contra conclusionem, quæ idem asserit. Sed R. Sanctum Bernardum nequaquam Abailardum expresè, quoad propositionem prædictam refutâsse, sed in tract. de erroribus Abail. quæ est epist. 190. potissimum refutat errorem circa mysterium Trinitatis, eò, quòd Spiritui Sancto nullam, Filio minorem, & Patri tribueret potentiam omnem; fidem non rectè definiret, Christum non venisse ad nos redimendū, sed ad instruendum &c. & capite quarto recenset quidem alios plures, circa Spiritum Sanctum, & suggestiones Dœmonum, circa tentationem hominum, nullibi tamen fecit mentionem de illo errore, quod signum est, Sanctum Patrem peroptimè animadvertisse, licèt in se propositio falsa videri posset, in sano tamen sensu veram esse non implicare, nam alibi de erroribus ejus generalitèr dicit: *Cùm loquitur de Trinitate, sapit Arium, cùm de gratia, Pelagium, cùm de persona Christi, sapit Nestorium* epist. 192. Unde Respondeo, Abailardum ideò damnatum à Concilio, argutum à Bernardo, eò, quòd docuisset Deum tantùm posse creaturas procreare, quòad numerum determinatum & certum intra infinitum syncathegorematicum, quòd nos in conclusione non dicimus, utpotè cùm ea adstruat, Deum nunquam posse tot producere, quin plures, quod tamen non est infinitum cathegorematicum.

Instatur: Deus est infinitus cathegorematicè, ergò potest etiam producere effectum infinitum cathegorematicum, quod si verò dicatur, non posse, læditur non minùs ejus omnipotentia infinita, quàm si dicatur, quòd posit tantùm certum & determinatum numerum: probatur consequentia, quia infinitæ potentiæ cathegorematicæ debet correspondere infinitus actus cathegorematicus. Sed Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dico, infinitæ potentiæ deberet correspondere infinitus actus, si actus non dicat aliquam implicantiam, concedo, si dicat, nego, hìc autèm actus simpliciter implicat, nec tamen propterea dici poterit, Deus non esse infinitus, si enim deberet potentiæ correspondere per omnia actus, reverà deberet esse etiam actus in essentia infinitus, quod implicat, quia aliàs esset alius Deus, cùm alius Deus tamen repugnet, sic quoque Deus, ut loquitur D. Aug. serm. 119. Temp. *Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli, Tanta non potest, quæ si posset, omnipotens non esset*, & proinde, ut ait lib. 26. faust. cap. 5. *Ille planè omnip-*

IX. *Argumentum in contrarium.*

omnipotens verè solus dicitur, qui verè est & à quo solo est, quidquid aliquo modo est, vel spirituale vel corporale.

Urgetur: Si per impossibile essent infiniti ignes possent producere infinitas combustiones, sed omnipotentia Divina est major, quàm sit vis infinitorum ignium; ergò non implicat, quòd ipsas se solo possit producere, quia quidquid potest cum causa secunda, potest se solo facere, ergò. R. 1. *Ex impossibili sequitur omne*, unde nihil concluditur contra Conclusionem, aut datam responsionem, nam etiam verum est, quòd si asinus esset rationalis, posset ratiocinari, quod prius falsum est, posterius etiam falsum est & implicatorium. Attamen R. 2. Majorem esse virtutem Dei adhuc, quàm virtutem infinitorum ignium, tum in entitate, tum in activitate, quia ille posset, & potest omnia producere sine concursu causæ secundæ & ex nihilo, non sic autèm possent agere infiniti ignes, hi enim nec ex nihilo, nec sine concursu Dei suas possent producere combustiones.

IX. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Illud potest Deus facere, quod non involvit aliquam implicantiam, sed infinitum cathegorematicum non involvit aliquam implicantiam; ergò potest Deus facere; probatur minor, non est aliqua implicantia, quòd infinitus numerus producatur successivè; ergò nec quòd producatur simul: probatur consequentia, quia si infiniti homines producibiles successivè & syncathegorematicè producerentur simul, esset infinitum cathegorematicum, ergò: R. negando mi. cum conseq. probationis, ad ejus iterum probationem nego suppositum dupliciter; primò, quia falsò supponitur, quòd ex infinito syncathegorematico possit fieri cathegorematicum, nam infinitum illud conflatur ex meris unitatibus & numeris finitis, nullus autèm numerus finitus additus finito facit infinitum, alioquin infinitum non esset, nisi finitum, quia per illum numerum additum finiretur. Secundò suppositum negatur, quòd videlicet illa individua, quæ successivè producuntur, possent simul produci, licèt enim illa successivè nullam habeant repugnantiam ad seinvicem, habent tamen ad seinvicem simul, ut patet de pluribus aliis, ut de formis, respectu ejusdem materiæ, quarè autèm successivè possint esse & non simul, dixi in probationibus, & fortè ulterior est ratio, ne aliquid infinitum sit quoquo modo, sicut Deus est.

Instatur: Nulla est implicantia, quòd Deus producat omnes homines simul in unico instanti, quos potuisset ab æterno producere, sed illi ab æterno producti, essent infiniti; ergò etiam, si simul illos produceret. R. negando ma. Ratio patet ex paulò ante dictis; unde quando dicitur, quòd Deus possit facere simul, quod potest diversis vicibus, verum est, si intelligatur, Deum posse producere simul, quod potest diversis vicibus, quidquid potest collectivè simul producere, concedo, quidquid potest distributivè & successivè, nego. Deus autèm nunquam potest producere collectivè simul omnes numeros & unitates in infinitum.

Urgetur: Si Deus ageret ex necessitate naturæ, posset omnia producibilia simul producere, imò deberet, sed tunc produceret omne possibile; ergò produceret infinitum, quia tale est possibile; subsumo, sed nunc non est minùs potens, quàm tunc; ergò si tunc deberet producere, nunc posset omnia etiam collectivè producere. R. concessâ majore benè notatâ, prout in terminis est, quòd scilicet omnia producibilia simul produceret, unde respondeo & distinguo mi. tunc produceret omne possibile, simul producibile, concedo mi. omne possibile quomodocunque, nego mi. Itaque dico, quòd, sicut nunc non potest producere omne possibile, sic nec tunc, & sicut non potest producere omne possibile simul producibile, ita etiam tunc, ratio est, quia isti status non differunt penes potentiam Dei, sed penes actum. Quæ responsiones benè notari possunt, ad evitandas arguentium æquivocationes.

Arguitur 2. Quidquid cognoscit Deus possibile, potest producere, sed Deus cognoscit omnes creaturas possibiles; ergò omnes producere potest: probatur ma. quia non est minor ejus omnipotentia, quàm ejus scientia, sed per scientiam omnes cognoscit possibiles; ergò per potentiam potest eas producere. R. dist. ma. Quidquid Deus cognoscit possibile, potest producere eo modo, quo cognoscit possibile, concedo ma. alio modo, nego ma. & dist. etiam minorem, cognoscit omnes creaturas possibiles collectivè sumptas, nego mi. distributivè sumptas, concedo mi. & nego consequentiam. X. *Secundum.*

Instatur: Deus *nullam non* cognoscit; ergò cognoscit omnes collectivè: probatur consequentia: quia *Nullus non* idem est, quod *omnis*, sed cognoscit *nullam non*; ergò collectivè *omnem*. R. negando consequentiam cujus probationem dist. Nullus non, idem est, quod omnis, in creatis finitis, concedo, in infinitis, nego. Et ratio est, quia in rebus finitis valet dialecticus argumentandi modus, nec hoc, nec illud, nec istud, nec aliud est, quod restet; ergò omnia sunt, non sic verò in infinitis, quia non possum dicere & hoc, & illud, & istud &c. & nihil præterea restat, quia quotquot accepero & qualitercunque sumpsero, semper aliquid restabit accipiendum & in infinitum.

Urgetur: Ponatur casus, quòd Deus in instanti D cognoverit creaturas omnes possibiles, in instanti E nulla ampliùs cognoscenda restabit; ergò cognovit in instanti D. *nullam non*. Sed R. iterum, sicut antecedenter dist. consequens: nullam non cognoscit distributivè, concedo, collectivè nego; & ratio est, quia omnes collectivè implicant, ideóque eas non cognoscit sic. Imò hoc ipsum argumentum solvere deberent ipsi Adversarii, nam possum sic arguere in instanti E nullum restat instans cognoscendum in æternitate anteriori, quod non habuerit aliud ante se; ergò cognoscit Deus omnia instantia æternitatis habuisse aliud instans ante se, quod tamen falsum est, quia ante omnia instantia æternitatis collectivè sumpta non datur aliud instans ante se; ergò cognoscit tantùm,

omnia instantia habuisse aliud ante se distributivè, eodem modo dico ego, sicut Deus nullum non instans cognoscit & tamen non cognoscit omnia collectivè, ita etiam nullam non creaturam possibilem cognoscit, & tamen non collectivè. Ut itaque hoc argumentum & plura alia benè solvere valeas, notandum, in infinito has & similes voces, *omnes*, *totum*, *quidquid possibile*, quæ collectionem significant, non habere locum, nam in infinito, nec est, nec concipi potest, vel debet tota aliqua collectio, cùm sit sine fine, & quocunque cogitato aliud cogitandum advenit, quarè etiam propositiones, quibus præponuntur, cautè ducendæ.

XI. *Arguit Comptonius.* Arguit P. Comptonius. Defactò existunt infinitæ rerum negationes; ergò non implicat infinitum; ant. probatur: defactò non existunt infinitæ creaturæ possibiles; ergò defactò existunt infinitæ creaturarum possibilium negationes, quia, si res non existunt, existunt earum negationes, ut patet discurrenti per singulas formas, earumque negationes. Sed quàmvis in hoc argumento multùm glorietur Comptonius, facilè tamen R. negando ant. cum consequentia prob. quia infinitæ creaturæ possibiles collectivè, est quid fictum & nihilum, & sic negatio earum non est alicujus realis, sed alicujus ficti, & consequentèr ex hac inferri non potest infinita collectio omnium creaturarum possibilium simul.

QUÆSTIO V.

An possit dari infinitum in magnitudine?

Respondeo ad difficultatem hanc consequentèr progrediendo &

I. *Implicat dari infinitum in magnitudine.* Dico 1. *Implicat dari infinitum cathegorematicum in magnitudine.* Hæc est Authorum suprà Scoti, D. Bonav. &c. Sequiturque ex superiori, si enim implicat infinita magnitudo; ergò etiam infinita magnitudo, nam hæc involvit infinitas partes, quæ faciunt infinitam multitudinem


Probatur Conclusio rationibus communibus, nec enim extraordinarias res communis exigit, utpotè quæ à nullo intacta adhuc relicta fuit, nec in hoc scrupulizandum existimo, cùm vix meliores prioribus inveniantur vel clariores, sit itaque

Prima: Si posset dari infinitum in magnitudine, sequeretur, quòd totum esset æquale cum sua parte, sed hoc est contra prima principia, ergò: minor patet, quia lippis & tonsoribus notum est, ut proinde huic veritati, quàm cuicunque probabili speculationi sit assentiendum, probatur ma. Sit linea infinita extensa, & ab ea Deus auferat mille cubitos, residuum lineæ, vel est infinitum, vel finitum, si finitum; ergò tota linea fecit finita, si infinitum; ergò pars est æqualis toti, quod probatur, quia hoc residuum non est, nisi pars totius lineæ, à qua mille cubiti abstracti sunt: Similitèr sequeretur unum infinitum esse majus altero, quia illa linea utique major fuit, quæ habuit mille cubitos ultra alteram, quibus illa privata est.

Dices: Esse majorem vel minorem, æqualem vel inæqualem, &c. hujusmodi, non posse competere infinito, utpotè cùm sint quantitatis finitæ proprietates. Sed Contrà 1. Omnes proprietates alicui rei specificæ competentes non conveniunt rationi individuali, ut tali, sed ipsimet speciei; ergò non modò competent magnitudini finitæ, sed etiam infinitæ, cùm utraque sit magnitudo. Sed Contrà 2. Eo modo, quo dicunt ipsi, has proprietates non convenire, nisi magnitudini finitæ, ita etiam dicam ego, possibilitatem, producibilitatem & existentiam esse solùm proprietates entis, & magnitudinis finitæ, non verò infinitæ, & sic infinita magnitudo implicabit, quia non poterit habere existentiam, quæ est modus magnitudinis finitæ.


Probatur Conclusio secundò: Infinita magnitudo alicujus corporis deberet esse alicubi, sed hæc nullibi posset esse; ergò nec ipsa esse; patet ma. tum ex D. Augustino suprà Epist. 57. *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt & quia nusquam erunt, nec erunt*; tum, quia locus & tempus æquè corpus quodcunque comitantur: probatur mi. nullum infinitum potest circumscribi, sed quod est in loco circumscribitur; ergò si infinita magnitudo in loco erit, infinita non erit: patet major, quia quod maximum est, & infinitum nullo modo à majori circumscribi, ambiri & excedi potest, alioquin non esset maximum: probatur mi. quia quod habet aliquid extra se, exceditur, infinitum haberet aliquid extra se; ergò circumscriberetur, ambiretur & excederetur.

Probatur tertiò Ex Barone: Nullum corpus est, quod non sit mobile ab aliis, ab eis scilicet patiendo, sed, si daretur corpus infinitæ magnitudinis, à nullo posset aliquid pati; ergò tale non datur: ma. patet, quia illud corpus haberet naturam, haberet utiq; etiam principium motûs & quietis, per motum autèm intelligitur nihil aliud, quàm quòd possit passioni substare, ergò: probatur mi. quia ponamus, quòd in illud corpus deberet agere ignis, si ageret in ipsum, deberet agere in superficiem vel extremitatem, non posset enim statim agere in profundum, sed non posset agere in extremitatem & superficiem, quia illam non haberet, vel si haberet, jam non esset infinitum, sed finitum, ergò.



Probatur quartò: Nullum infinitum debet posse claudi terminis, sed si daretur infinitum, clauderetur terminis; ergò nequit dari infinitum in magnitudine: patet major, quia infini-

Infinitum debet esse maximum, quo majus nec cogitari debet nec potest, probatur: posset Deus creare duas lineas in puncto *A* ad seinvicem copulatas & unitas easque in infinitum protendere, per modum pyramidis, prout adjectum exhibet schema, hoc facto, posset etiam Deus à puncto *B* usque ad punctum *C* trahere lineam; ergò tunc infinitæ lineæ clauderentur terminis; Nec dici potest, Deum non posse sic claudere lineas, quia, sicut illas duas lineas in infinitum pyramidaliter protraxit, non esset ratio, quarè non posset in alteris punctis similiter lineam subtrahere, cùm posset eam alioquin infinitam producere. Sed urgeo ulteriùs hoc argumentum: Si Deus à puncto *A* duas lineas copulatas protraheret in infinitum, sequeretur, quòd Deus posset facere triangulum, subtrahendo lineam à *B* usque *C*, sed hoc est etiam implicatorium, ergò: probatur sequela, posset enim, ut suppono, quia omnes tres lineæ essent infinitæ, & æqualiter extensæ; non posse verò probo, adimat Deus à linea una costali asteriſco signata mille cubitos imaginando quantitatem usque ad *D*, linea asteriſco signata erit infinita, sicut antecedenter fuit, cùm finitum ab infinito ablatum non faciat illud minus, si tunc Deus traheret lineam, quæ est pro basi usque ad *D*, illa utique non faciet triangulum, saltem perfectum, quem tamen deberet facere, quia esset æque infinita, ac altera. Et hoc argumentum videtur mihi quoque convincere, unum infinitum esse majus altero, si enim linea una protrahatur ab *A* usque ad *B*, & altera ab *A* usque ad *D*, certè prior illa erit multò longior, quàm posterior; Nec video, quid ad hoc competenter responderi possit.



VI. **Probatur Conclusio quintò:** Concesso priori casu, eoque supposito, sic: Ducatur infra cuspidem pyramidis aliqua linea, quæ sit intra unum palmum cuspidis, linea illa erit unius palmi, posteà ducatur altera, quæ erit duorum palmorum, tertia trium, &c. sic in infinitum; Omnes lineæ usque ad fundamentalem in infinitum protractæ non excedent se, nisi uno palmo, tunc arguo sic; linea illa fundamentalis à *B* usque ad *C* erit infinita & non erit; Erit quidem, quia supponitur, quòd lineæ costales sint in infinitum per modum pyramidis protractæ, adeoque ipsa quoque erit infinita: Non erit autèm infinita, quod sic probo; linea basis non excedet lineam suam proximam asteriſcis signatam, nisi uno palmo; ergò non erit infinita, quia finitum additum finito non facit infinitum; & si dicas, illam proximam etiam futuram infinitam, nihil efficis, nam iterum urgeo; In isto triangulo non sunt omnes lineæ infinitæ, quia alioquin etiam esset prima; ergò sunt aliquæ finitæ & aliquæ infinitæ; tunc sic, linea quæcunque prima esset infinita, non excederet finitam, nisi palmo; ergò esset finita & non esset, esset, quia palmus non faciet infinitam, non esset, quia est prima ex omnibus infinita. Hanc difficultatem dicit Arriaga esse insolubilem, unde mavult assignare nullam, quàm ullam insufficientem, non sic autèm sentit P. Comptonius, unde pro eo

Dices: In hoc triangulo nullam esse assignabilem lineam finitam, cui proxima sit infinita excedens illam tantùm uno palmo, sed quâcunque finitâ assignatâ remanere plures, ac plures finitas indeterminatè usq; ad infinitum. VII.

Sed Contrà 1. In omnibus illis lineis, vel est aliqua ultima, vel non est, si est ultima, habeo intentum, quia tunc post illam sequitur immediatè linea infinita, cùm supponantur non esse interruptæ; si verò non est ultima; ergò sunt infinitæ lineæ excedentes seinvicem uno palmo; ergò aliquæ ex lineis illis finitis sunt infinitæ, cùm infinities excedant primam, quæ solùm est unius palmi. Contrà 2. Certum est, omnes lineas in dato & posito triangulo non esse interruptas, & aliquas esse finitas & alias infinitas; ergò omnes lineæ infinitæ debent à parte rei collocari penes infinitas, & sic in toto triangulo nullæ erunt lineæ finitæ, vel certè debent collocari penes aliquas lineas finitas, & sic habetur, quod intenditur. Sed contra Conclus.

Arguitur: Dantur infinita spatia extra cœlum empyreum, ut dictum est suprà, sed Deus potest ex illis facere spatia realia; ergò potest facere infinitum in magnitudine, quia tunc nihil esset, nisi unum corpus, quod ipsa omnia repleret, quod infinitum esse deberet, quia ipsa spatia sunt infinita. *Argumentum in contrarium.* R. dist. mi. potest ex illis facere realia simul & semel, nego minorem, distributivè & successivè, concedo minorem, & nego consequentiam. Solutio patebit ex dictis, nec hoc tamen mirum videri debet, quia Deus etiam potest omne possibile tempus producere, non tamen simul.

Instatur: Quòd Deus nequeat tempus producere simul, provenit non ex infinitate, sed quia ipsæ partes temporis nunquam possunt esse simul, sed partes cujuscunque quantitatis possunt esse simul; ergò, licèt Deus non possit producere collectivè totum tempus, poterit tamen omnem & maximam magnitudinem; sed R. dist. mi. partes quantitatis possunt esse simul finitæ & determinatæ, concedo mi. infinitæ, nego mi. Unde, licèt non sit paritas inter tempus & magnitudinem, quòad omnia, est tamen quoad hoc, quòd scilicet sicut tempus nequit esse simul propter successionem, sic partes magnitudinis nequeunt esse simul propter infinitatem.

Urgetur: Possunt aliquæ partes magnitudinis esse simul, & nullæ partes temporis sic simul esse queunt; ergò adhuc magna est disparitas. R. dist. consequens, est disparitas inter tempus

tempus & inter magnitudinem respectu infiniti, nego, respectu finiti, concedo, de priori autèm nunc & defactò controvertitur, non verò de posteriori.

VIII. *In non viventibus non datur terminus magnitudinis.*

Dico 2. *In rebus non viventibus potest dari infinitum syncathegorematicum, seu quod idem est, in non viventibus non datur terminus magnitudinis. Ita Doctor 2. d. 2. q. 9. n. 31.* quem Recentiores communitèr sequuntur contra Thomistas.

Probatur, quia corpora aliqua, quò majora sunt eò majorem habent in se virtutem agendi, ut patet in igne; ergò assignatâ quâcunque magnitudine finitâ ipsius poterit comburere stuppam, si ei applicetur & eam in se convertere, & sese augere, ergò. Confirmatur, quia ignis parvus potest se augere, si ei applicetur debita materia; ergò etiam ignis magnus, quia virtus per magnitudinem non minuitur, sed potiùs perficitur, dummodò non sit aliquod impedimentum, & tale licèt non fuerit, hoc non erit ab intrinseco ex natura ipsiusmet ignis, sed ab extrinseco.

IX. Dices: Omnis forma est determinata ad certam perfectionem; ergò etiam ad certam & determinatam magnitudinem. Confirmabis, quia ex eo, quòd sit determinata ad certam perfectionem, petit quantitates conservativas in certo termino; ergò non poterit excrescere in quamcunque magnitudinem. R. dist. ant. quòad speciem, concedo: quòad extensionem, nego ant. & consequentiam: similitèr distinguo. Confirmat. ant. petit quantitatem conservativam in intensione determinata, concedo, in extensione, nego. Imò posset etiam alio modo ad utrumque responderi, scilicet manere quidem certam magnitudinem tam secundùm intensionem, quàm extensionem, si eædem maneant partes subjecti, non verò, si illæ mutentur.

Dico 3. *In viventibus nequit dari Infinitum syncathegorematicum.* Hæc est communis Scotist. & Thomist. cum Philosopho 4. de generat. Animalium cap. 5. in quo sensu etiam explicandus est, si in contrarium propriori conclusione citaretur.

Probatur: Quia anima est actus corporis organici, cujus membris utitur, tanquam instrumentis ad varias operationes exercendas, ut oculis ad videndum, auribus ad audiendum, &c. ergò non poterit corpus in quacunque magnitudine informare, quia aliàs evaderent improportionata, ut patet de artificialibus instrumentis. Deinde videmus, quòd quando homines veniunt ad perfectam & debitam magnitudinem, non ampliùs crescant cujus alia ratio esse non potest, nisi quia habent terminum magnitudinis. Denique non videtur verisimile, quòd pulex possit esse tam magnus, sicut est turris Nisslensis. Sed

Dices: Si homo esset in termino magnitudinis, adhuc posset per infirmitatem tumefieri, ergò. R. quòd sermo sit in conclusione de termino conaturali, non verò de violento, aut etiam miraculoso.

LIBER

LIBER VI.

DE CONTINUO.

EAcio motum de difficultate in difficultatem, &, ut vulgò canitur, de labyrintho in labyrinthum, nullâ discretione differentem, nisi quòd prior sit infinitus, hic continuus, in eum facilis est descensus, sed revocare gradum, difficultatiq; superiorem fieri, hoc opus, hic labor est, unde meritò ait Comptonus: Rem eò magis miram, cùm de rebus, quæ quotidiè ob oculos versantur, manibusque palpamus ipsis, ut aqua, lapide, palea, pilo sermo sit, sub quo plùs sudant subtilissima Capita, quàm Atlas sub tota mundi machina, Antidotum singulare & per optimum ad humiliandos eos, qui in magnis & sublimibus super se ambulant, putantq; Majestatis Divinæ gloriam perscrutari posse; quemadmodùm enim (vero an fabuloso, non curo) militi illi contingit, qui fortitudine suâ Cœlos Divosq; expugnare posse, si illuc ascendere liceret, existimabat, Numen non fulmina vel fulgura, aliaq; arma ineffugibilia & horrenda, sed exiguam opposuit muscam, quæ mussitando & caput importunè circumvolando, ita hominis suppressit superbiam, ut cùm muscæ immissæ ad resistendum sufficiens non esset, frustra Divis bellum moveri fateretur; ita quoque opus non est, ut magni & glorioſi omniscientifici in potentias Domini non introducantur, sed sufficit, ad retundendam omnem præsumptionem, ut vadant ad domum figuli, aut Tonsoris, minimam glebulam, paleam & pilum cogitent, cogitatu assequantur, quod nullus adhuc præstitit, nec præstabit imposterum, unde ego etiam ea proferam solùm, quæ dici solent, non quæ dici deberent, nullum enim dedecus ignorare, quod nemo novit. Sit igitur

DISPUTATIO

DE CONTINUO.

QUÆSTIO I.

Ex quo continuum componatur?

Per continuum aliud non intelligo, quàm compositum aliquod ex pluribus partibus integralibus inter se, quod Aristoteles hîc cap. 3. t. 26. definit, quòd *sit illud, cujus partes copulantur termino communi*, non curo nunc, quale illud sit, an permanens vel successivum, quia æqualis est difficultas; unde abstrahendo ab uno, vel altero rem decidam, prudens Lector applicare poterit cuilibet, prout voluerit, vel prout necesse habere potuerit. Circa hanc materiam duplex est sententia: Prima, quam defendit

Duplex est sententia.

fendit & tenet Aristoteles & post eum omnes Peripatetici, est, continuum componi ex partibus in infinitum divisibilibus, ita videlicet, ut si granum tritici, Angelus, vel Deus dividere incipiat in quascunque minutissimas partes, semper restabunt aliæ & aliæ in quas iterum dividi potest, & nunquam in tot, quin in plures semper divisibiles, si enim divideretur in aliquas, quæ amplius dividi non possent, jam incideret hæc sententia in alterius difficultates: Quæ sententia tam mira est, quòd si credenda proponeretur, inter difficiliora creditu numerari deberet, utpote cùm vulgus figmentum esse putaret & maximam chymeram, in eam tamen sententiam propellunt difficultates, quæ militant contra sententiam secundam, quæ est Zenonis & omnium Stoicorum, qui proinde docent, continuum componi ex meris indivisibilibus & punctis, in quam sententiam etiam plures Recentiores inclinantur. Attamen pro resolvenda hac difficultate

II. *Partes in continuo aliæ sunt æquales & determinatæ.*

Notandum primò: In continuo duplicis generis esse partes: Nam aliquæ dicuntur æquales & determinatæ & sunt ea, quæ habent æqualem & determinatam magnitudinem, ita, ut si sint extra seinvicem, sint adæquatæ sibi, ut verbi gratiâ, quatuor palmi in ulnia sunt inter se æquales, nec ullus includit aliquid alterius, tales autèm partes in continuo sunt finitæ; quæ adhuc pluribus compellantur nominibus, nam aliquando dicuntur unicertæ, eo quòd singulæ simul sumptæ, cum unacerta commensurari possint: aliquando vocantur aliquotæ, quia aliquoties sumptæ superant, vel æquant aliquod totum, & dicuntur etiam non communicantes, eò quòd una pars determinata non includat aliquid alterius partis determinatæ. Alterius generis partes in continuo sunt indeterminatæ, inæquales & proportionales, & dicuntur tales, eò quòd certâ proportione quâdam sese mutuò excedant, ita, quòd illa pars, quæ sumitur ex continuo, sit semper minor illâ, ex qua desumitur, ut verbi gratiâ, si linea quatuor pedum dividatur in bipedalem, bipedalis in pedalem, & pedalis in semipedalem & hæc in alias medietates, & istæ iterum in plures in infinitum, quælibet pars desumpta habet proportionem excessi, ex qua desumitur, dicuntur ideóque etiam inæquales, quia determinatâ magnitudine carent, sed semper in minores & minores divisibiles sunt; & indeterminatæ, quia semper minores fieri possunt, & ob eandem rationem vocantur etiam communicantes.

aliæ inæquales, indeterminatæ & proportion.

III. *distinguuntur à se veluti inclusum ab includente.*

Notandum secundò: Partes determinatas, & indeterminatas distingui à seinvicem, velut inclusum ab includente, quod tamen non obstat, quòd pars inclusa iterum possit dici determinata respectu alterius similis partis, verbi gratiâ, semipalmus est pars determinata respectu semipalmi, cum quo totum palmum constituit, & Ratio est, quia semipalmus primus non includitur in semipalmo secundo, sicuti includitur in toto palmo.

Notandum tertiò: Quòd, sicut triplex datur quantitas, seu dimensio quantitatis divisibilis, ita etiam datur triplex indivisibilitas opposita triplici quantitatis dimensioni; Prima indivisibilitas est secundùm solam profunditatem, & ad hanc pertinet superficies, quæ divisibilis est, secundùm longitudinem & latitudinem, est tamen indivisibilis secundùm profunditatem. Secunda indivisibilitas est secundùm latitudinem & profunditatem, ad quam spectat linea, quæ divisibilis est secundùm longitudinem, indivisibilis tamen est secundùm latitudinem & profunditatem. Tertia denique indivisibilitas est secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem, estque omnium minima, & ad eam spectat punctum, quod nullo modo, nullâ parte secari & dividi potest, quod Augustinus appellat atomum, Serm. 121. cap. 17. dicit: *Atomus dictus est à tomo, quod est sectio, atomus Græcè, quod secari non potest.* In communi autèm definitur quòd sit illud, *Cujus pars nulla.*

IV. *Triplex indivisibilitas.*

Notandum quartò: Puncta ab aliquibus assignari in duplici differentia: Physica videlicet & Mathematica; puncta Physica sunt reales entitatulæ, jam explicatæ, verè indivisibiles secundùm omnem dimensionem. Puncta Mathematica sunt extremitates corporum cum negatione ulterioris extensionis versùs omnem dimensionem, eo enim ipso, quòd concipiatur aliquod corpus non extensum ulteriùs versùs longitudinem, & præscindatur ab ejus latitudine & profunditate, tunc illius superficies terminatur linea; Et eo ipso, quòd concipiatur idem corpus non extendi ulteriùs versùs longitudinem, latitudinem & profunditatem, tunc idem corpus dicitur terminari puncto, sed negativè tantùm, ipsamet videlicet negatione extensionis, hinc dicuntur puncta negativa, sicut priora positiva. His prænotatis

V. *Puncta sunt duplicia.*

Dico I. *Continuum non componitur ex partibus & solis indivisibilibus.* Hæc est Peripateticorum contra Zenonistas, & eam modo Christiani Philosophi, quasi omnes amplectuntur, sed & Sancti Patres, quàmvis perperam D. Augustinus citetur in contrarium, quia licèt eam, id est, alteram absolutè non rejecerit, hanc tamen absolutè recepit, quod patebit ex textibus mox adducendis. Unde

VI. *Conclusio continua ex indivisibilibus.*

Probatur primò, Ejusdem Sancti Magistri authoritate, nam lib. de Immort. an. cap. 7. ait: *Nulla præcisio perducit ad nihilum; omnis enim pars, quæ remanet, corpus est, & quidquid, hoc est, quantolibet spatio locum occupat, neq; id posset, nisi haberet partes, in quas identidem cæderetur. Potest igitur infinitè cædendo, infinitè minui, & ideò defectum pati, atq; ad nihilum tendere, quàmvis pervenire nunquam queat.*

VII.

quæat? lib. de vera Relig. cap. 43. ait: *Omne corpus habere dimidium, quantulumcunque sit, & si dimidium innumerabiles partes.* Et denique lib. 11. de Trinit. cap. 10. sic habet: *Eadem ratio docet minutissima etiam corpuscula infinitè dividi, cùm tamen ad eas tenuitates vel minutias perventum fuerit, quas visas meminimus, exiliores, minutioresque phantasias jam non possumus intueri, quamvis ratio non desinat persequi ac dividere.* Sanctum Bernardum non adfero hujus confirmandæ veritatis gratiâ, quoniam notum est, eum magis delectatum fuisse in eo, qui ambulat simplicitèr, ambulare confidentèr, quàm qui inanibus delectantur rerum speculationibus. In ejus locum tamen adduco subtilissimum Joannem Duns Scotum tract. de rerum principio q. 3. ubi hanc Conclusionem sic probat: *Dentur tria puncta, ex quibus tu dicis lineam posse componi: ordinentur sic, quòd unum sit in medio duorum; tunc, aut illa puncta extrema ita sunt præsentia puncto medio, aut non; si sic, ipsa sunt in eodem situ cum puncto medio, & per consequens sunt simul, si verò non sunt ad invicem, ita sibi propinqua, sicut medio; ergò apparet, quòd punctum illud medium secundùm aliquid sui sit propinquius alteri puncto, & secundum aliquid propinquius alteri, si enim secundum illud idem, secundùm quod est propinquum uni esset propinquum & alteri, tunc duo extrema puncta essent sibi æqualitèr propinqua, sicut sunt propinqua medio, quia secundùm illud, secundùm quod unum est propinquum medio, secundùm illud idem dices alterum eidem medio esse propinquum, & quæcunque per idem, & secundùm idem sunt propinqua, sicut è contrario, & tunc idem inconveniens, quod prius, quia tunc essent simul, nec facerent extensionem.* Hoc argumentum est fortissimum & brevitèr sic reducitur; secundùm communem & Philosophum; Indivisibile additum indivisibili non facit majus, sed puncta omnia sunt divisibilia; ergò quantumcunque sibi invicem addantur, non faciunt majus: probatur ma. Si unum indivisibile additum alteri faceret majus, vel tangeret illud aliud indivisibile secundùm se totum, vel secundùm partem; non hoc postremum, quia indivisibile nullas habet partes, neque secundùm se totum, quia sic non poterit correspondere ulli parti loci, aut spatii, cui alterum non correspondet, ergò utrumque non occupabit plùs spatii, quàm quodlibet seorsum sumptum, & consequentèr nullam faciet extensionem partium.


VII. Ad hoc argumentum plurimæ, eæque diversæ sunt responsiones, quæ apud Authores passim videri possunt, solemniores sunt duæ, prima dicit, quòd licèt unum indivisibile additum alteri non faciat majus, benè tamen, si plura superaddantur, nam quando primum punctum tangit secundum, tunc quidem seinvicem penetrant & tangunt se tota, si tamen addatur tertium, quartum & quintum, illa ampliùs non tangunt immediatè primum, neque secundum &c. & sic adhuc possunt constituere extensionem quantitativam: Altera est, quòd quidem omnia indivisibilia secundùm se tota tangant, non tamen se penetrare, sed unum esse immediatè post aliud, sicut se habet superficies extimæ in quibus se corpora tangunt, & sic adhuc possunt facere extensionem. Sed neutra est sufficiens; Non prima quidem, nàm omnia indivisibilia sunt ejusdem rationis & naturæ, adeoque si duo prima immediatè secundùm se tota tangunt, tangent etiam secundùm se tota omnia alia, quod patet duplici viâ, nam si duo corpora compenetrativè sint in eodem loco, non faciunt majorem extensionem, si tertium, quartum & quintum, adhuc ibi compenetrativè poneretur cum illis; ergò etiam hìc debet sic evenire. Deinde in Arithmetica, quia *tò 0* non facit per se numerum, quotquot ei adduntur similia *0000* non facient tamen aliquem numerum etiam minutissimum, sic discurrendum est de punctis, & indivisibilibus in proposito. Si autèm dicatur, quòd non tangant seinvicem secundùm tota, tollitur hypothesis quòd sint indivisibilia, nam talia non sunt, quæ partes & partes habent. Ad secundam evasionem respondeo, implicare, unum indivisibile esse alteri immediatum, & extra illud positum, nam si *A. B. C.* sint tria sibi immediata, tunc quæro, utrùm *B*, quod est medium, tangeretur æqualitèr ab utroque extremo, vel secundùm aliam & aliam partem; hoc dici nequit, quia est contra rationem indivisibilis; si autèm dicatur primum; ergò omnia illa tria puncta sunt compenetrata, & ita se habent extimæ superficies in quibus corpora se tangunt, quando ex parte unius corporis illis duabus superficiebus una tantùm superficies correspondet, ut patet in exemplo superficiei continuativæ baculi in aqua, correspondentis superficiebus aquæ & aëris.

Probatur Conclusio secundò: VIII.

Si continuum componeretur ex meris indivisibilibus, sequeretur, quòd testudo æque celeritèr moveretur, ac aquila citissimè volans, vel sagitta à scytha evibrata summâ vi & maximo connatu, sed hoc ad oculum falsum est, ergò: probatur tamen sequela; sit spatium, quòd tam aquila, vel sagitta, quàm testudo pertransire debet, centum punctorum; hoc concesso & supposito sic argumentor: Aquila in uno instanti temporis non acquirit, nisi unicum punctum spatii, alioquin esset in uno eodemque instanti in duobus locis adæquatis simul; sed testudo in eodem instanti acquirit etiam punctum spatii, aliquid enim acquirit, non minùs autèm, quàm punctum, cùm ipso minùs dari non possit; ergò acquirit in uno instanti temporis unum punctum; ergò in centum instantibus temporis centum puncta spatii, sed etiam aquila acquirit in uno puncto temporis unum punctum spatii, & consequentèr in centum temporis instantibus, centum

puncta spatii ; ergò non magis celeritèr movetur, quàm testudo.


IX. Dices: Testitudinem ideò tardiùs moveri, quàm aquilam, quia ipsa in suo cursu, & motu per morulas plures quiescit, unde motus eò tardior est ; quò minores & pauciores sunt morulæ motus proinde est velocior. Sed ad hanc communem evasionem replico in Contrà primò : Illæ morulæ, cùm sint tam notabiles, deberent sensu percipi, si verò non percipiuntur, quomodò possunt ab Adversariis allegari? Contrà secundò: Si darentur tales morulæ, sequeretur quòd quando una eademque rota moveretur motu etiam velocissimo, quòd partes centro viciniores quiescerent, quando moventur remotiores, cùm hæ multò velocius moveantur, quàm illæ ; ut patet ex spatio, quod conficiunt & experiri possiet in funda, sed hoc nulla ratione dici potest, ergo ; probatur minor, quia alioquin partes removerentur à seinvicem, & sic rota continuo frangeretur per motum, & motu cessante iterum coadunarentur simul ad seinvicem, quod nugatorium est, attamen sequi probo: Ponatur ergò circulus minor intra circulum



majorem, ut adjacens exhibet figura, quo posito notentur in circulo majori tria puncta, verbi gratiâ, A. B. C. sibi immediata, & in minori unum tantùm videlicet D, quod correspondeat puncto B per lineam rectam, jam sic arguo ; punctum B longè celeriùs movetur, quàm punctum D, si ergò punctum D, quiescit, quando celerrimè movetur punctum B, ergò relinquit lineam, quæ correspondet puncto B, & incipit correspondere alteri puncto, nempe A, & sic consequentèr aliis & aliis, & sic non modò frangi & discontinuari semper necesse est, sed etiam ad finem motûs erit maximè distans à puncto B, quod tamen contra manifestam est experientiam, quà constat, quòd, si duceretur aliqua linea per punctum D usque ad B, quòd in fine erit tam æqualis, quàm fuit ante motum, & sic consequentèr non stiterunt puncta ejus, neque ullo modo quieverunt. Contrà tertiò : Motus cujuscunque stellæ est centies, vel millies velocior, quàm sit motus cujuscunque globi tormentarii summâ vi ejaculati, si ergò motus tardus, & velox differunt præcisè penes morulas, sequitur, quòd, quando globus fortissimè volans, & stella velocissimè currens simul, dum hæc conficit in puncto centum millia spatiorum, globus per centum millia instantia debeat quiescere, cùm hic in puncto non acquirat, nisi unicum punctum spatii, similiter potest hæc retorsio contra Adversarios urgeri de Sole & globo tormentario, nam hic quantàcunque velocitate excussus ex tormento volaret, intra unam horam non conficeret ultra ducenta milliaria, si tamen ea attingeret, cùm tamen Sol conficiat intra horam quinquies centena millia milliarium & quatuor millia, si ergò differentia motûs tardioris, & velocioris provenit à morulis, sequitur, quòd globus quinque millibus horarum intereà quieverit, quando Sol motus fuit ad tantum spatium præ globo conficiendum, quod est contraire manifestis. XII.

Probatur Conclusio tertiò, Rationibus Mathematicis, quas Auctores passim adferunt, & ego potiori ex parte verbotenùs ex Scoto 2. d. 2. q. 3. & 9. n. 9. & tract. de rerum princip. q. 21. adferam. Sit ergò X.

Prima: Si Continuum componeretur ex meris indivisibilibus, sequeretur, quòd daretur aliquod minùs indivisibili, quod repugnat, secundùm omnes: probatur sequela:




protendatur linea sex punctorum ab una litera A ad aliam literam A directè, & super istam lineam constituatur triangulus æquilaterus & ista duo latera æqualitèr finiantur, seu concurrant in G, juxta quod demonstrat apposita figura, deinde ab uno latere trianguli producatur alia linea super lineam A, & ista linea sit à puncto B in uno latere trianguli ad aliud punctum B alterius lateris, & ista linea distet à linea A duobus punctis, posteà similiter protrahatur linea à puncto C ad C in alio latere, iterum ex D ad D, & ex E ad E, quæ omnes non nisi duobus punctis à seinvicem distent: Quo facto probo intentum sic : Puncta B minùs distant ab invicem, quàm puncta A (ea scilicet, quibus litera præfigitur, & puncta B quæ litera B notata sunt, & sic de cæteris) sed puncta A distant per quatuor puncta, nam tota linea est sex punctorum, ex suppositio; ergò, puncta B ad minùs distabunt tribus punctis : ma. patet ad oculum in triangulo facto : minor est etiam clara ex data suppositione, & probatur consequentia ; Quia cùm puncta B minùs distent, quàm A, & non possint minùs distare, quàm per punctum, aliàs daretur minùs indivisibili, quod intenditur, consequens est, quòd minùs distent per tria puncta, item puncta C minùs distant à seinvicem, quàm puncta B; ergò ad minus distabunt à se per duo puncta; Deinde puncta D minùs distant à sein-

XIII.

à se invicem, quàm puncta C, ergò ad minùs uno puncto & uno indivisibili, tandem puncta E minùs distant quàm puncta D, sed puncta D. distant à se invicem per unicum tantùm indivisibile, ergò puncta E minùs distant, quàm per aliquod indivisibile, ergò datur aliquod minus indivisibili, quod est contra rationem indivisibilis.


XII. Ex hac ipsa figura Arguo secundò pro Conclusione; Si continuum componeretur ex meris indivisibilibus, sequeretur, quòd linea B esset longior quàm sit linea A, sed hoc est manifestè contrarium ad oculum, ut patet figuram intuenti, attamen sequi probatur & ponatur, quòd linea A in longitudine non sit longior, quàm quatuor punctorum, & lineæ costales sint longæ punctorum sex, tunc ducatur à puncto E ad aliud punctum E, quæ linea cùm sit brevissima, ad minùs debet habere duo puncta, ex uno enim puncto solo nequit linea constitui; similiter à puncto D ad D ducatur alia linea, quæ cùm sit longior, priorem debebit saltèm per unum excedere; Linea C quæ quoquè longior est, quàm D, debebit lineam D iterum excedere in uno puncto, & sic quemadmodum prior habuit tria puncta, hæc debebit habere quatuor, linea deinde B, quæ longior est quàm sit C, eandem debebit excedere ad minùs in puncto uno, & sic habebit puncta quinque, ergò linea B est longior, quàm sit linea A, quæ linea A, ex supposito, non habet, nisi quatuor puncta, linea verò B habet quinque, ergò est longior, quòd tamen falsum esse, patet ad oculum.

XIII. Secunda Ratio Mathematica hæc est: Si continuum componeretur ex solis indivisibilibus, sequeretur, quòd duæ lineæ concurrerent & non concurrerent, seu quòd inter ea-




rum extremas partes in summitate esset medium, & non esset medium, quod implicat, probatur tamen: & ponatur aliqua linea, quæ sit trium punctorum, verbi gratiâ, A B C, supra hanc construatur triangulus æquilaterus, non habens etiam, nisi tria puncta in quolibet latere, id est A, F, D. & D, E, C, quo concesso & posito, quæro, vel concurrunt E & F, vel non, vel inter illa est medium, vel non? si non, ergò concurrunt, & consequentèr triangulus non habet latera æqualia basi, & sic non est æquilaterus contra suppositum, & ad oculum falsum; quòd non sit, patet, quia basis continet tria puncta, & juxta responsionem quodlibet latus tantùm duo puncta, linea autem trium punctorum, & duorum punctorum non sunt æquales: Si autèm inter illa mediat medium, illud vel est divisibile, vel indivisibile, non divisibile, quia sic inter punctum F & E mediarent ad minùs duo puncta, & sic linea ducta ab uno ad aliud, esset longior, quàm ducta ab A. ad C, quia illa contineret quatuor puncta, hæc tantùm tria, quòd tamen sit reipsâ brevior, sensus testatur, nec est minùs indivisibili illud medians, quia tale non datur, ergò debet esse indivisibile: tunc sic inter puncta F & C mediat aliud indivisibile, ergò est inter ipsa tanta distantia, quanta est inter A & C, ergò per definitionem æquè distantium, lineæ illæ nunquam concurrent in infinitum protractæ, nisi alterutra incurvetur, sed nunc & defactò supponuntur concurrere in D, ergò duæ lineæ concurrerent & non concurrerent, quod implicat:

Tertia Ratio ex Matheſi petita est ista: XIV. sequeretur, quòd diameter quadrati, id est, linea ab uno angulo acuto ad oppositum, id est, à B ad C esset æqualis costalibus, id est, A, B &



C, D, quod est falsum, prout demonstrat Euclides & ostendit appositâ figurâ: probatur sequi, & supponatur quodlibet latus esse duodecim punctorum, id est, lineam à B ad A protractam non habere, nisi puncta duodecim, & lineam C ad D totidē tantùm; quo facto trahatur à quolibet puncto unius lateris linea recta, ad puncta alterius lateris, & sic lineæ omnes protractæ occupabunt totum spatium quadrati, ut patet, ergò nullum est punctum in linea diametrali per quod non transit aliqua linea ex istis duodecim, aliàs esset aliquid in superficie, vel spatio quadrati, per quod non transiret linea, quod repugnat casui, & ego ulteriùs infero, ergò in diametro non sunt, nisi duodecim puncta, quod est planè falsum, ut patet examinanti, & demonstrat semi circulus ex puncto B tanquam à centro ab A ad D ductus.


Quarta deniquè hæc est (omissis pluribus aliis) si continuum componeretur ex meris indivisibilibus, sequeretur, quòd circulus XV.



major continens non esset confectus ex pluribus punctis, quàm circulus contentus, eoquè ipso minor, quòd similitèr falsum esse oculus dicit, probatur tamen sequela, quiâ si à centro

tro utriusquè circuli, ut exhibet schema, trahantur lineæ rectæ ad circumferentiam circuli majoris, tangent singula puncta circuli minoris, & singula etiam in circulo majori, ergò circulus minor erit tam magnus, quàm circulus major, quia habebit totidem puncta; probatur hæc ultima consequentia, quando trahuntur lineæ à puncto, & centro ad singula puncta circumferentiæ circuli exterioris & majoris, nullæ duæ lineæ coire possunt in circulo minori vel debent; alioquin non essent lineæ rectæ, sed in circulo exteriori non sunt, nisi viginti puncta (quod supponatur) ergò nec in circulo minori erunt pauciora, & consequenter circulus minor erit æqualis cum circulo majori, quod apertè oculus negat. Et quàmvis hoc argumentum videatur etiam sententiam Aristotelicam premere, quod negare equidem non potest, quin notabilem patiatur difficultatem, attamen faciliùs solvitur in nostra sententia quàm in illorum, quia dicere quis potest, quòd in circulo minori sint tot partes, quot in majori, non æquales, sed proportionales & sumptæ secundùm triplum & duplum; quòd si tamen aliquis quæreret, utrùm, si à puncto & centro usquè ad differentiam in quolibet puncto traherentur aliquæ lineæ, illæ convenirent, vel non? Respondendum est, quòd homo tales lineas trahere non posset, utrum autèm Deus, non curandum est, nam si homo argumentum non convincit propositum, per hoc statim liberant se Zenonistæ ab omni vexa, premunt ergò eos alia eò fortiùs. Quibus

XVI. Addo hoc unicum: Si continuum componeretur ex solis indivisibilibus, sequeretur, quòd nunquam posset trahi linea ad medium lineæ habentis æqualia puncta, seu illa,



quæ essent in numero pari, quod tamen falsum esse, exhibet adjecta figura, & probatur sequela, quia linea ducta ab *A*, quæ est summitas trianguli, vel tangit tertium punctum basis trianguli, vel non, sed tangit quartum, quidquid dicatur, est contra ipsos, nam si dicatur, quòd tangat punctum tertium, non erit medium, nec hoc erit, si dicatur tangi punctum quartum, quia illud, quod est medium, debet æqualitèr distare ab utroquè extremo, qualiter tamen in proposito non distaret, quia in uno esset plus, quàm in alio. Confirmatur hæc ratio: Quia, secundùm Euclidem, omnis linea dividi potest in partes æquales, quod tamen fieri non posset, si linea esset composita ex punctis inæqualibus, seu in numero impari, verbi gratiâ, si linea esset composita ex punctis novem, jam cùm punctum sit indivisibile, illius lineæ una pars deberet habere puncta quinque, altera quatuor, & sic linea æqualitèr non esset divisa, vel si æqualitèr divideretur, punctum dividi deberet. Nec valet dicere, lineam posse dividi mentalitèr, quia continuum habet sua componentia, & consequentèr etiam dividentia ante omnem mentis operationem & designationem; Et mentalis divisio nulla est realis, sed mera fictitia, quæ facere rem nequit æqualem nisi in se sit talis. Qui plura voluerit adhibere argumenta, pro confirmanda hac veritate, consulat Authores passim, ego progredior ad explicanda argumenta, quæ in contrà objicit Zeno cum suis; dico *explicanda* & non solvenda, nam nec Aristoteles summus ingenio ea solvere potuit, ut ipse fatetur. Itaq; in contrà

Arguitur 1. Datur aliquod continuum, quod non componitur ex partibus divisibilibus, ergò nullum sic componitur, & consequentèr omne componitur ex indivisibilibus, quia eadem est ratio de uno, ac de altero, & quæ intra idem genus, vel speciem uni possunt competere, possunt competere omni, si enim unus homo est rationalis, omnis est: probatur ant: quia continuum successivum nequit sic componi, ergò; probatur ant: Continuum successivum est formalitèr & ex natura sua tale, ut nulla ejus pars sit simul cum altera parte, sed post quodlibet instans est aliud instans, quæ non sunt, nisi indivisibilia. Sed R. negando ant: cum sua probatione, ad cujus probationem nego consequentiam: Ratio est, quia continuum successivum propriè & Physicè non componitur, sed solummodò metaphoricè & moralitèr, quodammodò, nam nos concipimus illud per modum alicujus compositi, cùm tamen nihil stabilis simul habeat, sed totum sit fluidum ita, ut de nulla particula verè possit dici *jam* vel *nunc est*, seu nullum instans indivisibile, ut ipse Sanctus Mellifluus Præceptor præclarè notat serm. 31. in Cant. ubi ait: *Quidquid veniens ex eo, quod fuit, non cessat tendere in id, quod erit, transitum sanè habet per est, sed omnino non est; quarè tempus seu continuum successivum*, non potest dici alio modo præsens, quàm, quòd illa pars, quæ anteà erat futura, postea sit præterita. Nec refert, quòd Divus Augustinus lib. 11. Confess. cap. 15. dicat in tempore nihil esse præsens, nisi nunc, quia ille locutus est ibi in sensu morali, non verò Philosophico; Unde lib. 13. Conf. cap. 11. ait: *Ita in transitu temporum quæritur præsens, nec invenitur, quia sine ullo spatio est, per quod transitur ex futuro in præteritum.*

Instatur: Quando hora prima, verbi gratiâ, habet finem, habet initium suum hora secunda, ergò habet instans, in quo verè præsens est, & consequentèr non est præsens; quando hora secunda futura, cum dicatur jam præteritum, probatur consequentia prior, quia nequit esse pars tunc præsens, cùm talis habeat prius & posterius, ergò erit tantùm instans. Sed R. dist. consequens, ergò habet instans, in quo verè positivè est præsens, quod instans sit etiam reale, nego ant. habet instans negativum, concedo. Quia, ut suprà dixi, puncta alia sunt realia & positiva, alia negativa, & Mathematica, hæc autèm non habent aliquam entitatem realem, sed dicunt solam negationem

nem ulterioris extensionis, sic prima hora præterita, dum desinit, non desinit per punctum & instans reale, sed per negationem ulterioris extensionis, & per tale punctum hora secunda subsequens etiam incipit, & sic nunquam verum est de aliquo instanti dicere, quòd *nunc* & *jam* sit præsens.

Urgetur: Ex omnibus partibus horæ secundæ nulla existit cum altera, ergò singulæ existunt seorsim: hoc habito accipiatur una, quæ existat sola, & seorsim ab aliis, quo facto sic argumentor: Ista pars, quæ existit sic sola, vel est iterum divisibilis, in alias partes, vel non? si est, ergò non est sola, quia habet prius & posterius, quæ nunquam simul esse possunt: si non est, ergò dantur in continuo successivo indivisibilia. Ad hanc rationem Respondeo dist. ant. Ex omnibus partibus horæ nulla existit cum altera, quam in se non continet, concedo ant. nulla existit cum altera, quam in se continet, nego ant. Itaquè primus quadrans horæ non existit cum secundo, quia primus secundum non continet, & sic hora, quia in se continet formaliter quatuor quadrantes, in ipsis existit, existentiâ nempe successivâ & fluidâ, non verò fixâ & permanente, ita quòd verè posset dici hoc instanti, vel *nunc*, aut *jam* existit hora media, quadrans &c. Et sic distinguo etiam consequens: ergò singulæ existunt seorsim divisibiliter concedo, indivisibiliter nego; Ratio est, quia quælibet constituitur ex aliis, morali nempè constitutione, quæ seorsim sumptæ sunt hâc minores usquè in infinitum, quarè quâcunquè parte assignatâ semper alia, & alia erit assignabilis, quæ habebit prius & posterius, quomodò autèm omnes & singulas istas partes Deus cognoscat, dixi suprà agendo de Infinito, nempe cognoscere in determinato modo, & confuso, non verò claro & distincto. Illuc remitto lectorem. Interim

XVIII. *Secundum.*

Arguitur 2. Si continuum non componeretur ex indivisibilibus, sequeretur quòd testudinem non posset unquam assequi aquila, si ante ipsam per medium milliare incepisset iter & motum suum, sed hoc absurdum est, quàm quòd aquila non conficeret plus spatii in uno instanti, quàm testudo, ergò Aristoteles non minùs continuò vexatur continuo à Zenone, quàm hic ab illo: probatur sequela, si aquila deberet assequi testudinem, deberet infinitum spatium transire, sed nequit facere aquila, quia dum aquila acquirit unam partem, acquirit etiam aliam testudo, & sic deinceps in infinitum, ergò nunquam posset assequi testudinem. Hoc argumentum vocat Zeno Achillem, & loco Aquilæ etiam Achillem ponit, ego verò posui aquilam, quia superiùs etiam eam comparavi cum testudine: Ad illud autèm Respondeo negando sequelam ma. cujus probationis ma. distinguo: deberet infinitum spatium transire, secundùm partes proportionales, transeat, quia hoc non est infinitum propriè, sed tantùm syncathegorematicè: deberet infinitum spatium transire secundùm partes determinatas & æquales, nego ma: cum minori: ad hujus rationem ibi adductam dico, quòd quando testudo aliquam partem spatii conficit, tunc aquila conficit multò majorem, imò decuplo majorem, adeoquè citò ipsam assequetur, & ponatur res in exemplo: sit spatium tam longum, ad quod pertranseundum aquila indigeat horâ, ad hoc, ut pertranseat testudo, debebit habere viginti horas, & si testudo ponatur in medio spatio ad perficiendum alterum, debebit adhuc habere decem, & si moveatur ad alterum medium perficiendum, tunc ut decimam partem conficiat mediam debebit habere horam, aquila verò medium spatium conficiet intra mediam horam, & alterum medium etiam intra mediam horam, & sic quando testudo erit in nona parte alterius medii, aquila jam erit in fine, & sic testudinem non tantùm assequetur, sed etiam perveniet.

Instatur: Aquila nunquam poterit incipere suum motum, ergò nequè assequi, multò minùs prævenire testudinem: probatur, ut incipiat motum, debet eum incipere in aliqua parte, sed in nulla parte potest eum incipere, ergò: probatur minor: quiâ quâcunquè parte assignatâ semper est alia & alia prior, & nunquam assignabitur aliqua, quæ iterum non habeat aliam priorem in infinitum. Sed R. negando ant: cujus prob: ma: dist: debebit incipere in aliqua parte æquali determinata, concedo, indeterminata & proportionali, nego, hæ posteriores autèm sunt tantùm infinitæ suo modo, non priores. Eodem modo Respondetur, si quæratur, quomodò ergò perveniri possit ad finem hujus spatii, quandoquidem in eo sunt infinitæ partes, eas non esse infinitas Cathegorematicè sed Syncathegorematicè: adeoquè ad finem pervenire posse. Imò Aristoteles dicit, quòd ad finem spatii pervenire possit proportionato tempore cum spatio, quarè asserit in tempore esse tot partes, quot in spatio, adeoquè per æquale & proportionatum tempus, æquale & proportionatum spatium pertransiri poterit, sunt enim in utroquè infinitæ partes.

Arguitur 3. Omne compositum ex iis constituitur & componitur, in quæ resolvitur, sed continuum resolvitur in sola indivisibilia, ergò ex illis solis componitur: probatur: quia potest Deus resolvere totum continuum tale quid, quod alteriùs dividi & resolvi non poterit, & sic de cæteris omnibus, quæ in ipso continentur, ergò. Sed Respondeo dist: ma: Omne compositum resolvitur in eo, ex quibus componitur divisim & successivè, hoc est, quòd nulla sit pars assignabilis in eo, quæ non possit adhuc dividi in aliam & aliam concedo ma: conjunctim & simul in omnia, ex quibus componitur nego ma: & mi: Et Ratio est: quia cùm continuum constet ex partibus finitis in infinitum, simul & semel in eas non poterit secerni. XIX. *Tertium.*

Instatur: Si non esset resolubile in omnes partes simul, ex quibus constat, sequeretur potentiam ad resolvendum, seu dividendum frustaneam esse, sed hoc nequit dici, ergò. R. negando ma: Quia ex ratione infiniti & infinitarum partium provenit, quòd non sint simul & semel omnes distinctæ & divisæ.

Urgetur: Deus videt continuum, ut est in se, ergò videt, quòd habeat infinitas partes, & quam-

& quamlibet esse realitèr distinctam ab altera, ergò potest quamlibet separare per voluntatem ab altera, vel saltem per intellectum dividere. R. dist. secundum consequens, potest voluntate separare, vel intellectu dividere simul & semel nego, successivè concedo. Sed

XX. *Quartum.* **Arguitur 4.** Implicat Infinitum in actu, ergò implicat, continuum non componi ex solis indivisibilibus: probatur consequentia, si non componeretur ex indivisibilibus, deberet componi ex partibus, sed nequit ex partibus componi, ergò: probatur mi: Partes in continuo deberent esse infinitæ, sed partes in continuo sunt actu, ergò actu sunt infinitæ, & consequentèr nequit componi ex partibus, alioquin actu daretur infinitum. Sed R. negando consequentiam, cum minori prob: ad cujus probationem R. dist. ma. Partes in continuo deberent esse infinitæ syncathegorematicè concedo, cathegorematicè nego. Itaq; nihil horum sequitur, quæ intendit arguens, nam in continuo sunt partes hoc modo infinitæ: quòd sint tot, ut nunquam assignare possis unam, ultra quam non daretur alia, in quam illa esset divisibilis, quarè non sequitur, quòd sint actu infinitæ, quia cùm hoc per numerum fiat, & nullus numerus sit infinitus, ideoquè nec continuum.

Instatur: In continuo sunt partes non modò eæ, in quas fit divisio, sed etiam eæ, in quas non fit divisio, ergò non sunt infinitæ tantùm syncathegorematicè, sed etiam cathegorematicè. Sed hæc instantia non multùm urget, oppono etenim ei tantùm numeros possibiles, in quibus non sunt tantùm ii, qui assignari possunt, sed etiam illi, qui nunquam poterunt assignari, & tamen nec illi, qui assignantur, nec isti, qui non assignantur, sunt simplicitèr infiniti, aliàs numerus finitus esset infinitus; à pari hîc discurre. Pro fine & meliori intelligentia paulò antè dictorum,

XXI. *Componitur ex partibus.* **Dico 2.** *Continuum componitur ex partibus finitis in infinitum divisibilibus.* Hæc sequitur à priori, &

Probatur continuum non componitur ex meris indivisibilibus, ergò ex partibus divisibilibus; de quibus quæro, an sint ita divisibiles, ut tandem deveniri possit ad aliquam, quæ ultrà dividi posset, vel non? si primum, sequitur quòd continuum componatur ex indivisibilibus, tanquam partibus, cùm ultimatè resolvatur in indivisibile, quod est contra priorem conclusionem: Si secundum, ergò nulla est pars, quæ ulteriùs dividi non possit, ergò constat ex partibus in infinitum divisibilibus.

QUÆSTIO II.

An præter partes divisibiles sint etiam indivisibilia?

I. *Nonnulli mediâ voluntincedere viâ.* **Non nulli** Peripatetici, nè nimiùm à Zenonistis premerentur, eorumquè difficultatibus obruerentur, mediâ incedendum viâ duxerunt, quarè, licèt cum Aristotele sentiant, in toto continuo non esse indivisibilia per modum partium componentium & constituentium, putant tamen in eo esse indivisibilia per modum copulantium partes divisibiles; sermo autèm est de indivisibilibus positivis, non verò negativis, seu quæ nihil aliud sunt, quàm negationes ulterioris extensionis, has enim dari in continuo, extra controversiam est. Pro sententia affirmativa est Divus Thomas, Alensis, Cajetanus, Fonseca Sotus, Connimb, Rubius, Suarez, Oviedo Compt: &c. Pro hac sententia citatur Scotus 2. d. 2. q. 9. quod quàmvis negare non possim; in alteram æque tamen inclinatur, nam, ut præclarè Baro demonstrat tract. de rerum princip. q. 21. expressè ait: Duplici viâ ostendi posse (continuum non componi ex indivisibilibus) primò ostendendo, quòd nullum indivisibile utpotè instans, vel punctum aliquid reale addat ad id, cujus est terminus, ubi, postquàm hoc undecim argumentis probâsset, videtur tenere, indivisibilia illa nihil aliud esse, quàm negationes, ulterioris nempe extensionis. Itaq; altera Sententia Superiori oppositа asserit, nulla omnino admittì, necessarium esse indivisibilia sive sint illa continuantia, sive terminatia, in quam etiam quàm propensissimè feror; Unde prænotando, quòd agam potissimum de indivisibilibus punctis, non de superficie &c. & admonendo, quòd si quandoquè in prioribus aliquid contrarium insinuavi, probando, vel respondendo, me locutum fuisse de communi opinione, non de propria mente, ideò nunc

Dico 1. *In continuo non dantur indivisibilia terminativa.* Ita Scotus & Aristoteles Occhamus tract. de Eucharistia cap. 1. & 2. Grego, Nominales & plures Recentiores.

Probatur primò: Si darentur in continuo indivisibilia terminativa (id est, quæ haberent rationem extremitatum, & terminorum) illa deberent esse vel immersa partibus, vel non; unum dici debet, & neutrum potest, ergò; probatur mi: Non potest dici, quòd sint immersa, ergò, probatur ant: si puncta & indivisibilia essent immersa partibus, sequeretur, quòd quando fit contactus aliquorum corporum, fieret in divisibili, adeoquè compenetratio &c. quod quam maximè fugere debent Adversarii: Nec etiam potest dici, quòd non sint immersa, quia ex hinc sequeretur, quòd indivisibile faceret majus, quia linea, quæ haberet hujusmodi terminans, & sic posset dici, totum continuum componi ex solis indivisibilibus.

Probatur secundò: Si in continuo darentur indivisibilia terminativa, sequeretur, quòd, quando aliquod lignum dividitur in duas partes, in qualibet parte debeant resultare duo nova indivisibilia, sed hoc dici nequit, ergò: probatur mi: quia illa duo indivisibilia vel antè præfuissent, vel non? si præfuissent ergò duo indivisibilia fuissent sibi immediata, & tunc sequeretur, quòd ex illis esset compositum, quia dici nequit quòd illa fuissent sibi immediata per modum continuantium, quia ad continuationem, nec secundùm ipsos Adversarios ponuntur duo indivisibilia, sed unum, ergò

ergò fuissent per modum componentium: & sic verum esset dicere, continuum componi ex solis indivisibilibus, quia sicut ista duo indivisibilia sibi fuerunt immediata, ita poterunt esse etiam omnia alia: Si verò dicatur, quòd unum solum præfuerit & alterum fuerit de novo productum, tunc, quæro, quisnam illud produxerit, an dividens, an verò instrumentum, quorum neutrum dici potest, ergò. Confirmatur, quia hinc sequeretur, quòd corpus divisum majus esset, quàm continuum, quòd plus ponderaret, quia haberet plures entitatulas, quàm habuit conjunctum &c.

IV. Dico 1. In toto Continuo nulla sunt indivisibilia per modum continuantium, seu, non sunt puncta continuativa partium. Hæc est conformior menti Aristotelis.

Probatur Conclusio primò: Si esset aliqua ratio ad ponenda aliqua indivisibilia continuantia, maximè, ut partes inter se verè copulentur & uniantur, sed ob hoc non debent poni in continuo aliqua indivisibilia continuantia ergò: ma: est Adversari: probatur mi: quia positis indivisibilibus in continuo, partes adhuc non uniuntur inter se, sed aliæ adhuc debent adhiberi uniones & vincula: ergò: probatur ant: Quia possunt existere partes continui, & illa indivisibilia absquè eo, quòd uniantur, ergò per indivisibilia partes uniri non possunt. Confirmatur primò: Quia illa indivisibilia deberent seipsis uniri partibus, quod tamen fieri nequit, quia quando dividitur aliquod continuum indivisibile, continuativum manet, & est tunc terminativum. Confirmatur secundò: Inter illa, quæ sunt magis unita, quàm partes continui, non requiruntur aliqua indivisibilia continuantia, ergò nec in ipso continuo, patet ant: de unione partium Physicarum in toto composito substantiali. Confirmatur tertiò: Quia anima equi, idem est de quacunquè alia, est continua, utpotè cùm sit divisibilis, sed anima equi non habet indivisibilia continuantia, ut ipsi Adversarii concedunt. Deniquè non videtur conceptibile, quomodò quodlibet agens quomodocunquè agat, dividendo semper tangat indivisibilia continuantia & nunquam tangat partes ipsas continuatas; ergò.

V. Probatur secundò, Etiam ad hominem arguendo: Nulla est necessitas, admittendi aliqua indivisibilia in continuo, ergò: probatur ant: quia si esset aliqua, potissimùm, quia si corpus sphæricum poneretur supra perfectè planum, illud non tangeret planum, nisi in indivisibili, alioquin non esset perfectè sphæricum, hæc non urget, imò probat nimium, ut ostendo: Si corpus perfectè sphæricum super plenum positum, illudquè tangens, argueret ibi esse aliquod indivisibile, argueret etiam in toto composito continuo non esse, nisi indivisibilia, sed hoc est contra ipsos Adversr: ergò; probatur sequelà: Quia corpus perfectè sphæricum potest trahi per totum corpus planum, ita, ut nihil sit quod in plano tactum non esset, sed semel non tangit, nisi punctum & indivisibile, ergò in toto continuo nihil est, præter indivisibilia; Dixi notanter *trahi posse*, quia sic meliùs explicatur, quòd corpus perfectè sphæricum non tangeret planũ semper, nisi in indivisibili, si enim dixissem corpus moveri, possent faciliùs Adversarii respondere, per motum non tangi indivisibile, sed partem; Imò si *ly trahi* adhuc negotium facesseret, dico, potest corpus sphæricum ita poni, & toties in plano, ut nihil ejus non sit tactum, sed unâ vice tantùm tangit punctum, ergò postquàm totum tactum est, nihil tactum est præter puncta, ergò in toto continuo plano tantùm sunt puncta indivisibilia.

Probatur tertiò: Si in continuo darentur indivisibilia, deberet pars penetrare punctum, sed hoc nequit fieri, ergò; probatur sequela, quia pars tangit illud punctum adæquatè, ergò penetrat illud, sicut se duo puncta penetrant, quando se tangunt adæquatè, ut Aristotelici asserunt suprà: probatur etiam minor, quia punctum deberet esse in duobus locis in eodem instanti, quia in eodem instanti correspondet toti parti, quæ occupat locum puncto improportionatum. Imò clariùs; quia punctum deberet esse in duabus partibus illis, scilicet quas continuat, ergò erit in duobis locis, patet ant: quia non potest continuare eas partes, in quibus non est. VI.

Probatur quartò, Argumento, ut puto, fortissimo: Si in continuo darentur puncta, & indivisibilia, quæro, utrùm inter punctum *A* primum, & postremum *B*, vel inter duo quæcunquè puncta mediet pars divisibilis vel indivisibilis, unum dici debet, neutrum congruè potest, ergò: probatur nullum dici posse, non quidem, quòd mediet aliqua pars divisibilis: nam si hæc pars est continua, quæ si posset esse sine punctis, poterit etiam quæcunque alia, ergò gratis admittuntur & ponuntur ulla omnino indivisibilia: si dicatur autèm, quòd mediet aliquod indivisibile, sequitur, quòd per totum continuum erunt mera indivisibilia, si enim post punctum sequitur punctum, nihil aliud est sapere, quàm docuit Zeno, itaquè si quid dicitur, dici debet, partem sequi, certum autèm est, illam partem dicere duas partes immediatè post se, quia est divisibilis in eas, ergò sequuntur post punctum duo divisibilia post se unita inter se, sine puncto, quâ ratione autèm istæ duæ partes sequi possunt, poterunt omnes, ab omnimoda paritate. Confirmatur Ratio; Ponatur casus, quòd ex continuo auferantur omnia puncta, quo facto, quæro, an relictæ sint aliquæ partes, aut nullæ, si nullæ, jam continuum non habet partes, sed mera puncta; si aliquæ, ergò dantur partes sine punctis. VII.

Dices: Implicare, quòd auferantur omnia puncta ex continuo, adeoquè ex illo casu nihil infertur pro opposito. Contrà primò: Illa puncta sunt absoluta & positiva, non minùs, quàm partes à partibus realiter distinctæ, ergò possunt omnia auferri, quia VIII.

secundum regulam Scoti; Omne absolutum realiter ab eo distinctum conservari potest sine illo altero, ergò. Sed detur casus, quòd non possint separari; Contrà tamen secundò: Possunt omnia puncta separari à continuo ad minùs per intellectum, si ergò intelligantur omnia puncta separata, quæro, quid intelligitur remanere, si intelliguntur partes, ergò intelliguntur in continuo esse partes sine punctis, si verò partes non remanent, manebit nihilum, adeoquè totum erit compositum ex indivisibilibus, quia hæc sola sunt ablata, & aliud nihil remanet.

IX. *Opponitur & solvitur Arist.*

Opponitur Authoritas Aristotelis hîc cap. 3. t. 26. ubi dicit, continuum esse id, cujus partes terminantur & copulantur termino communi, sed iste terminus communis non est aliquid divisibile, ergò erit aliquid indivisibile, probatur mi: quia aliàs non secundùm idem, sed secundùm aliam, & alteram portionem utriquè communis esset. R. dist. ma. continuum est, cujus partes copulantur termino communi absoluto, nego ma: respectivo concedo: ma. & disting. etiam minorem, iste terminus non est divisibilis formaliter, considerando in ratione relationis concedo, fundamentalitèr, ratione partium, quas copulat nego mi: & consequentiam. Itaq; sicut unio sufficit ad uniendas partes substantiales inter se, quæ magis sunt unitæ, quàm integrales, ita etiam sufficiet ad uniendas has, & sane indivisibilia illa quomodò unientur, si per alia, mera erunt talia, si seipsis, malè adfertur, quia dicunt respectum uniti: ergò.

Instatur: Ad Unionem Metaphysicam auferendam non est necessarium, adhibere tam diversa & particularia instrumenta, sed ad tollendam unionem continui hæc adhibere necesse est, verbi gratiâ, securim, serram, &c. ergò unio continui non erit aliquod relativum; Patet major, quia per securim materia non dividitur à forma, sic dividitur una pars ligni ab alia, ergò. R. dist: mi: Ad tollendam unionem continui necesse est adhibere instrumenta, quasi unio esset terminus actionis illius instrumentorum, nego mi: ad dividenda latera corporis, cui interponuntur, concedo minorem & nego consequentiam. Et Ratio patet: nam si essent propterea necessaria ad unionem partium tollendam, id est, indivisibilia, non videtur conceptibile, quomodò ad quamcunquè applicationem semper tangerentur indivisibilia, & nunquam partes, si autèm tanguntur quoquè aliquando partes, si illæ dividuntur per instrumenta absquè eo, quòd intercedat talis unio, poterunt & omnes sic dividi.

QUÆSTIO III.

An dentur in Continuo partes actu?

I. **Averroës**, Simplicius, Durandus, Fasolus, & plures alii Peripatetici, ut effugerent difficultates, quæ Aristotelicos premunt, ne etiam cogerentur admittere dari infinitum actu &c. negant in continuo esse partes actu, sed dicunt eas solùm esse ibi potentiâ; ità, quòd non distinguantur à se invicem ante designationem nostram, licèt ipso facto, quo eas designamus, distinguamus; Verùm tamen gratis ad hanc recurrunt absurditatem, unde cum communiori ad præsentem quæstionem

Dico: *Dantur in quolibet continuo plures partes actu, quæ ante omnem designationem per quodcunq; extrinsecum factam distinguuntur realiter.* Ita Doctor Subtilis 2. d. 11. q. 3. D. Thomas, quos præter suos sequuntur Conninb, Suaretz, Hurtadus, Compton. &c. & II. In omni dantur plures

Probatur primò: Antequàm superveniat securis ad lignum, jam est aliqua distinctio realis in ligno, ergò sunt partes actu in ligno: patet consequentia, quia in illo toto sunt actu plura, in quo est realis distinctio, sed in continuo est realis distinctio, ergò sunt actu plures partes: probatur ergò antecedens, quia antequàm superveniat securis, non est identitas per totum lignum, omnesquè ejus partes, ergò est aliqua distinctio; patet consequentia: quia inter omnimodam identitatem & distinctionem non datur medium: probatur igitur ant: Quia si ante applicationem securis esset realis identitas in ligno, nunquam posset lignum dividi in duas partes, quia quæ sibi realitèr identificata sunt, nec divinitus separari possunt, ut patet de rationalitate & risibilitate in homine, de intellectu & anima, de differentia individuali & natura specifica, & infinitis aliis, ergò. III. VII.

Dices: In ligno esse quidem aliquam distinctionem, inter ejus partes in potentia, non tamen in actu, post designationem verò est distinctio realis in actu. Sed Contrà: Esse distinctum actu realitèr, nihil est aliud, quàm existere duas res, quarum una non est alia, sed ante designationem sic existunt duæ partes in continuo, ergò ante designationem sunt distinctæ actu & realiter. IV. VIII. Secundum Arist.

Instabis: Eo ipso, quòd dicas duas res, jam facis duas partes, ergò ante dictionem tuam, vel designationem non sunt duæ res actu. Sed Contrà: Nulla dictio potest facere, quòd una res non sit alia, sed tantùm significat unam rem non esse aliam, significare autèm non est idem, quod facere, ergò antequàm dicatur, unam rem esse aliam, jam est, patet ant: quia per hoc, quòd dicam parietem esse album, non facio ipsum album, nec quòd dicam hominem esse rationalem, talis est, alioquin toties, quoties aliquid dicerem, illud facerem, & sic possem dicere Angelum, & ipsum Deum super omnia benedictum habere partes, & esse compositum, & si hoc dicerem, facerem in ipsis tales partes, quod absurdum est. V.

Probatur Conclusio secundò, Ad hominem: Secundùm te, pars actu ea est, quæ habet actu terminum, seu carentiam ulterioris extensionis, sed designatio tua non potest facere, ut hæc pars habeat actu carentiam ulterioris extensionis, ergò: major est Adversi. probatur minor, quia quæcunquè pars designata eò se extendit post designationem, quò se extendebat ante designa-

designationem, ergò: patet ant: quia quomodocunquè designes manum meam, quæ est pars totius corporis, eò se extendit, postquàm designâsti, quò se extendebat, antequàm designares.

VI. **Probatur tertiò:** Continuum est actu compositum, ergò habet actu partes componentes; probatur consequentia, quia, sicut non datur totum sine partibus, ita nec totum actu sine partibus actu, quia continuum non potest dici actu compositum, eò, quòd habeat in potentia: aliàs etiam possem dicere, quòd totum esset actu divisum, quia est divisum in potentia, id est, divisibile, & per consequens non erit actu continuum, quia divisio tollit continuitatem. Ex hoc Confirmatur ratione: In continuo sunt actu partes post designationem & divisionem, ergo etiam ante: probatur consequentia, quia divisio nihil reale addit partibus sed potiùs aliquid destruit, ergò si sunt partes post divisionem, etiam erunt ante.

VII. **Dices:** Licèt ante divisionem essent illæ partes distinctæ etiam, non tamen habebant rationem partium, sed eam primò acquirunt post divisionem. Sed Contrà: Potiùs dici debet, quòd fuerint actu partes in continuo ante divisionem, quàm post eam, quia tunc aliquid potest habere rationem partis, quando actu totum componit & constituit, quia ab actuali constitutione denominatur aliquid pars alterius, quia si plures amphoræ aquæ conserventur, non dicuntur respectu sui invicem esse partes, quamdiu separatæ manent, benè tamen, si in una eademquè urna simul commisceantur. Sed in favorem contrariæ sententiæ

VIII. *Opponitur & favetur Adv.* **Opponitur** Authoritas Aristotelis 8. Phys. & alibi dicentis, in continuo partes non esse actu, sed tantùm potentiâ; Imò alibi dicit, totum continuum esse unum &c. ergò ex mente Aristotelis in continuo non sunt partes actu. R. tamen negando consequentiam, Aristoteles enim multiplicitèr in illis locis intelligi potest & debet, nam si dicit quandoquè, in continuo non esse partes actu, vult eas actu non esse separatas, sed separabiles, quod est esse in potentia. Quando verò dicit, continuum esse unum, non dicit esse idem, seu identificatum, quia unum etiam est illud, quod ex pluribus est compositum; denique dici potest, Aristotelem velle, partes in continuo non esse per modum entium completorum, sed tantùm per modum entium incompletorum, sic aquæ hydria manens in urna est pars, & ens incompletum, quando ex urna extracta est, jam se habet per modum entis totius, quàmvis ulteriùs per accidens, & integraliter complebilis.

Instatur: Ex duobus entibus in actu nequit fieri unum per se, ergò si partes illæ in continuo sunt entia in actu, non poterit fieri unum per se ex illis. Sed R. dist. ant: Ex duobus entibus in actu realitèr tantùm distinctis inter se, nequit fieri unum per se, nego ant: ex duobus entibus in actu completis & non tantùm realitèr distinctis, concedo ant: & patet ratio; quia ex corpore & anima fit unum per se, licèt corpus & anima inter se non sint realitèr distincta, quarè tantùm ex duobus entibus in actu completis nequit fieri unum per se.

IX. *Argumentum ex ratione.* **Arguitur** secundò ex Authoritate Concilii Tridentini. sess. 13. can. 3. ubi definit, totum Christum contineri sub singulis partibus specierum, separatione factâ, ergò censuit in speciebus ante separationem, seu divisionem non esse actu partes: probatur consequentia, quia aliàs non esset ratio, cur adderet illa verba, *separatione factâ*, si ante separationem essent actu partes in speciebus. R. negando consequentiam, ejusquè probationem: rectè enim illa verba à Concilio sunt addita, quia posset esse dubium, an, sicut Christus ante divisionem est in hostia, ita etiam sit in ea, factâ divisione, rudiores namquè cogitare possent, quòd Christus ad divisionem hostiæ divideretur, vel quòd omnino desineret esse sub speciebus divisis, & hinc ad tollendum utrumque errorem, Concilium verba illa signanter addidit; quòd autèm sint plures partes actu in his speciebus, & per consequens in quolibet continuo, probatur ex hoc ipso Mysterio, quia Christus Dominus est pluries sub speciebus Eucharisticis, quàm semel, ergò in speciebus sunt actu plures partes, probatur consequentia: Christus non est sub aliqua specierum, nisi sub parte, ergò si est pluries quàm semel, in speciebus dantur plures partes actu.

Instatur: Christus Dominus non est, nisi semel sub speciebus, ergò non pluries, & consequentèr ex hoc mysterio plures partes actu inferri non possunt. Sed Contrà 1. R. Si Christus Dominus non est sub speciebus, nisi semel ante earum divisionem, ergò est sub ipsis modo quantitativo & extenso; probatur consequentia, quia si non est, nisi semel, debet esse totus sub tota specie, & pars sub parte, & per consequens una pars illius est extra locum alterius, quod est esse ipsis præsens modo quantitativo & circumscriptivo. R. 2. Si divideretur hostia conservata in duas medietates, totus Christus esset præsens utriquè medietati, ut est de fide, ex Trident. jam citato, ergò etiam anteà fuit bis sub ipsis, ergò etiam habuerunt medietates illæ anteà partes: probatur consequentia prior, quia non est assignabilis causa, à qua producatur illa nova præsentia totius Christi, ac medietatem hostiæ, post divisionem, ergò si est nunc præsens totus utriquè medietati, etiam antè fuit: probatur ant: Deus non est causa illius novæ præsentiæ, quia Deus non producit de lege posita sacramentalem præsentiam corporis Christi ad species, nisi dependentèr à verbis consecrationis: Nec etiam ille, qui dividit, aliàs sequeretur, quòd fœmina posset consecrare, quia hæc posset dividere hostiam, ad quam divisionem sequeretur præsentia corporis Chri-

ris Christi, cum consecrare non sit aliud, nisi hanc præsentiam adducere.

Urgetur: Causam illius præsentiæ esse sacerdotem, quia primò hostiam consecravit. Sed Contrà; Supponatur, quòd illa fractio à fœmina facta contigerit post mensem consecrationis, tunc potuit esse sacerdos jam mortuus, & si esset mortuus, in eum non posset referri illa nova præsentia sacramentalis adductio; & licèt, viveret adhuc, si non produceret de novo verba consecrationis, non consecraret, nec consequentèr corpus Christi adduceret.

X. **Dices:** Illam præsentiam non esse novam, sed antiquam; Sed Contrà, præsentia illa, secundùm te, non fuit pluries ante divisionem, sed unica, & jam sunt duæ totales præsentiæ, ergò una earum est nova, post divisionem, nec valet, si dicas, quòd sit nova inadæquata: quia illa pars corporis, quæ ante divisionem non fuit præsens huic meditati, jam est præsens factà divisione, hoc, inquam, non valet, quia peto, à quo producatur præsentia sacramentalis illius partis, quæ nunc est præsens huic meditati, & antè non fuit?

Instabis: Illam præsentiam produci vi prioris miraculi ante divisionem facti. Sed Contrà: Ubi est effectus realis novus, debet etiam esse causa nova, hìc est effectus novus, id est, nova præsentia, ergò etiam nova, & consequentèr non valet dicere, fieri vi prioris miraculi.

LIBER

LIBER VII. & VIII.

DE INCEPTIONE, DURATIONE & DESITIONE RERUM.

IN Libro ſeptimo agit Ariſtoteles de duabus conditionibus ad motum requiſitis, nempe, utrùm omne, quod movetur ab alio neceſſariò moveatur, & agens debeat eſſe ſimul cum paſſo; poſteriorem examinavi in ſecundo diſputando, utrùm poſſit dari actio in diſtans, priorem in tertio, ut proinde nihil hìc reſtet tractandum de illis. In octavo verò tractat de primo motore, mundi Æternitate, de motu projectorum & deſitione rerum, primum relinquo Theologis, ſecundum ad libro. de Cœlo remitto, tertium expedivit liber tertius, quartum ergò ſupereſt enucleandum, cui ob materiæ affinitatem, res enim, quæ incipit, priùs durat, quàm deſinat, ideò huic materiæ de duratione & tempore adjungo tractatum, cujus explicatio æque perdifficilis eſt ac ſuperiorum, nam, ut inquit D Auguſtinus lib. 11. Confeſſ cap. 14. *Quid eſt ergò tempus? ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio:* cujus cognitionem ardentiſsimè cap. 22. à Patre luminum expoſcit, & ego poſt eum humilitèr rependo, id ex ejus dictis & ſcriptis explicare adlaborabo. Eſt igitur

QUÆSTIO I.

Quomodo res incipiant & deſinant?

1. Deſignatur materia ſuper quam verſatur. Ut aperiam, quid in hac quæſtione dicendum ſit, nonnulla erunt præmittenda; Primò, inceptionem ſignificare initium durationis rei: deſitionem verò finem durationis ejuſdem; unde quando quæritur, quomodò res incipiant, aut deſinant, nil aliud ſciſcitatur, quàm, quomodò ſe habeant inſtantia, an ſcilicet ex parte principii connumerandum ſit inſtans cum tempore, in quo res exiſtens dicitur, ita ut in illo jam ſit, & immediatè antè non exſtiterit; an verò pertineat ad tempus præteritum, in quo res nondum erat, ita ut in ipſo nondum exiſtat, ſed immediatè pòſt: ſimilitèr ex parte finis, pertineat ne inſtans ad id tempus, in quo res adhuc eſt, ut in ipſo res exiſtat, & immediatè poſt non ſit? cùm verò ſpectat ad futurum, in quo res ita non exiſtit, ita ut in eo inſtanti non ſit & immediatè antè exſtiterit: unde colligitur unam quamque rem altero duorum modorum incipere: nimirum vel in inſtanti, quo ita eſt, ut immediatè antè non fuerit, quod Philoſophi in Scholis vocant incipere per primum ſui eſſe, ſive intrinſecè vel in inſtanti, quo ita non eſt, ut immediato poſt ſit, quod appellant incipere per ultimum non eſſe, ſive intrinſecè; paritèr ſe habet res in deſitione, altero duorum modorum rem deſinere, aut, ſcilicet, in inſtanti quo ita eſt, ut immediatè pòſt non ſit, quod vocant deſinere per ultimum ſui eſſe & intrinſecè, aut in inſtanti, quo ita non ſit, ut immediatè antè fuerit, quod appellant deſinere extrinſecè, per primum ſui non eſſe, ad quod

II. *Entia ſucceſſiva incipiunt per ultimum ſui non eſſe.*

Dico 1. *Entia eſſentialitèr ſucceſſiva incipiunt in inſtanti extrinſeco, & per ultimum ſui non eſſe, & deſinunt etiam extrinſecè per primum ſui non eſſe.* Eſt comm. Prob. 1. p. quia eo ipſo, quo ſunt ſucceſsiva, aut quòd ſucceſsivè acquirantur, non poteſt fieri, quòd ulla pars ipſorum ſimul producatur, & conſequentèr nequit de ipſis dici, nam primò ſunt & immediatè antè non fuerunt, ſed tamen poteſt aſsignari inſtans, in quo verum ſit de ipſis dicere, jam non ſunt & immediatè pòſt erunt, & illud inſtans eſt ultimum ex omnibus, quibus non accipiunt ſuum eſſe, & eſt extrinſecum durationi ipſorum, quandoquidem in eo non ſunt; ergò ſolùm poſſunt dici incipere in inſtanti extrinſeco per ultimum ſui non eſſe.

III. Secunda pars patet ex prima: quia cùm sint successiva, nec secundùm se tota, nec secundùm ullam sui partem possunt esse in instanti; ergò nequit pro ullo instanti verè de ipsis dici, jam sunt, propriè loquendo, sed benè potest dici, jam non sunt & immediatè antè erant; ergò non poterunt desinere per ultimum sui esse, seu intrinsecè.

Dices: Admissis istis instantibus, poterit primum indivisibile initiativum motûs acquiri in instanti, & ultimum terminativum similiter; ergo potest absolutè dici, quòd motus incipiat intrinsecè, & etiam desinat intrinsecè. R. ex hoc tantùm sequi, quòd aliquid spectans ad motum possit incipere & desinere in instanti intrinseco, non autem quòd iste motus sic incipiat, aut desinat.

IV. *Quæ non sunt successiva possunt utroque modo desinere.*

Dico 2. *Quæ successivè acquiruntur, & non sunt essentialiter successiva, ut calor & frigus, possunt desinere, aut in instanti intrinseco, id est, per ultimum sui esse, aut extrinseco, per primum sui non esse.* Patet, quia Deus potest conservare calorem productum per horam, usque ad ultimum instans istius horæ inclusivè, & potest ipsum non conservare ulteriùs, sed in tali casu, verum esset dicere, jam calor est & immediatè pòst non erit; ergò potest calor desinere immediatè tunc, & sic verum esset dicere, jam non est & immediatè fuit, ergò.

Dico 3. Indivisibilia quæcunque, & etiam divisibilia indivisibilitèr acquisita, incipiunt in instanti intrinseco, per primum sui esse, desinunt verò quandoque intrinsecè per ultimum sui esse, quandoque extrinsecè per primum sui non esse.

Probatur prima pars, quia cùm sint indivisibilia, seu indivisibilitèr producibilia, non impedit quidquam, quò minùs in instanti semper producantur.

Probatur secunda pars, quia hujusmodi producta in instanti possunt non conservari ulteriùs, & sic desinerent in instanti extrinseco per ultimum sui esse, & sic debet dici desinere omnis forma substantialis, quæ per aliam formam in instanti expellitur.

Dices: Non requiri talia instantia inceptionis, aut desitionis, quia potest Deus imponere homini præceptum amandi Deum aliquando ante mortem indeterminatè, sed si talis non amaret Deum, non posset assignari, quando peccaret, quia non posset assignari, quando determinatè obligaretur; ergò peccatum ipsius incipit indeterminatè, & gratia consequenter expulsa desinet indeterminatè. R. talem non posse obligari pro tempore indeterminato, ut volunt Adversarii, sed pro quocunque instanti, vel tempore determinato, pro quo advertit periculum esse, nisi tunc impleverit præceptum, non poterit de cætero implere.

QUÆSTIO II.

Quid sit duratio & quomodò à re durante distinguatur?

I. *Duratio dupliciter considerátur.*

Duratio, secundum Ethymologiam nominis, est, quâ res est, & persistit in rerum natura, potestque dupliciter considerari: Primò propriè, & est quædam permanentia in esse; unde ait Virgilius: *Durate & vosmet rebus servate secundis.* Secundò latiùs pro habitione quacunque alicujus esse etiam instantanea, unde solemus respondere quærentibus, quàmdiu solent durare res istæ vel illæ? anno, mense, horâ, instanti; & juxta hunc usum Scotus 2. d. 2. q. 4. quòd si Angelus existeret pro unico tantùm instanti, adhuc duraret: quidquid tamen sit, in quæstione de nomine ad rem procedo, &

Dico 1. *Duratio non est actualis coëxistentia rei ad tempus*; Ita Scotus 2. d. 2. II. *Duratio est actualis coëxistentia*

Probatur, potest quis durare & existere, ac perseverare, etiamsi nullum tempus esset, cui coëxisteret, verbi gratiâ, si Deus ante productionem mundi, creasset Angelum; ergò duratio non consistit in actuali coëxistentia ad tempus. V. *Argumentum in contrarium.*

Dices: Duratio est actualis coëxistentia ad tempus imaginarium, quod sufficit. Contrà duratio illa esset realis actualis, sed existentia ad tempus imaginarium non est realis actualis; ergò duratio nequit consistere in coëxistentia ad tempus imaginarium.

Arguitur: Non potest res intelligi sine ordine ad tempus, sive verum, sive imaginarium; ergò dicit essentialem ordinem ad tempus, sive verum, sive imaginarium, sed non alium, quàm coëxistentiæ; ergò. R. dist. antecedens sine ordine actuali nego, sine ordine aptitudinali, concedo antecedens, & nego consequentiam. I. *Argumentum.*

Instatur: Ipsa res, quæ durat per mediam horam, habet aptitudinem ad durandum per integram horam, & tamen non haberet durationem unius horæ; ergò duratio dicit aliquid ultra aptitudinem. R. dist. ma. aptitudinem remotam concedo, proximam, seu talem, qualem haberet, si duraret per horam, nego majorem, & concessâ minori, similiter dist. consq. VI.

Urgetur: Eo ipso, quo intelligitur res actu coëxistere, intelligitur durare; ergò coëxistentia actualis est duratio ejus. R. neg. consq. quia hoc non provenit ex eo, quòd coëxistentia illa sit duratio ejus, sed ex eo, quòd necessariò præsupponatur duratio ad illam coëxistentiam; sicut ergò non posset intelligi, quòd subjectum reciperet actu calorem, verbi gratiâ, quin intelligatur existere, seu quin præsupponeret existentiam, ita in proposito. Jam ad secundam partem quæstionis progredior, & VII. *Duratio creata non distinguitur realiter à re durante & actione, quâ producitur & conservatur.*

Dico 2. *Duratio creata non distinguitur realiter à re durante & actione, quâ producitur & conservatur.* Hæc est Scoto conformis 2. d. 2. q. 2. quem præter suos sequuntur Oviedo, Suaretz, Vasquetz, Valentia, & alii plurimi Recentiores Thomistis contrarii, Arriaga, Complut. Conimbr.

Probatur primò, eo ipso, quo res aliqua terminat actionem productivam & conservativam, durat instanti vel tempori; ergò nihil aliud superadditum requirit ad hoc, ut duret.

Probatur

Probatur secundò, quia si esset aliquid distinctum, vel absolutum esset illud, vel respectivum; non absolutum, quia necessariò deberet esse posteriº re durante, quà saltèm existente, & sic esset separabile ab illa, quia omne absolutum prius alio absoluto posteriori, potest produci absque illo posteriori, & sic res posset esse producta & conservata, quòad existentiam & tamen non durare: non etiam respectivum, quia omnis respectus realis debet habere terminum realem, posset autem res durare, etiamsi non esset aliud, ad quod terminaretur, ut si solus Angelus esset à Deo productus. Confirmatur, quia nullum signum distinctionis realis est inter rem conservatam & durantem, seu inter durationem & conservationem, ergò.

V. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Res non potest esse sine ubi superaddito; ergò nec durare, sine duratione superaddita. R. neg. conseq. disparitas est, quia res non habet necessariò esse in loco, quòd producatur, benè tamen durare, ex eo quod sic producatur: quod

Confirmatur, quia res potest poni in loco ab aliqua causa, à qua non potest produci nec conservari, non potest autèm per actionem illius durare, nisi illius, qui potest producere & conservare, ergò:

Instatur: Angelus est tam indifferens, ut sit in hoc vel illo tempore, ac ut sit in hoc vel illo loco, sed ad hoc, ut sit in hoc vel illo loco, debet ipsi superaddi ubi, tollens hanc indifferentiã, ergò adhoc, ut sit in hoc vel illo tempore, debet illi etiam aliquid distinctũ superaddi, sed illud non est aliud quàm duratio, ergò. R. concedendo totum, nego tamen subsumptum, illud enim, ratione cujus res existit in hoc, vel illo tempore, non est duratio, siquidem, etiamsi nullum esset tempus, adhuc duraret.

VI. **Urgetur:** Ipsamet actio est indifferens adhoc, ut sit in hoc vel illo tempore; ergò debet determinari per aliquid aliud. R. illam determinationem provenire à Deo, qui voluit creaturas producere tali tempore & non alio, suppositâ autèm illâ primâ determinatione, aliæ determinationes proveniunt à causis secundis, in hoc tamen argumento multùm fuit gloriatus Arriaga, quod, præterquam, quòd facilè sequatur, ex ipso magnum inconveniens sequitur, quia sic posset quis dicere, ideò requiritur illud superadditum, quia res ex se est indifferens, ut sit in hoc, vel illo tempore; ergò pro quolibet instanti debet habere aliud & aliud superadditum, ad quid autem hæc multiplicatio entium sine necessitate?

VII. **Instatur:** Sequitur quòd illud, quod ponitur in prædicamento *quando*, non esset respectus extrinsecùs adveniens, sed hoc est contra dicta in prædicamentis, ergò. Probatur sequela, prædicamentum *quando*, nîl est aliud, quàm quod est, vel coëxistit tali, vel tali tempori, sed secundùm nos, non coëxistit, secundùm aliquod distinctum, à productione & conservatione rerum, ergò. R. negando sequelam, quia quàmvis illud, à quo habet, res durare tam diu, vel tam diu, non sit quid distinctum à re conservata & conservatione, tamen illud, à quo haberet res coëxistere alteri rei, esset quid respectivum, quia denominatio illa coëxistentiæ, quæ esset hoc vel illo tempore, esset relativa.

Dices: Priùs est rem existere, quàm durare; ergò duratio est accidens superadditum rei existenti. R. dist. ant. priùs est rem existere, quàm durare, prout duratio habetur etiam in instanti, nego antec. sumendo pro conservatione rei, concedo antec. & nego consequent. Unde si duratio est formaliter ipsa existentia rei, non magis una est intrinseca rei, quàm altera: si verò duratio est actio productiva & conservativa, quàmvis magis sit intrinseca existentia, quàm actio productiva, non sequitur, quòd duratio sit accidens distinctum ab actione & conservatione. R. secundò negando consequentiam, quia non sequitur, hominem priùs esse rationalem quàm risibilem; ergò risibilitas est accidens superadditum rationalitati; ergò nec in proposito.

Dico 3. *Duratio adæquatè dividitur in æternitatem, ævum & tempus.* VIII. *Dividitur duratio.*

Probatur, quia nulla est duratio, quæ non sit vel rei permanentis, id est, existentis secundùm omnes suas partes simul, ut est motus successivus: si est duratio rei successivæ, erit tempus, de quo sequenti quæstione, si rei permanentis, tunc vel erit duratio rei permanentis sine initio & fine, & sic erit æternitas, quæ describitur à Boëtio lib. 9. de consolatione prosâ 6. interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio, & hęc æternitas dicitur à parte antè & pòst: vel est duratio rei habentis principium sine fine, vel finem sine principio & erit ævum, sic si Angelus creatur ab æterno, & destrueretur aliquando, esset æviternus, à parte antè, sicuti etiam defactò ex eo, quòd anima sit in æternum duratura, licèt principium habeat, dicitur æviterna à parte pòst.

QUÆSTIO III.

Quid sit tempus?

Temporis elucubratio, quantùm temporis, quantumque laboris requirat, testatur ingeniorum omnium culmen & apex Augustinus, *qui licèt annos natus fermè viginti* (sunt verba ipsius de se loquentis lib. 4. Confess. cap. 16.) *cùm in manus meas venissent quædam Aristotelica, quas appellant Cathegorias, quarum nomini cùm eas Rhetor Carthaginensis, Magister meus buccis typo crepantibus commemoraret & alii, qui docti habebantur, tanquam in, nescio, quid magnum & Divinum suspensu inhiabam, legi eas solus & intellexi, quas cùm contulissem cum eis, qui se dicebant, vix eas Magistris eruditissimis, non loquentibus tantùm, sed multa in pulvere depingentibus intellexisse, nihil mihi aliud dicere potuerunt, quam ego solus apud me ipsum legens cognoveram*; hic, inquam, Augustinus, licèt quælibet sine labore intellexisset, penetrâsset, explicâsset, tempus tamen se capere non posse, fatetur ingenuè: unde ipse plurimas, easque diversas per librum undecimum Confessionum tradit definitiones, nam cap. 26. ait: I. *Difficilis cognitio temporis.*

Mihi

Mihi visum est, nihil aliud tempus esse, quàm distensionem, sed cujus rei distensionem? nescio & mirum, si non ipsius animi: & cap. 27. dicit: *insiste animo meæ, attende, ubi albescit veritas* (de tempore quod indagat) *in te anime meus tempora metior. In te, inquam, quam res prætereuntes in te faciunt, & cùm prætierierint, manent, ipsam metior præsentem.* Addo totum caput 28. *quomodò minuitur, aut consumitur futurum, quod nondum est? aut quomodò crescit præteritum, quod jam non est? nisi quia animo, qui illud agit, tria sunt, nam expectat & attendit, & meminit, ut id, quod expectat, per id quod attendit, transeat in id, quod meminerit: quis igitur negat futura nondum esse? sed tamen jam est in animo expectatio futurorum. Et quis negat præterita jam non esse? sed tamen adhuc est in animo memoria præteritorum. Et quis negat præsens tempus carere spatio? quia in puncto præterit? sed tamen perdurat attentio per quam pergat abesse, quod aderit. Non igitur longum tempus futurum, quod non est, sed longum futurum, longa expectatio est futuri. Neq; longum præteritum tempus, quod non est, sed longum præteritum, longa memoria præteriti est. Dicturus sum Canticum, quod novi: antequàm incipiam, in totum expectatio mea tenditur: cùm autem cæpero, quantùm ex illo in prætensum decerpsero, tantùm tenditur in memoria mea, atq; distenditur vita hujus actionis meæ in memoriam, propter quod dixi & in expectationem, propter quod dicturus sum, præsens tamen adest attentio mea, per quam trajicitur, quod erat futurum, ut fiat in præteritum. Quod quantò magis agitur & agitur, tantò breviatâ expectatione prolongatur memoria, donec tota exspectatio consumatur, cùm tota actio finita transierit in memoriam. Et quod in toto cantico, hoc in singulis ejus particulis sit, atq; in singulis syllabis ejus; hoc in actione longiore, cujus fortè particula est illud canticum, hoc in tota vita hominis, cujus partes sunt omnes actiones hominis: hoc in toto sæculo filiorum hominum, cujus partes sunt omnes vitæ hominum.* Et alibi alia, ego tamen iis relictis, in quibus, vel moraliter agit, vel dubitativè disputat, quæstionem resolvo, &

II. *Definitur tempus extrinsecum.*

Dico 1. *Tempus extrinsecum nihil est aliud, quàm numerus & mensura motûs, secundùm prius & posterius.* Ita Doctores nostri Sancti, quibus profanus non contradicit, sed idem docet Aristoles cap. 11. & 4. Phys. text. 1. hîc.

Probatur ergò primò ex D. Augustino lib. 11. Confess. ubi ait: *Longum tempus non fit, nisi ex prætereuntibus moruliis*, & lib. 12. cap. 11. *Sine variatione motionum tempora non fiunt*, lib. 3. Mus. cap. 3. *motus est* (inquit) *in me, quod sonat & syllabæ utiq; sonant: cùm ergò syllabæ inter se conferuntur, motus quidem inter se conferuntur, in quibus possunt numeri quidem temporis, mensurá diuturnitatis inquiri.* Et lib. Imperf. Gen. cap. 3. dicit: *Tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, quod si admittimus, quærendum est, utrùm præter motum possit esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, veluti est anima vel ipsa mens, quæ utiq; in cogitationibus movetur ab ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest: quod si accipimus, etiam ante cœlum & terram potest intelligi tempus fuisse: ante cœlum & terram facti sunt Angeli: erat enim jam creatura, quæ motibus incorporeis motus ageret:* & cap. 5. *Factæ creaturæ motibus cæperunt currere tempora, unde etiam ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possent inveniri creaturæ ante tempora. Motus enim si nullus esset vel spiritualis, vel corporalis creaturæ, quæ per præsens præterita succederent, nullum esset tempus.* Similiter D. Bernardus docet, non esse tempus, ubi non est transitus de futuro, in præteritum, sed æternitas, si est, continuum est; ergò ex mente ipsius ibi tempus est, ubi est nullum est. Audi itaque mellifluum Doctorem Serm. 31. in Cantica, ad initium: *Tolle nempe fuit & erit: unde jam transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio? At quidquid veniens ex eo, quod fuit, non cessat tendere in id, quod erit, transitum sanè habet per est, sed omninò non est,* (NB.) *nam quomodò est, quod nunquam in eodem statu permanet? solum proinde verè est, quod nec afuit præciditur, nec ab erit expungitur, sed solum atq; inexpugnabile ei manet est & manet quod est, nec fuit sanè tollis ibi esse ab æterno, nec erit, esse in æternum, ac per hoc vendicat sibi verum esse, id est increabile, interminabile & invariabile.* Sic etiam dicit Augustinus in Ps. 9. *In his rebus, quæ temporis volubilitatem prætersluunt, nihil habentis, nisi erit & fuit.* Aft licèt hæc conclusio per has authoritates probata sit legitima, explico tamen eam, adhuc modo Scholastico. Dicitur itaque *numerus* per quod intelligitur numerus materialiter sumptus, in quantum est aptus mensurare motum: unde in re idem est, quod mensura, ideoque alterutrum sufficiet: utrumq; tamen ponitur ex eo, quòd ista mensuratio, nequeat fieri sine divisione partium, quæ divisio numerum facit, nam ego non possum mensurare motum meum ex hoc loco usque Wartam, per continuum motum Solis vel primi mobilis, nisi dividam partes primi mobilis per intellectum, cùm à parte rei ille sit continuus. Et hinc patet, quomodò intelligendus sit D. Augustinus supra per totum caput 28. & alibi, dum tempus appellat animæ opus, animi distensionem, quia secundùm rei veritatem, dies, annus, hora, quadrans, si non entia rationis sunt, non multùm absunt, ad minùs sunt relationes rationis. Itaq; numerus & mensura locum generis obtinent: in hoc enim convenit tempus cum aliis mensuris rerum permanentium, ut ulnæ, cubiti. Particulæ verò, *secundùm prius & posterius* locum habent differentiæ, quæ denotant motum esse successivum & significant, quòd tempus sit mensura motûs secundùm quod partes motûs sibi invicem succedunt. Sed contra hanc Conclusionem

Opponitur Authoritas D. August. lib. 11. Confess. sæpè cit. cap. 24. dicentis: *Tempus non esse mensuram motûs, sed etiam quietis*; ergò definitio mala, quia hoc posterius exprimit. Antec. probatur adducendo verba, ait enim S. Pater, non solùm motum corporis, sed etiam statum metimur & dicimus tantùm stetit, quantum motum est, aut duplo, vel triplo stetit ad id, quod motum est, & si quid aliud dimensio nostra, sive comprehenderit, sive existimaverit, ut dici solet, plùs minùs, non est ergò tempus corporis motus. R. verum esse, id, Sanctum Doctorem asserere, sed tantùm vult quòd tempus sit mensura quietis per accidens tantùm, in quantum quies privativè opponitur motui, qui per se mensuratur tanto tempore, qui motus in memoria adhuc existere potest: adeoq; per illum quies

quies mensurari & satis conformitèr ad dicta Augustini suprà citati. Sed

Instatur: Idem S. Doctor cap. 26. dicit, *metior motum corporis in tempore, item ipsum tempus non metior?* tempus metior scio; ergò tempus adhuc nequit esse mensura motûs, cùm ipsum tempus adhuc metiri debeat. Sed R. negando conseq. licèt enim tempus mensurari possit, non mensuratur tamen per idem tempus, sed per aliud: quando ergò S. Augustinus dicit, ipsum tempus mensurari, aliud non vult, quàm quia tempus intrinsecum mensuretur per tempus, motus enim & tempus intrinsecum distinguuntur.

Urgetur: Prius & posterius explicantur per tempus; ergò dum tempus per hoc explicatur, committitur circulus vitiosus. Probatur ant. quia illud est prius, quod præcedit tempore & posterius, quod sequitur; ergò non rectè ponitur: probatur hæc conseq. quia aliàs idem ponetur in hac definitione, quod est committere circulum. R. primò: prius & posterius non explicari per tempus, sed designari prius & posterius esse in motu, cujus mensura est tempus. R. secundò dist. anteced. prius & posterius durationc explicatur tempore concedo, prius & posterius ipsius motûs explicatur tempore nego ant. hæc enim prioritas & posterioritas provenit ex magnitudine mobilis, quod movetur & quà derivatur in partes motus: exemplum sit: moveatur corpus ab uno extremo hujus Ecclesiæ ad aliud extremum, illud corpus, quia est extensum, non potest esse simul in eadem parte spatii, secundùm omnes suas partes, sed secundùm unam debet esse in una parte spatii, & secundùm aliam posteà, & sic deinceps, donec omnes partes, una post aliam in idem spatium succedant, ubi videt mobile, secluso respectu ad omne tempus, ob suam extensionem haberi, ut non occupet eandem partem spatii, quam altera occupat nisi illa recedente, & per consequens motum mobilis secundùm unam partem sui ad illud spatium non ponit, nisi desinente motu alterius partis ad idem, & proinde ipsum motum habere partes prioris & posterioris ab ipso mobili, antequàm intelligatur tempus.

IV. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur secundò, eâ ratione: motus meus ex hoc loco usque Wartam non est tempus; ergò definitio mala. Probatur ant. quia Deus posset illum totum motum in instanti ponere, videlicet me per unicum instans Wartam, ergò. R. Philosophum non definivisse tempus, nisi ut est mensura motûs naturalis & non supernaturalis, qualis esset iste, quia licèt Deus poneret omnes illas præsentias locales in unico instanti, qui sunt motus fundamentalitèr sumpti, non tamen habet rationem motûs naturalis, nisi successivè acquiratur, secundùm quod consideratur à Philosopho naturali.

Instatur: Tempus potest esse mensura instantis, quia motus instantaneus mensuratur aliquà mensurâ, ergò etiam ille motus, licèt fieret in instanti. R. negando conseq. ad antecedens dico, quòd instans naturale non mensuretur per tempus reale, sed imaginarium, ergò.

V. *Tempus intrinsecum non distinguitur à re successiva.*

Dico 2. *Tempus intrinsecum non distinguitur à re successiva, verbi gratiâ, tempus intrinsecum motûs, quo Sol movetur, ab Oriente ad Occidentem.* Hæc est Doctoris de rerum principio cap. 18. & communior Scotistarum contra Thomistas.

Probatur primò, ex regulis definitionis realis, quarum nulla convenit tempori intrinseco & motui, vide illas in Logica.

Probatur secundò, tum quia duratio rerum permanentium, non est quid distinctum realitèr à re durante, ut suprà dictum est; ergò nec duratio rerum successivarum, tum quia nulla est necessitas talis distinctionis, ergò. Sed in contrà

Dices: Idem motus est duplo velocior, verbi gratiâ: si primum mobile spatio duodecim horarum circuiret, quem defactò circuit spatio viginti quatuor horarum, & è contra posset duplo tardior, sed idem tempus nequit esse tardius & velocius quàm sit semel, quia aliàs ex coëxistentia duorum aliquorum ad idem tempus non posset colligi, quòd æquè durarent, ergò. R. neg. majorem, licèt idem spatium possit tardiùs, vel velociùs percurri, tamen non eodem numero motu, quatenùs motus dicit successionem talem vel talem, ab hoc motu non distinguitur tempus: quatenùs verò dicit partes sibi succedentes, quæ per motum citiùs, vel tardiùs acquiruntur quàm aliàs possent acquiri, sub hac ratione distinguitur tempus à motu, quia duratio non dicit talem acquisitionem partium, sed quàmdiù durat hæc successio partium; & si quæras, unde ergò habent illæ partes, quòd sibi invicem succedant, & aliquando cum majori mora, aliquando cum minori? R. efficienter hoc habere à causa efficiente & impedimentis, aliisque conditionibus concurrentibus, formaliter à se ipsis, suppositâ tali actione, quali producitur in illis iisdem circumstantiis.

VI. *Tempus est quid successivum.*

Dico 3. *Tempus extrinsecum est necessariò quid successivum.*

Probatur, *Quia nil, nisi successivum potest nobis mensurare quantitatem motûs,* sed tempus extrinsecum est id, quod est aptum nobis mensurare quantitatem motûs, ut patet, ex definitione ad initium posita: ergò.

VII. *Motus quilibet est tempus particulare.*

Dico 4. *Motus quicunq; successivus est tempus extrinsecum partiale, motus verò primi mobilis est tempus extrinsecum universale.* Hæc est comm.

Probatur prima pars, quia omnis motus potest nobis certificare quantitatem alterius motûs, eamque mensurare, ut patet de motu clepsydræ.

Probatur secunda pars, illud est tempus universale, quo communiter homines uti solent ad mensuram durationis rerum, sed illud est motus primi mobilis, ergò. Et hinc iste motus est divisus ad commune bonum hominum in horas diei &c. dicitur autèm hic motus *extrinsecum universale*, quia est valdè vulgaris & notus omnibus, ac in toto orbe uniformis, duraturusque usque ad diem judicii.

VIII. *Opponitur & solvitur Scriptura.*

Opponitur Contra secundam partem S. Script. Genes. 1. ubi habetur, *quòd Deus creavit Solem & Lunam in firmamento cœli, ut dividat diem ac noctem, sintq; in signa & tempora, in dies & annos*; ergò tempus universale potiùs consistit in motu Solis & Lunæ. R. Solem & Lunam dividere diem & noctem prout moventur propriis motibus in anno vel mense, qui motus non ita sunt nobis noti, sed prout spatio viginti quatuor horarum moventur ab Oriente ad Occidentem, & è contrà ad motum primi mobilis. Per quod patet, quid dicendum ad D. Augustinum, qui cap. 23. Confess. sic habet: *Audivi à quodam homine docto, quòd Solis ac Lunæ, ac syderum motus ipsa sint tempora & anni. Cur enim potiùs non omnium corporum motus sint tempora? an verò, si cessarent cœli lumina, & moveretur rota figuli, non esset tempus, quo metiremur eos gyros & diceremus, aut æqualibus morulis agi, aut si alius tardiùs, alius velociùs moveretur, alios magìs diuturnos esse, alios minùs? aut cùm hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur? aut essent in verbis nostris aliæ longæ syllabæ, aliæ breves, nisi quia illæ longiore tempore sonuissent, istæ breviore? Deus, dona hominibus videre, in parvo communes notitias rerum parvarum, atq; magnarum.* Per quæ, licèt videatur negare motum cœli, tempus esse, attamen S. Pater solùm vult motum cœli, non ita tempus esse, quin etiam esse possint motus aliarum rerum, quod nihil est contra nos. Et hæc de octo libris Physicorum, & tempore dicta sufficiant, ad laudem & gloriam ejus, in cujus potestate sunt dies & tempora, qui facere dignetur, ut omnia in bonum impendantur, & in hoc defectus puniat, ut in futuro pareat, nam, ut dicit mellifluus Bernardus Serm. 17. de diversis: *volat verbum irrevocabile, volat irrevocabile tempus, nec advertit insipiens quid admittat.*

Verbo:

Tempora mutantur, more fluentis aquæ.

PARS